



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 1
30




IO. BAPTISTÆ MONTANI MEDICI VERONENSIS


IN QVARTAM FEN Primi Canonis Auicennæ, LECTIONES:

A' VALENTINO Lublino Polono Collectæ.

Cum Gratia & Priuilegio.

NVLLA SINE LABORE EST VIRTVS.





VENETIIS, APVD BALTHASSAREM CONSTANTINVM, AD SIGNVM DIVI GEORGII. MDLVI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET D.D. Ioanni Comiti à Tharnon, Castellano Cracouiensi, ac exercituum Regni Poloniæ summo Imperatori, &c. Domino suo Clementißimo,

VALENTINVS LVBLINVS Polonus Philosophiæ ac medicinæ Doctor summam fœlicitatem optat.



VICQVID Laudis olim populum Romanum, Princeps Illustrissime, attribuisse suis optimis Imperatoribus ob merita in patriam, annales commemorant: id omne populus Polonus tibi uni optimo Principi iure attribuit. Quoniam citra ullam fucatam simulationem iustissime tibi uendicare uideris nomen

optimi ac maximi Principis, eo quòd tuæ uirtutes, res præclare atq; strenue gestæ toti mundo conspicuæ existant, quarum quidem pleni historicorum libri habentur, à quibus tua incredibilis prudentia, sapientia, altitudo animi, ac deniq; summa fœlicitas ita commendatur ut omnibus qui legunt eos, maximæ admirationi sis, omnesq; hi facilè obstupescant, quòd pauco milite sæpe maximas copias hostium profligaueris, & inde spolia ampla ad Serenissimos Reges tuos retuleris. Et ideo beatissimam gentem omnes prædicant quæ tam bonum, prudentem, atque fœlicem Principem nacta sit. Quod quidem potentissimus Rex Ferdinandus aduertens, ut Regnum Vngariæ nobilissimum ab immanitate Turcica iiterarum

rum ac uirtutum bonarum corrupte la, uindicare posset, sæpius te suis amplissimis exercitibus Imperatorem optabat; credebat enim prudentissimus Rex, tua industria atque incredibili prudentia, se facile effecturum ne amplius Mahumeticæ impietatis & Barbariei in Vngaria aliquod uestigium relinqueretur. Sed tu Princeps Illustrissime patriã tuam, qua nihil tibi antiquius fuit, relinquere noluisti. Vnde omnes populi Poloniæ uno ore te patrem patriæ appellant, hocq; sanè non immeritò. Quandoquidem tu Princeps Illustrissime illorum libertatem atque pacem perpetuo conseruare totis uiribus studeas. Sed ut hæc missa faciam quæ omnibus notissima sunt, illud præcipuum accedit, quod inter tot Senatores Illu-

*strißimos ac grauißimos potentissi=
mi Regis nostri Sigismundi Au=
gusti, primus & dignitate & ætate
consederis, & multorum perfidorum
dolos ac fraudes in patriam frege=
ris, atq; pro illa uitam exponere nun
quam ueritus fueris. Quod quidem
uel eò maximè apparet, quòd nullũ
bellum à Polonis in hostes committi=
tur te absente, quódq; semper ex his
triumphus sequatur, id totum Deo
fauente tuæ summæ prudentiæ, indu
striæ ac diligentiæ, adeptũ referunt.
Taceo nunc pietatem tuam, quæ uel
eò maximè apparet, quòd Deum ma
gnopere colas, ac filium ita instituen
dum cures, ut non solum amplissima=
rum fortunarum, ac eius quem ipse
obtines in Republica loci, uerum etiã
tuarum uirtutum hæredem, ac succes
sorem,*

ſorem, ipſum Reipublicæ facias. Nam ut per ætatem licuit, opt. literis inſtitutum, in ſplendidisſimam aulam Regis Ferdinandi magno cum apparatu miſiſti, adhibitis ei præceptoribus atque gubernatoribus, doctrina & uirtute ſingulari ornatisſimis, ut cum literis diſciplinam militarem coniungeret, ac ſe exēplis Reip. tam pace quã bello adminiſtrandæ à teneris (ut aiunt) unguiculis inſtrueret: atque adeo in prouectiori ætate in aulam amplisſimam Caroli. V. Imperatoris ſemper Auguſti, eum transferendum curaſti quo quidem in loco ita ſe (ut omnes prædicant,) honeſtè ac ſplendidè gerit, ut totius Poloniæ populis, inde maximus honor accedat, ſpesq́; incredibilis excitetur, filium breui ſimilem patri futu-

rum, & regno Poloniæ optimè pro spectum iri. silentio prætereo deniq; iustitiam tuam, taceo fortitudinem, omitto temperantiam, liberalitatem, ac denīq; omnia alia genera uirtutum, quæ cum in te omnia sint summa, huius epistolæ angustia pro dignitate non solum laudari sed ne commemorari quidē possunt. quibus omnibus tuis uirtutibus præclaris ac maximis ego incitatus, non possum nō testari publico scripto, illa omnia quæ diuersis Imperatoribus Romanis ob merita in patriam attribuebantur, tibi uni rectè conuenire. Te nimirum Tarnoui Illustrissime optimum ac maximum Principem esse, patrem patriæ, pium ac iustum. Et propterea haud immerito Poloniæ populi longissimam ac fœlicissimam salutem

tibi optant. Quorum uestigijs ego in sistens ac praesertim cum medicus sim, ut ualetudini tuae qui utilissimus es patriae nostrae aliquid emolumenti adferre possem, haec praecepta Medica Montani Veronensis praeceptoris mei doctissimi in publicũ daturus, sub tui nominis amplissimi patrocinio, prodire uolui; tũ ut his praeceptis tu Princeps Illustrissime suffultus, longiorem & foeliciorem uitam traducere ualeas, patriamq́; tuam in longissimum tempus in libertate ac pace, summa prudentia tua retinere posses, tum etiam ut inde Montano Mortuo cuius uiui consilia salutaria esse expertus es, ex nominis tui splendore aliquid laudis accedat. Hoc uerò libentius facio quòd intellexi meum institutum approbari a ui

ris maximis, potissimum uero a Reuerendo Domino Mathia Drzeuicio Canonico Cracouiensi uirtutum ac bonarum literarum summo patrono. Quare iam Princeps Illustrissime mei ac Montani patrocinium contra male feriatos homines suscipies, atq; nos umbra alarum tuarum proteges. Valeas uiuasq; foelix ac diu Principum decus.

Cracouiae Calendis Augusti. Anno nostrae salutis, M D L V.

FEN QVARTA,

PRIMI CANONIS AVICENnæ: *De diuisione modorum medicationum, secundum ægritudines uniuersales.*

Tex.

DICEMVS ꝙ res medicationes ex una trium rerum completur. Vna earum est regimen & nutrientia, & alia medicinarum exhibitio, tertia est operatio manualis.



RAESENS *liber, quē præ manibus habemus, est quarta* Fen primi Canonis, *quæ continet totam artem medicam.* Et quoniam omnes interpretes antequam ad textus interpretationem peruenirent, solent aliqua præmittere prolegomena, ego illud idem hoc in loco obseruabo, ut auditores dociles & attentos reddam. Hoc autem potißimum fiet, si & ordinem & materiam, de qua hisce agitur, proposuerimus, simul etiam cōsilij rationem explicauerimus, propter quam iste liber inter omnes alios maximè necessarius esse uidetur: procedemus autem non oratorie, sed ut medicum doctum decet. Sed quoniam sci

finis 2.

entia ex notione finis acquiritur, finis notus esse debet, finis intrinsecus Medici est habere artificium medendi, licet finis extrinsecus sit inducere uel præseruare sanitatem. Oportet igitur scire quid sit Medicina, per eius definitionem. Nam Arist. 7. Metaph. scribit, nos tunc unumquodque scire putare, quando eius definitionem cognoscimus. Medicina igitur, ut definit Auicenna, est scientia, qua humani corporis dispositiones cognoscuntur, ut habita sanitas conseruetur, & amissa recuperetur. Quæ definitio an sit eadem, uel melior, quàm illa Theophili, quam maxime laudat Gal. in Arte med. non est cur hic disputemus. Sed ibi diximus, hanc esse meliorem. Hic nunc uidendum, quomodo sit intelligenda hæc def. nam ex hoc apparebunt omnia, de quib. agitur in hoc libro.

herophyli

Medicina igitur est scientia humani corporis &c. Cùm uariæ sint scientiæ, quæ omnes uersantur circa ens, quædam tamen uersantur circa ens inquantum ens, quædam autem circa proprium ens. Et rursus, aliæ sunt speculatiuæ, aliæ actiuæ, aliæ factiuæ. Et quamuis propriè scientia spectet solum ad speculationem, ampliori tamen significato Medicina est scientia proprij subiecti, hoc est corporis humani. Quomodo igitur sit corporis humani scientia, corpus humanum cognoscendum est, quemadmodum requirit ipsa ars medica. Quæ quum non recedat a sensu, ideo non demonstratiuè, sed solùm uia sensus ostendit. Quocirca corpus humanum non considerat ut mobile, sed inquirit principia sensata, ut in humano corpore

re habentur. Itaque uidet in eo esse partes cum materiales tum formales, uerbi gratia, partium materialium quasdam esse remotas, ut quatuor elementa: quatuor magis propinqua, ut quatuor humores, quos cognoscet Medicus ex Hipp. primo de Nat. hum. Deinde sunt partes integrales actu existentes, quarum quædam sicut similares, quædam organicæ. Partes uerò formales, est ipsa complexio, ut Medici uolunt, quicquid philosophi de hoc sentiant, nunc non disquiramus. Deinde uerò sunt Actiones ipsæ. Quare corpus hoc modo consideratur a Medico, quod scilicet componitur ex partibus materialibus, & formalib. quas sequuntur suæ actiones, de quibus omnibus Auicenna in prima Fen tractauit, quæ idcirco optimè inscribitur. De subiectis medicinæ, hoc est de subiecto medicinæ quod habet suas partes, & tale subiectum est corpus humanum, quod explicatur per sua continentia. Sed quoniam corpus humanum non est subiectum medicinæ, quatenus humanum corpus, ideo additum est, Quatenus sanabile est & ægrotabile. Et ideo oportuit cognoscere corpus sanabile & ægrotabile. Sed si uolumus cognoscere illud, cognoscendæ sunt prius dispositiones quæ sunt in humano corpore. Quæ quidem sunt in triplici differentia, sanitas, ægritudo, & neutralitas. Quæ dispositiones cùm cognosci non poßint, nisi cognitis causis: ideo oportet scire quæ faciant has dispositiones. Sed quia causæ sunt nobis ignotæ, ideo quibus nam signis deprehendere illas oporteat, erit inquirendum. De his Auicenna

sunt

egit in secunda Fen primi Can. ex resolutione huius definitionis. Et ita per primam & secundam Fen habetis cognitionem subiecti medicinæ in definitione proposita. Sed quoniam quicunque cognoscit subiectum & principia ipsorum, solum habet intellectum speculatiuum, & nondum practicum, qui dirigitur ad operationem. Ad hunc respiciens, artem medicam in theoricam & practicam diuisit. Theoricam in primis istis duab. Fen pertractauit, in quibus speculatus est subiectum medicinæ, sed propterea non direxit intellectum nostrum ad aliquam operationem. Quoniam autem ars medica est habitus intellectus recta ratione factiuus, ideo in def. additum est, Vt sanitas conseruetur præsens, & amissa recuperetur. Et hæc est tota definitio completa, ex qua habetis totam artem, atque adeo cognoscitis intellectum non ad speculationem tantum dirigi ipsius subiecti, sed ad operationem, quum sine operatione nec sanitas seruari, nec recuperari poßit. Igitur cum sint tres dispositiones humani corporis, sanitas, ægritudo & neutralitas, si uolumus operari, uel conseruando sanitatem, uel illam restituendo, oportet scire quomodo & quas actiones debeamus operari. Hoc autem scire non possumus, nisi primum sciamus, quòd cùm sanitas sit secundum naturam, ideo illa seruanda est: ægritudo econtra cùm sit præter naturam, remouenda: dispositio autem media cum sit anceps, etiam operatio media erit tenenda præseruatiua, partim conseruando, partim curando. Quare tres erunt operationes simplices.

ces. Prima est, conseruare illud quod est secundum naturam ne ab ea deflectat. Et hoc pertinet ad partem sanitatis tuendæ, secunda est, curare ea quæ sunt contra naturam, quod quidem ad curatiuam pertinet, tertia est præseruare, quod quidem ad Prophylacticen spectat, quæ simplex dicitur præseruatio, quando attinet ad ea corpora quæ sunt neutra primi modi, neque plane deciderunt, sed proxima illis imminet ruina, quæ præseruationem requirit. Et ita habemus triplicem operationem medici simplicem, secundum tres dispositiones simplices. Incipiamus autem ab ægritudine, quæ ferè semper habet partem factam, & partem quæ fit: illi curatio, huic præseruatio debetur. Quocirca Gal. in 9. 10. & 11. Methodi dicit, q̃ curatio est ferè semper iuncta cum præseruatione, sanitas pariter duplex est, quædã κατὰ σχέσιν, quædam καθ᾽ ἕξιν. Prior quidem illa dicitur a nostris sanitas secundum habitudinem, licet impropriè. καθ᾽ ἕξιν autem dicitur sanitas secundum habitum, & est sanitas solida. sanitate κατὰ σχέσιν fruuntur senes & ij qui abundant crudis humoribus, aut plethoria laborant, quales sunt athletæ, & conualescentes, qui nondum habẽt firmam sanitatem, pariter pueri nuper nati. Errant igitur recentiores, qui Athletarum corpora neutra esse uolunt, quoniam non adest adhuc sanitas. Cùm igitur sanitas sit duplex, illi quidem quæ firma est absolutè debetur conseruatio. Verum cùm sanitas ista secundum habitum maximam habeat latitudinem, & uarios gradus, sanum simpliciter,

 citer,

citer, ut multum, ut nunc &c. ideo ubi occurrit sanitas firma, ut nunc, ut semper, uel ut multum, quia hic duæ adsunt dispositiones, altera complexio ipsa homini naturalis, calida & sicca uerbi gratia, quæ conseruari omnino debet: altera, ad quam utpote meliorem uolumus hominem reducere, & facere magis temperatæ complexionis, ad Gymnasticam artem hoc munus spectabit, non ad medicum, ut qui sanitatem illam potius quæ est in habitudine, uel conseruare, uel emendare conetur atque curare. Nam *ubi sanitas fuerit firma, illam conseruamus: ubi autem debilis, & in qua periculum immineat, præseruamus.* Quocirca *sanitas ista* κατὰ σχέσιν *duas habet operationes, conseruationem & præseruationem.* Quemadmodum *autem sanitati simplici debetur conseruatio, neutro corpori simpliciter præseruatio: ita ægritudini factæ curatio simpliciter debetur.* Cum *ergo in genere distinxerimus istas operationes, nunc collocemus illas in suis locis, quia quandoque uolumus præseruare simpliciter, quandoque conseruare, quandoque partim præseruare, partim conseruare.* De *quibus omnibus agit* Auicēna *in secunda* Fen. Et *primo docet, quomodo conseruemus pueros & senes, ut etiã* Gal. *in lib. de tuenda san.* Docet *pariter, quomodo regendi sunt ij qui nauigant aut peregrinantur, quorum quidem sanitates minus sunt firmæ.* De *curatione autem, quæ erat ultima nostra operatio, quæq; pertinet ad remouendam ægritudinem, in hac quarta* Fen Auicenna *agere instituit.* Et *hæc hactenus de* ordi-

ordine huius libri, eius materia atque utilitate.

Cum ostenderimus praecedenti discursu ex resolutione definitionis medicinae oriri totam artem, & ex parte prima definitionis oriri partem illam quae pertinet ad speculationem: ex altera autem elici partem illam quae ad practicam facit: nunc dicere posset aliquis, si Auicenna hoc fecisset, iste esset ordo definitiuus, ut docet Gal. primo Art. med. quando scilicet ex resolutione definitionis omnes artis partes inueniuntur. Tu tamen aliàs dixisti, Auicennam ordine uti compositiuo, a simplicioribus uidelicet ad composita progrediendo. Diximus, q. ad inueniendam artem processit per resolutionem definitionis, ad docendum autem ordine compositiuo. Gal. uerò procedit ordine definitiuo, ut apparet in Arte med. & procedit per circulum. Iste autem modus docendi longe diuersus est, licet in inuentione non sit differentia. Nam cum inuenerit ex resolutione definitionis medicinae totam artem, postea in tradendo artem procedit componendo. Est igitur iste ordo compositiuus in docendo. Ad idem igitur, quando inquit Auicenna, In nomine domini &c. diximus q. pro declaratione istius primo oportet scire quid sit Medicatio, quòdq; alio modo est intelligenda, q̃ intelligat uel Gentilis, uel Hugo. Medicatio igitur est actus medici, a medico emanans. ἰατρικὴν uel ἰάτρευσιν uocant Graeci, actio proueniens ab ipso medico, siue sit conseruatio, siue curatio, siue praeseruatio. Medicatio igitur est nomine cõmune ad omnes actiones medici. Et ideo quando di-

cit Auicenna,Medicinam compleri ex una trium rerum,non magis intelligit de curatione,q̃ de reliquis. Quod ut rectè intelligamus, nonnulla exactius sunt declaranda.Sciendum igitur,q̧ cùm corpus humanũ, ut dicit Gal. 3.Art.med.& primo de Tuen.san.sit in perpetua alteratione indiget etiam perpetua conseruatione,& quando curari non potest,saltem curatur & acquiritur id quod deperditum est,ut optimè dicebat Gal.q̧ quælibet causa applicata corpori ipsum immutat,& quando parum immutat & alterat,dicitur causa conseruans:si autem sensibiliter alterat,est causa curatiua. Istis ita se habentibus sciendum q̧ quædam sunt causæ necessariò occurrentes humano corpori,quædam non necessariò,harum quæ necessariò occurrunt uidetis numerum ex natura rei. Nam cum homo uiuat,habet calorem in actu, quem oportet continuò euentari. Quare occurrit unum quod alterat humanum corpus,& est aër.Et quoniam continuè aliquid deperditur in humano corpore,ideo ut deperditum restauretur,ob id est cibus & potus necessarius.Et quoniã homo non potest esse in continuo motu,ideo fuit necessarius somnus & quies. Et quia homo cibũ quẽ assumit,aßimilat, aßimilari nequit, nisi concoquat,concoctionẽ ipsam sequitur excremẽtum,quod debet expelli:itaque necessaria fuit Inanitio & repletio.Exercitium insuper & motus, quia homo est conditus propter actiones.Nec solũ propter actionem,sed etiam contemplationẽ,quam sequuntur Animi accidẽtia,quæ corpus nostrum alterare poßũt.

Itaque sex sunt causæ alterantes necessariò occurrentes corpori nostro, quæ sub ratione uictus compræhẽdũtur, & uel cõseruãt, uel remouent id quod est præter naturã, uel etiam nocent, secundũ quod diuersimodè utimur illis. Sunt modo aliæ non necessariò occurrentes, in quas quandoque consultò incidimus, quandoque propter aliquod infortunium, ut cum incidimus in maximos æstus, uel maxima frigora: consultò autem, ut dum accedimus propter spem auxilij ipsa balnea, & medicamenta sumimus. Quæ causæ uel sumuntur intra corpus, & dicuntur Medicinæ: uel applicantur extra cum arte aliqua, ut cum arte manus. Et hinc tria instrumenta medica eruuntur, Diæta, Medicamenta, & Chirurgia. Videtis igitur, quomodo ex illis causis alterantibus corpus humanum eliciantur illa tria, & quandoque indigemus uno tantum, quandoq; duobus, quandoque tribus simul. Vno tantùm, quando conseruamus corpus in eo gradu in quo est. Vbi uerò præseruamus & curamus, utimur utroq;, secundũ exigentiam. sunt enim similia admodum, præseruatio & curatio: quoniam præseruamus corpora neutra siue media. Igitur cũ præseruatio sit propter corpora media inter sanos & ægros, & quæ magis tendant ad ægritudinem, ideo præseruatio est propinqua curationi. In curatione autem indigemus ferè semper trib. remedijs. Primò ordinamus rationem uictus: secundo medicinas: tertio sæpe utimur chirurgia, ut cùm uenam secamus &c. Quare Auicenna hoc in loco proprijssimè

ſimè uſus eſt hoc uocabulo Medicationis, & non curationis: quoniam medicatio eſt nomine commune ad illa tria, ſcilicet ad cõſeruationem, præſeruationem, et curationem: et dicit, q. Medicatio proficiſcitur ex uno illorum trium &c. uidiſtis enim quemadmodum medicatio eſt ex illis cauſis, quæ non neceſſariò occurrunt humano corpori. Vidiſtis etiam, q. Chirurgia occurrit humano corpori non neceſſariò, neque intrinſecus, ſed extrinſecus. Sed dicet quis, Tu dicis q. inſtrumenta hæc tria adhibentur in curatione, utrum tanquam inſtrumenta, an tanquam partes medicinæ? Si ut inſtrumenta, non ſunt partes artis, ſicut nec ſerra eſt pars artis fabrilis, cùm ſit inſtrumentum. Notetis, q. iſta ſunt inſtrumenta & partes etiam medicinæ, ſed diuerſa ratione. Vt enim ſerra ſi quis utatur qui non ſit artifex, deſtruet potius opus, quàm illud conficiet: pariter niſi inſtrumenta iſta medica harum artificem habeant, nocebunt potius quàm proderunt. Quare antequam ijs utamur, ſunt inſtrumenta: quando autem habitus adeſt rectè illis utendi, tunc habitus iſte eſt pars medicinæ: inſtrumẽta autem ſunt illæ materiæ in cibo, potu &c. Vnde bene in illo libello, qui inſcribitur de Dynamidijs, dicitur, q. primum inſtrumentum eſt medicina, ſecundum ignis, tertium ferrum. Sed dicet quis, Hæc diuiſio eſt diuerſa ab illa prima. Reſpond. hoc eſſe, quia ad aliud reſpexit, nimirum ad ægritudines non in uniuerſum, ſed illas tantum quæ cum materia fuerant iunctæ, quæ propriè pertinent ad artem chirurgi-

rurgicam, in qua artifex primo utitur medicina, secundò igne, tertiò ferro. Diæta præterea tunc temporis erat sepulta, Hip. enim primus illam instituit, Asclepiades confirmauit, cùm Romani delicatius uiuere cœpissent. Deinde dicit Auicenna, seipsum declarans, REGIVM autem intelligimus in causis necessariò alterantib. quæ necessariò occurrunt. Has enumerauit in secunda Fen primi Can. & uocat secundùm usum occurrentes, quia nemo est qui his non utatur.

Sed dicet quis, tu dicis q in medicatione debemus uti trib. his generib. diæta, medicamento, & chirurgia, quodq; sub diæta sex illæ res necessariò occurrẽtes comprehenduntur. Et postea declarando dicis, EX quibus est nutriens. Innuis solum alimentum. ubi dimittis reliquas quinque causas? Respondet tacitæ dubitationi, subiungens, ET iudicia quidem regiminis ex parte qualitatum earum sunt proportionalia iudicijs medicinarum. Hoc est, quãuis etiam illa necessario occurrant corpori, non secus quàm cibus & potus, tamen quia alterant corpus humanum sua qualitate, ideo quando loquitur de medicinis, loquitur etiam de aëre calido, & alijs, quæ habent idem iudicium cum medicinis. Sed nutriens habet proprium iudicium, quia agit in humanum corpus secundum substãtiam, cùm modo augeat modo minuat, modo conseruet. Quo circa cùm proprium habeat iudiciũ, de illo separatim est agendũ.

Sed contradicat hîc quispiam, Tu dicis q alimentum

tum habet proprium iudicium, quoniam auget, minuit & conseruat, uidetur hoc contra Gal. primo de usu resp. ubi dicit, q. aër non tantum alterat, sed etiã nutrit substantiam spirituum, qui sunt partes humani corporis, quare aër etiam habebit proprium iudicium. Respond. q. aër cùm hæc duo habeat, q. alteret spiritus, & q. nutriat, quando alterat, reponitur in iudicio medicinarum, sicuti etiam reponuntur cibi quando calefaciunt uel refrigerant, quando nutrit, reponitur in loco cibi, & idem habet iudicium, quod nutrimentum. Sicut in libro qui inscribitur Pomũ, dicitur Aristotelem ex odore pomi per tres dies uixisse, si credere fas est.

NVTRIENS *uerò ex eis omnib. iudicia habet, quæ sunt ei propria ex modo quantitatis. Proposuerat in superiorib. Auicenna argumentum eorum quæ erat tractaturus in hac quarta Fen. Dixerat enim medicationem habere tres partes, diætam, medicamenta, & chirurgiam. Et quoniam in diæta continentur illæ sex res non naturales, hic tamen de cibo tantum & potu sit tractaturus, ideo cùm nunc uelit persequi institutum, rationem prius reddere oportuit, quare sic sit facturus. Et inquit, q. alia cùm alterent suis tantum qualitatibus ideo reponuntur in numero medicinarum. Quum autem alimentum habeat hoc proprium, ut augeat substantiam corporis humani, ideo de eo separatim agit. Et quoniam omnis ille qui docet, hoc agit uel definiendo, uel demonstrando, uel componendo, uel resoluendo, ideo*

etiam

etiam Auicenna idipsum agit, ita tamen obscurè, ut farrago præceptorum & Canonum potius quàm doctrina ordine suo ac methodo constans plurimis uideatur. Nos ut artificium Auicennæ euoluamus, in alimento primum, deinde in reliquis omnibus ordinem quem Auicenna sequutus est, uobis ob oculos ponemus. Incipientes ergo ab alimento, ea uia innitamur, quam Plato in Timæo & Gal. in de Placitis Philosophorum sequendam esse iubet, nimirum ut multiplex primò distinguatur. Itaque Auicenna hîc de alimento non pertractat, prout est materia alimenti, V.G. panis, caseus &c. sed intelligit artificium exhibendi alimentum, quodcunque illud sit. Materia autem alimenti habetur ex Galeno trib. libris de Alim. & ex secundo libro Auicennæ, etiamsi satis confusè, ut qui alimenta cum medicamentis commiscet.

Secundò sciendum est, q; alimentum dicitur semper ad aliquid alendum, nimium respectu animalis, quod ex eo ali atque nutriri debet, ut Gal. in lib. de Alim. testatur. Nos nunc de alimento hominis loquimur, non asini aut equi. Tertiò sciendum est, q; alimentum ex Hip. & Gal. in secundo de facult. natu. 9. dicitur uel propriè. Alimentum primo modo, quando sanguis est iam aßimilatus membris, & actu iam nutrit membrum. Alio modo dicitur, quasi alimentum, quando ille succus qui debet nutrire membrum est, agglutinatus membro, sed nondum unitus, neque aßimilatus, & ideo dicitur quasi alimentum,

scilicet

ſcilicet in potentia proxima ut fiat alimentum. Tertio modo eſt Alimentum impropriè ſumptum, quando ſanguis eſt adhuc in uenis, uel in uentriculo chylus. Eſt præterea alimentum maximè remotum illud quod extrinſecus accedit, V.G. panis, uinum &c. & potius alimenti materia, quàm alimentum dici meretur. Nos uerò hîc de alimento remoto & externo loquemur, nimirum qua arte & ratione adminiſtrari debeat atque exhiberi ægrotis. Poſt diſtinctionem igitur ſignificationis ipſius Alimenti, quia alimentum cum medicamento in eo conuenit, quòd utrunq; per os exhibetur, idcirco nunc in quonam à ſe mutuo differant explicandum eſt. Eorum igitur quæ ſumuntur per os quædam uertuntur in ſubſtantiam corporis cui adhibentur, quædam corrumpunt corpus, quædam medio modo ſe habent. Quæ uertuntur in ſubſtantiam corporis nutriti, dicuntur Alimenta, quæ corrumpunt ſubſtantiam, dicuntur uenena, quæ medio modo ſe habent, dicuntur Medicamenta. De ueneno & medicamento ſuis locis dicemus, earumq; ultimas differentias diuidendo perſequemur. Hoc uerò in loco de alimento nobis ſermo erit. Sciendum igitur, quòd alimentum conſideratur uel ſecundùm propriam ſubſtantiam, uel qualitatem, uel quãtitatem, uel modum utendi. Fuit hæc diuiſio Gal. prima aph. quarto aphoriſmo. Oportet quòd in ſingulis his rectè uerſamur. Primo igitur quantum attinet ad ſubſtantiam, conſideratur ſubſtantia uel prout facit bonum ſuccum in corpore humano, uel ut malum. Succus autem

tem dicitur ille, qui extrahitur à cibo, & uertitur in substantiam nutriti, qui Græcis dicitur chymus. Chymum autē distinxerunt antiqui à chylo, quod chylus est primus ille succus, qui conficitur in uentriculo, cremori ptisanæ similis. Qui postea confectus in hepate, simul cum quattuor illis humoribus, Chymus appellatur. Quando igitur dico cibum boni succi, intelligo cibum boni Chyli. Possumus *igitur considerare alimentum ut facit bonum Chylum uel malum, uel ut facit multum succum uel paucum, & in hoc semper consideratur substantia.* Vel *consideratur prout tendit ad uētriculum, & facile uel difficile concoquitur, uel allocatur facile uel difficile distribuitur per uenas: & hinc nascitur ea differentia, quod alij cibi sunt concoctu faciles, alij difficiles, &c.* Po*stea ut cibus in uētriculo facile uel difficile putrescit. Alius leuis est et supernatat alius propter grauitatē descēdit, istæ sunt differētiæ quæ sumūtur penes substantiam alimenti. Sunt autē quædam, quæ omnia habent simul bona, quædam quæ omnia mala, quædam aliqua tantum.* Habent *omnia bona, ut caro perdicum, phasianorū, & pullorum. Quæ autem habent omnia mala, dant malum nutrimentum & paucum, nec bene cōcoquuntur, nec bene distribuuntur, facile putrescunt et supernatant, ut fructus horarij. Secundo consideratur, qualitas in adiuncto.* Nam *cibus habet suas qualitates.* Et *primò primas, quod quidā cibi calefaciunt, sicuti caro columborum: alij refrigerant, sicuti lactucæ, caro ranarum, & testudinū,*

& feri

& ferè omnes pisces.secundo quoad secundas qualitates,quidam sunt cibi boni odoris,alij mali odoris. Et *hæc plurimum faciunt in medicina.* Consideratur *etiam secundum sapores,qui duo tantum sunt naturales,ut* Gal. 5.*de simp.cap.ix.testatur.* Reliqui *sunt medicamentosi.* Naturales *illi sunt, dulcis & pinguis; addit* Theophrastus *saporē uinosum.* Amarus *autem sapor,salsus,acris.& aliqui,sunt medicamentosi.* Et *ideo dicit* Gal.*q̃ quanto res aliqua est acerbior,amarior,uel acidior, tanto minus nutrit, quia signum est,q̃ habet minus de nutrimento,magis autem de medicamento.* Videmus *etiam q̃ quæ sunt alba,ferè adferunt maius nutrimētum,quàm quæ sunt nigra,dico autem ferè,quia caro pauonum est alba, tamen propter plurimas fibras generat humores malos & melancholicos,& ideo in coloribus non faciēda est aliqua uis.* Hic *est modus considerandi cibos secundum qualitatem.* Deinde *considerantur etiam cibus secundum quantitatem:& tunc uel consideratur quantitas molis,uel quantitas uirtutis: ut si quis sumat tres libras olerum,minus nutrietur; quàm si acceperit libram carnis perdicum.* Et *ut docet* Gal. *prima apho.quarto:cibus uel est plenus, qui auget corpus,& impinguat,ut caro porcorum, uinum nigrum,& panis non fermentatus,hic est cibus plenissimus.* Oppositus *est tenuis, qui minuit corpus, uel uirtutē, uel utrumque.* Nam *quando est tenuißimus, minuit corpus,& uirtutem,ut aqua cum melle.* Vel *minuit corpus tantum,ut ptisana non colata.* Quan

doque

doque autem conseruat, ut uictus medius, & conuenit in ægritudinibus chronicis.

Tertio consideratur cibus secundum modum utẽdi; nam quandoq; exhibetur semel in die, quandoque bis, quandoque sæpius, quandoque rarius. Quidam etiam exhibentur una hora, alij alia. Et hoc est totum caput & methodus considerandi cibum secundùm omnem eius considerationem, usque ad ultimas differentias, ut singulis suis locis declarabimus.

Cùm intentio sit agere de alimento, uidelicet de artificio rectè exhibendi alimentum ægris, ideo necessarium fuit ut omnia doceremus secũdum rationẽ, ut distingueretur ipsum alimentum secundum omnes suas differentias. Nam consideratur alimentum uel secundum substantiam, uel secundum qualitatẽ, uel secundum quãtitatẽ, uel secundum modum utendi, ut iam supra abunde dictum est. His suppositis, subsequenter modo Auicenna præsupponens ita omnia, ad rem accedit, & dicit, quòd nutrimentũ quandoque prohibet, quandoque æquat, quandoque minuit, quandoque etiam auget. Incipit Aui. ab ipsa quantitate, quoniam est ita annexa quantitas ipsi substantiæ, etiam apud philosophos, ut non poßit separari, sed præcipue in cibo, nam per auctionem cibi, augetur corpus. Ob id incepit à quantitate, ut ab annexo substantiæ, quia est annexum alimentum substantiæ: ut enim in diuisione diximus, quoddam alimentum in substãtia generat multum succum, quod dam paucum. Quare fuit necessarium mensurare

ſubſtantiam cum quantitate, quoniam magnum & paruum ſunt differentiæ quantitatis. Ob id aliqui *etiam hic dubitant ſed propter hoc ſciendum, quòd alimētum (ut diximus) ſemper dicitur ad aliquid: & ſicut genus refertur ad aliquid, etiam differentiæ referuntur ad aliquid.* Ex hoc *habetis, quòd cum ſint genera alimenti, ſubſtantia, quantitas, qualitas, & modus utendi, quando conſideramus ſubſtantiam, referimus alimentū ad ſpēm humanā quādo cōſideramus quātitatē, licet ſit iſta annexa ſubſtantiæ, tamē cōſideramus illā in relatione ad uirtutē, & ad ſtatū morbi. hæc eſt differentia inter conſiderationem ſubſtantiæ alimenti, & quantitatis.* Qualitas *uerò (ut compleamus omnes relationes) refertur ad naturam corporis in indiuiduo, cui datur alimentum: unde alicui conuenit alimentum calidum, alij frigidum, alteri humidum, & ſic de cæteris qualitatibus & primis & ſecundis.* Modus *autem utendi, conſideratur in relatione ad ipſum motum morbi ſimul cum uirtute.* Exēpli *gratia: ubi morbus habet paroxyſmos, uel non habet; ubi morbus eſt acutus, uel non acutus; ubi eſt morbus cum forti uirtute, uel cum debili, iſtæ ſunt relationes, quæ maxime faciunt pro inſtructione noſtra.* Auic. *igitur uolēs dare artificiū rectè utēdi alimēto, incipit à quātitate, et dicit,* CIBVS *quandoque prohibet, quandoque minuit, quandoque æquat, quandoque auget.* Gal. *longe clariorem facit hanc diſtinctionem prima apho. 4. & dicit, quòd cibus quandoque eſt tenuis, quandoque medius, quandoque*

doque plenus. Tenuis cibus apud Galenum & Hippocratem habet tres gradus: uel tenuißimus, nimirum nihil dare, est quod ab Auic. dicitur prohiberi. Deinde est tenuior, & est dare aquã mulsam, & nihil aliud, uel ptisanam colatam. Tenuis autem est dare ptisanam non colatam. Medius cibus est, ut si quis accedat ad ouum sorbile, (loquor secundum nostram ætatem, & nostros mores) & panatellam in iure pulli: cibus plenus est, cùm damus carnes pullorum, oua sorbilia, & uinum, & panem. Dicit modo Auicenna, quòd cibus tenuis minuit, medius æquat, plenus auget. Quæ omnia ut intelligantur, faciendus est discursus, & ideo notetis, quia hæc nõ uidebitis apud quempiam. Vbi ad ægrum aliquẽ accedimus, quatuor sunt cautè attendenda. Primo uirtus, quia tunc etiam considerando uirtutem, considerabimus compositionem: secundo considerandi sunt humores boni, qui sunt in corpore: tertio humores qui sunt præter naturam: quarto essentia morbi. Quibus cõsideratis, oriẽtur inde indicationes operandi. Semper autem consideranda sunt primo hæc simplicia, deinde composita. Primo igitur consideramus uirtutem. Si nos debemus sumere indicationẽ a uirtute, sciendum est, quid sit uirtus: nam à natura rei debet omnium sumi indicatio agẽdorũ, aliter nihil efficiemus. Docet Gal. xii. Meth. curare ægrum & nutrire per indicationẽ sumptam à uirtute, sed prius docet quid sit uirtus, & inquit, uirtus est æqualitas tam in spiritibus, quàm in membris solidis. Ista sunt

duo principalia, & si etiam necessariò debeat esse æqualitas in humoribus, ad hoc ut sit uirtus optima. Vbi igitur erit conueniens æqualitas in temperatura, in spiritibus, & solidis membris, erit uirtus optima. Non *agnoscimus igitur quid sit uirtus, & gradus uirtutis, nisi agnoscamus spiritus, & membra solida in sua quantitate & temperatura. secundo cõsiderandi sunt humores naturales in corpus secundùm debitam proportionem inibi existẽtes, sanguis, pituita, bilis, & melancholia. tertio cõsiderandi sunt humores præter naturam, neque.n. sine horum cognitione curare possumus.* Nam *non curatur morbus, nisi remoueatur causa: in humoribus autẽ præter naturam semper ferè causa morbi sita est.* Humo*res aũt præter naturã uel sunt crudi, cum priuantur calore, uel calor agit plus quàm oportet in ipsos humores, & eos adurit. quarto & ultimo considerãda est essentia morbi, an scilicet sit in complexione simplici uel composita, cum materia, uel sine materia, uel an sit in compositione, aut in soluta unione, & sic ad infimas usque species est deueniendum.* Hæc *igitur pro fundamento in quocunque quẽ curare uolumus supponenda sunt, & primo nos exerceamus in simplicibus indicationibus; deinde in cõpositis.* Virtus *igitur uel erit ualida & fortis, uel imbecillis. Si fuerit fortis, est uirtus in se, quæ indicat statim quòd debet conseruari.* Virtus *autem conseruatur cum his quæ æquant, cum cibo, qui appellatur* Medius *à* Galeno: *si autem uirtus est debilis, gradus*

imbecillitatis est considerandus. Vel.n.est imbecillis, sed tamen mediocriter: ex eo, quòd est diminuta à statu naturali, oritur indicatio, quod debet augeri, ut accedat ad suum gradum naturalem: quare indiget hoc loco cibo pleniori, sed ita debet esse plenus, quatenus uirtus mediocriter est imbecillis: quare cibus debet esse multi succi, non tamen multæ quãtitatis in mole, sed multi nutrimenti, quoniam indigemus augmentatione in uirtute, & cibus plenus est qui àuget uirtutem; ut ouum sorbile, uinum; quæ non sunt in multa quantitate in mole, à qua quantitate molis, uirtus aggrauaretur. Præterea debet esse boni succi iste cibus, quoniam bonus succus facit bonos spiritus, & reducit membra solida. Debet esse facilis concoctionis, quoniam concoctio fit a uirtute, quæ cùm sit imbecillis, non potest concoquere, etsi esset facilis digestionis. Debet esse etiam facilis distributionis, quia nisi facile distribuatur, erit tarda concoctio, ideo posset resolui uirtus, antequam restauraretur. Debet autem cibari secundum consuetũdinem, quoniam remouere a consuetudine propria hominem, malum est. Quare si esset consuetus in sanitate bis in die cibari, bis in die cibetur; quia uirtus nõ est ita imbecillis, ut simus coacti augere uicẽ. Si uerò fuerit uirtus imbecillis, ut prosternatur, & iniiciat nobis timorem, oportet augere alimentum in uirtute, & minime in mole: quare conueniunt oua sorbilia, & aqua carnis, caro destillata, quæ forte tamen non est ad propositum. Sed quicquid sit,

ego facio exprimere succum carnis, & bene mihĩ succedit, quia citò nutrit, & multum, & est cibus paucus in mole. Vinum etiam subtile nutrit. In ui- *cibus autem pro modo utendi debemus multiplicare uices, aliter aggrauatur natura, urget res, et iõ partiendus est cibus secundum gradum imbecillitatis, ut ter, quater, quinquies & sexies etiam.* Istos au- *tem gradus particulares non possumus docere; sed officium est boni medici illos cognoscere.* Iste est mo- *dus exhibendi cibum, respectu ad uirtutem.* Vbi au- *tem uiderimus bonos humores, & ipsi dant suas indicationes in nutritione. nam uel aucti sunt in quantitate, uel diminuti, stantes tamen in sua bonitate. Quandoque enim contingit quòd augeantur, ut in corporibus athletarum, & ego uidi 3. aut 4. homines suffocatos præ bonitate humorum in maxima copia existentium; & ideo appellatur habitus periculosus ab* Hippocrate. *si igitur aucti fuerint boni humores, debemus dare paucissimum alimentum, & quoad molẽ, & quoad uirtutem, quoniam adest intus alimentum in his.* Diximus *enim alimentum esse in triplici differentia.* Isti *habent igitur alimentum intrinsecus, ideo non indigent externo alimento.* Neque *oportet hîc considerare facilitatem cibi in concoctione, uel in distributione, sed debet esse cibus paucus, & raro exhibendus.* Si *autem isti humores fuerint diminuti, oportet quòd exhibeamus alimentum multum quoad uirtutem, paucum autem in quantitate molis: & eandem sumimus indicationem, quam*

sumpsi-

sumpsimus à uirtute imbecilli, sed non in ultimo imbecillitatis. Si uerò humores fuerint præter naturam, uel erunt crudi, uel concocti. Si fuerint crudi, nihil dandum, quoniam ille homo non solùm habet humores quibus potest ali, imo illos etiam habet, qui indigent concoctione. Quòd si daremus cibum, impediretur natura à cōcoctione illorū, & putrescerent. Sic audiui de quodam Anglo, qui erat cum Imperatore, quòd manserit per duos annos sine cibo. Sicuti uidemus Vrsos in tota hyeme latere sine cibo. Quare ubi sunt humores crudi, nō debemus cibū exhibere, quatenus humores crudi sunt, (sumo indicationes simplices nunc,) Sed si humores fuerint corrupti, putrefacti, uel adusti, alio modo procedēdum, quia dandus est cibus sæpe & multus, sed humidus, sicut iuscula, et debemus dare pluribus uicibus, quia qui habent corruptos humores, habent imbecillam uirtutem: quæ non poterit tolerare in una uice, quātum sufficit pro humoribus illis corruptis. Sed ipsi humores necessario requirunt crebram restaurationem, ut humores qui sunt deprauati contemperētur, uerbi gratia iure pulli iunioris. Nam secundùm Galenum ius pulli contemperat humores acriores. Aparet hoc in diaria ex humore bilioso, in qua plurimum prodest ius pulli pinguis. Vnde diætare ubi sunt humores corrupti, est interficere ægros. Et hic est error communis.

Consideranda esse a quócunque perito medico quatuor, supra ostendimus, quæ erant, uirtus,

boni humores, humores præter naturam, & morbi essentia: & ostendimus quomodo sumerentur indicationes in cibando ægro, indicatione sumpta à uirtute, & ab humoribus naturalibus. In*ceperamus illud mẽbrum, quõ sumatur indicatio ab humoribus præter naturam cibandi ægros.* Diximus *igitur, quòd humores præter naturam considerantur uel in substantia, uel in modo substantiæ.* In *substantia, uel sunt crudi, uel corrupti; in modo substantiæ, uel sunt tenues, uel crassi.* Et *quando humores sunt crudi, ostendimus nihil esse dandum.* Quando *autẽ sunt humores corrupti, sunt cibandi ægri multo cibo, et sæpe, propter contemperantiam ipsorum humorum.* O*stendimus præterea, quomodo istæ indicationes sunt simplices.* Nam *quando dicimus humores corruptos indigere alimento multo & sæpe, considerãmus humores in se: quia postea uidebimus, quomodo debet intelligi* Apho. *Impura corpora quo magis nutries &c.* Humores *igitur corrupti sunt putrefacti; at ut dicit* Arist. 4. Meteor. *quæ sunt putrefacta, habent calorem naturalem diminutum, calorem autem præter naturã plurimum, qui quidem est causa putrefactionis.* Cum *igitur putrefactio sit talis, quòd habet diminutionem caloris naturalis, & multum caloris præter naturam, si exhibebimus multum cibum humidum, primo cum illo humido extinguemus calorem præter naturam, & dum uertitur in alimentum, confortat calorem naturalem, qua utraq; re indigemus, & hoc est contemperare humores,* Galen. 9. Met.

Meth. ubi loquitur de euacuatione per missionem sanguinis, dicit q, ubi humores sunt in corpore corrupti, adest imbecillitas uirtutis, ut non possimus euacuare, neque mittere sanguinem, quia uirtus nō tolerat: quare in hoc casu indigemus optimo medico, & dicit ibi faciendam esse epicrasim, sed non docet, quomodo sit facienda epicrasis, docet tamen in primo Aphorismorum uigesimoseptimo, neque consistit in contemperantia ipsorum humorum. Quare debemus alere cum multo alimento, & sæpe, dummodo alia consentiant, nobis nunc satis sit simplices persequi indicationes. Hæc satis dicta sint ad indicationem generalem de humoribus præter naturam. Quartò sequitur essentia morbi. Quo in loco scire debemus, quòd morbus nihil habet cum cibo, quia ex tertio Meth. in princ. non aliud indicat morbus, nisi ut curetur: & ideo de nutrimento nihil est dicendum pro morbo, nisi per accidens, quatenus causa sine qua non, quia scilicet æger non potest uiuere sine cibo, qui debet esse talis, ut cōueniat morbo, atq; ita potius requirit qualitatem cibi morbus. Cibus autem cùm consideratur secundum qualitatem, consideratur non ut cibus, sed ut medicina cibalis. Talis cibus conuenit ipsi morbo. Quare primo oportet uidere quid sit morbus. Nam si erit morbus in complexione, uerbi gratia, frigida & humida, utamini cibis calidis & siccis, & semper utamini cibis habentibus oppositam qualitatem ipsi morbo. Si autem sit morbus in compositione, ut si sit obstructio, utemur cibis

*amaris,qui aperiant obstructiones,utemur etiam cibis tenuis substãtiæ.Si est laxitas in aliquo membro, utemur stypticis,& sic de alijs.Sed deferimus in prima diuisione,quãdo diximus,q humores præter nãm considerantur etiam in modo substantiæ, & hoc dimisimus.*Dicimus igitur,*quòd ubi humores erunt tenuis substantiæ,utemur cibis crassis,ut farre,et similibus.*V*bi autem humores fuerint crassi, utemur tenuibus cibis,ut pipere.* Et *sic habemus omnia illa quatuor genera, & quomodo ab illis sumantur indicationes simplices cibandi in uniuersali.* SED *non prohibetur,nisi cum medicus uult, ut natura occupetur in maturatione humorum.* Postquàm Auic. *proposuit de quantitate cibi,illas differentias generales,& dixit q cibus uel prohibet, uel minuit, uel æquat, uel auget,respiciẽdo ad uirtutem:nunc modo docet,quomodo prohibet cibus,& cur,& quando,& dicit,sed non prohibet cibus.sciendum, q duplex est cruditas.*Prima,*quando humores non habuerint concoctionem a natura in uentriculo, ut possint uerti in substantiam nutriti.*Et *apparet sæpe signum horum humorum in urina;uidetis enim in fundo tanquam farinam quandam,quos humores appellãt* κριμνώδη, *quoniam uidentur similes cuidam pulticulæ, & qui habent tales humores,non sunt cibandi, neque pharmacandi,ut suprà diximus.* Alij *dicuntur humores crudi,non quia non habeant concoctionem in uentriculo,sed quia aggregantur in uenis,ut bilis, pituita, & melancholia,mixti simul cum sanguine, & non*

sint separati,quos natura postea separat concoquendo:quandoque igitur sunt humores in uenis,qui non effugerunt primam concoctionem in uentriculo, neque secundam in hepate, sed sunt in uenis, & non possunt separari,ideo dicuntur crudi cruditate secũdo modo dicta,& impropriè. Et *intelligendo cruditatem hoc modo,etiam abstinebit æger a cibo, quia isti humores faciunt acutas ægritudines.* Primi *enim humores crudi non faciunt morbos acutos, nisi ratione loci,ut epilepsiã in capite(etsi proprie epilepsia nõ sit morbus,sed accidẽs.)* Cruditas *uero secundo modo dicta,quando scilicet humores crudi sunt mixti cum sanguine,facit morbos,& eos quidem acutos: in quo casu non debemus dare cibum.* Sed *hic dubitabit quis,* Quia *dicebã,quòd humoribus crudis & corruptis debetur alimentum.* At *in ista secunda cruditate contingit sæpe,q̃ sint etiam humores corrupti, ut uidemus in angina & in synocha cũ putredine esse humores putridos,& tamen utimur diæta,& non cibamus.* Dico,*q̃ ipsi humores crudi,ut crudi sunt,indicant nihil cibi esse dandùm.* Corrupti *autem indicãt ut cibetur.* Sed *in* Synocha *humores illi sunt corrupti,& quantum in se est,indigerent alimento,ad con temperantiam sui.sed hic est humor in magna copia, genere causæ antecedentis, estq; ille & hoc sanguinis mul tus,qui est in periculo,ne putrefiat,nisi cõcoquatur,& ideo oportet q̃ concoquatur,& propterea nõ est cibandus æger.* Quia *ut dicit* Aui.*natura occupabitur in digestione cibi, & derelinquet humorem* il-

illum crudum,qui putrescit, sicq́; fiet adhuc morbus sæuior. Et ideo melius est,nō cibare,quàm prouidere humoribus corruptis. Quòd autem uerum sit, ꝙ corrupti humores, ut corrupti sunt,requirāt alimentum,uideri pōt in febrib.pestilētib.quis.n.est,qui utatur diæta tenui? Dicit enim Auicenna,quòd ut plurimum sanantur,qui plurimum & sæpe comedunt, nec tolerant isti ieiunium. Notum est,ꝙ febres pestilentes sunt cum maxima putredine,quæ est in tota massa sanguinis,& ideo si non cibaremur,statim exacerbaretur illa putredo,quare debet ille calor igneus cō temperari cum cibo humido, & corroborari calor innatus,qui deficit,& debilis est. Itaque in febribus pestilentibus debet exhiberi cibus sæpe & optimæ substantiæ:talia sunt humida actu & potentia, ut contusum cum acetosa,quia oportet etiam aliqualiter exsiccare, propter putredinem : ob id isti dant syrupum de acetositate citri,& bene,quia humectat et contemperat calorem igneum , exiccat insuper ipsam putredinem. IN maturatione. Dicit, In maturatione,& bene , quoniam maturatio & concoctio differunt:sicuti genus a specie. Cōcoctio enim habet tres species,maturationem,elixationem, & assationem. Igitur tria quoque erunt opposita,cruditas quæ est opposita maturationi,μολυνσὶς quæ est opposita elixationi,assationi autem opposita est στατεύσὶς; quod nomen latine efferre non possum. Maturatio propriè est in fructibus, in pericarpio.s. in quo calor solaris conficit alimentum,& maturat fructus.

Itaque per metaphoram tantùm dicuntur maturi humores & abscessus, quando deueniunt ad maturationem, & separatur, utile ab inutili. Elixatio *autem fit a calore in aliquo humido: sic in uentriculo semper fit elixatio, quia commiscetur humidum cum sicco, & humidum feruet, ope calcis. Assatio fit a ualido calore, & sic sanguis uertitur in substantiam ossis. Quare in corpore humano est maturatio, elixatio, & assatio.* Ob *id dicit* Auicen. Prohibebis *cibum, quando humores sunt crudi, ne natura diuertatur a maturatione humorum crudorum in uenis existentium, quoniam tunc fierent sæuiores morbi & maligni magis.* Hactenus *igitur docuimus, quomodo* Aui. *instituerit tradere artem exhibendi alimenti ipsis ægris, insuper ad quid referatur alimentum, & quòd multipliciter consideratur, quodq́; consideramus alimentum futurum in potentia remota nutrimẽtum.* Et *diximus quod cibus consideratur, uel secũdũ substantiam, uel secundum quãtitatem, uel secundũ qualitatem &c.* Quibus *uisis ostendimus postea quomodo* Auic. *applicat cibum consideratum secundum quãtitatem ipsis ægris, & diximus quare incepit ab ipsa quãtitate; præterea ꝙ cibus in qualitate, dicitur, uel plenus, uel tenuis, uel medius, & quõ ista tria referantur ad uirtutem, ut optime declarat* Gal. *1. aph. 4.* His *aliud suppofuimus, quomodo nimirum cibo his tribus modis considerato sit utendum, quodq́; cibus uel refertur ad uirtutem, uel ad humores bonos & malos: & quomodo tres indicationes, quatenus*

nus simplices sunt, referuntur ad hæc tria. Accedamus *modo ad rem nostram, q; cibus quandoque prohibet.* Posset *aliquis dubitare, cum diuiserimus cibum penes tria tantum, & hic uideantur esse quatuor, et nunc uidebimus rationem.* SED *non prohibetur nisi cùm medicus.* Iam *incipit dare regulam applicandi cibum secundum qualitatem.* Quare *hic sciendum est, q; cibus tenuis dupliciter dicitur a* Gal.*loco allegato. dicitur tenuis absolutè, & appellatur ab eo tenuißimus, quando omnino nihil datur, uel solũ aqua mulsa. secũdo dicitur tenuis, non absolutè, sed secundum quid, et est dare aliquid, quod tamen minuit uirtutem, ut si exhibeas cremorem ptisanæ, quẽ appellat* Aui. *in prima quarti aquam hordei. i. succum expressum ab hordeo, nõ aquam nostram.* Tertio *dicitur tenuis, sed magis copiosus, ut quãdo damus ptisanam, sed non colatam, uel quando damus panẽ lotum, aut panatellam.* Isti *sunt tres gradus tenuitatis.* Modo *hic* Auic. *illud primum membrum, tenuẽ, scilicet cibum, diuisit dupliciter, uel prohibere, uel dare aliquid, sed parum, sed totum hoc* Gal. *appellat tenue, & sic non est discordia inter* Gal. *&* Auic. Ad *rẽ, tenuis ille cibus absolutè est res simplex, quod est nihil dare, cùm igitur sit quoddam simplex, dabit, simplicem indicationem, ut nihil demus.* Diximus, *si rectè memoria tenetis, humores crudos indicare, nihil esse dandum: nam cùm humores crudi indigeant coctione, quando prohibetur cibus, dirigimus intentionem nostram ad humores crudos, ut concoquantur:*

&

& ideo ne calor distrahatur ad concoctionem cibi, nihil damus. Sed ubicunq; recedimus ab hac simplici indicatione, hoc facimus propter aliquod mixtum & compositum, & damus aliquid, quod tantum minuit uirtutem. In hoc casu facimus duo, nutrimus, & minuimus uirtutem, quare cùm duo agamus, indicationem habemus compositam. Diximus quemadmodum absoluta indicatio aliquid dandi, principaliter sumitur ab ipsa uirtute, ut humores crudos indicare q; nihil detur, uirtutem autem q; aliquid detur. Quando igitur damus aliquid, sed parũ, damus aliqd propter uirtutem sustinẽdam, parum autem propter humores crudos, ut concoquantur. Hoc est quod dicit *Auic.* ET *non minuitur, nisi quando &c.* VIRTVTEM *custodirẽ. Quia est indicatio mixta sumpta indicatione a uirtute, dat aliquid, ut custodiat uirtutem, indicatione sumpta ab humoribus crudis, dat parum.* ERGO *inquantum nutrit custodit partem uirtutis.* Hoc *iam est declaratum.* IPSE *quoque semper sit sollicitus de eo quod magis suspectum est, et est uirtus, si fuerit ualde debilis. Cum ista igitur duo sint extrema q; scilicet debeamus exhibere cibum, sed paucum, & in hoc sint multi gradus, ut dare aquam mulsam, uel ptisanam colatam, uel non colatam, oportet q; in istis sit aliqua limitatio. Ob id, dicit* Auic. *oportet q; uideamus, an magis debemus esse soliciti de uirtute, uel de humoribus crudis. Nam si fuerit uirtus ualde debilis, tunc magis nutries, imo quandoque humoribus crudis contem-*

temptis etiam in principio paroxyſmi eſt nutriendum. Si autem uirtus fuerit parùm affecta, et ſit multa copia humorum crudorum,tunc dabis parum admodum cibi. AVT *ſi ægritudo fuerit multum &c.* Hic *uidetur eſſe dubitatio:quoniã* Auic.*hic limitat quantitatẽ,ſumpta indicatione ab ægritudine,quod tamen non diximus:& tamẽ id etiam confirmat* Hippo.*prima* Aph.*ubi cibos moderat, habito reſpectu ad ægritudinem, in 5.præſertim* Aphoriſmo. Q*uare etiam morbus ultra illa tria dat indicationem.* Dicimus,*quòd morbus non dat aliquam indicationem,ſed bene ſumitur ab ipſis temporibus morbi,per accidens tantum,quia in longo morbo indigemus forti uirtute,in breui non ita forti.* Q*uare primo & per ſe ſumitur indicatio à uirtute.* Et *ita ſunt tantùm tria,quæ dant indicationem augendi & minuendi quantitatem cibi, uirtus .ſ. boni humores, & mali humoris.* NVTRIENS *quoque ex duabus minuitur partib.*Vna *earum eſt ex parte quantitatis,altera qualitatis.* Auic.*cùm loquatur de artificio exhibendi cibum in quantitate, cumq; dederit modum generalem, quando debeamus nihil dare,uel parum dare,cumq; uelit iam particulariter magis de hoc loqui,diſtinguit quãtitatem cibi,& dicit aliã eſſe quãtitatẽ in mole,aliã quãtitatẽ in qualitate ſeu uirtute.*Loquitur *de cibo,qui poteſt coqui in uentriculo:qui poteſt conſiderari uel ſecundum quantitatem molis,uel ex parte uirtutis ipſius formæ ſeu qualitatis eſſentialis.*Nos *igitur dicimus, cibum*

bum esse multum in quantitate molis, quando .s. replet uentriculum: cibus uero multus in uirtute est non ratione repletionis & ponderis, sed refertur ad uirtutem & ad augmentum quod fit in membris, (augmentum enim fit secundum formam.) Quando igitur cibus talis est, q̃ potest facere augmentum secundum formam in membro, consideratur hoc modo secundum formam. His igitur duobus modis considera *tur cibus, exempli gratia, quando aliquis cibus in multa quantitate materiali congeritur in uentriculo, & postea elicitur succus paucus qui faciat ad alendum, in isto cibo est multum materiæ, parum autem uirtutis. Quando autem cibus est paucus in quantitate molis, sed elicitur multus succus, talis dicitur esse paucus in quantitate materiali, multus autem in uirtute, exemplum primi, sunt olera omnia; secundi, sunt oua sorbilia, testiculi gallorum, qui plurimum nutriunt, cùm tamen pauca sint in quantitate molis. Sunt modo quædam, quæ habent utrunque extremũ, hoc est multam quantitatem, & multum alimentum, ut est caro porcina, uel panis optimus, ex optima farina, fermentatus, & non fermentatus. Quædam uerò sunt opposita, in quantitate & in uirtute pauca, sicut caro uaccina, bubula antiqua, panis fabaceus, miliaceus, furfuraceus: hæc enim ingesta non nutriunt, etiamsi in multa quantitate dentur.* Hoc *est quod, dicit* Auic. H*is declaratis, incipit* Auicenna *tradere* Methodum *particularem, quomodo cibus secundum uirtutem & secundum materiam ægris applicetur.*

Multi indigent multo cibo in quantitate , & pau-co in uirtute;sunt qui opposito indigent . Quando autem,& quomodo,docet Auic.Facta igitur hac di-uisione,dicit quòd sæpe contingit nos indigere cibo in quantitate molis multo,in uirtute uerò pauco: ut quando humores sunt in uenis crudi . Vidimus enim quòd talibus humoribus in uenis existentibus, datur indicatio,non esse cibandum.Sed si uentriculus fue-rit talis,qui famem non toleret , et qui nisi cibare-tur,a uenis mesaraicis et uenis proximis malos humo res attraheret,tunc ægrum cibare cogemur. Quare dabimus cibum multum in quantitate molis, ex hoc enim saturatur uentriculus, & quia elicitur paucus succus,non nutrimus hominem , & ideo exhibentur olera. Notandum autem,cùm dicimus, ubi fuerint hu mores crudi , crudos humores esse in duplici differẽ tia. Vel enim sunt crudi , ut pituita,quæ aliter non potest concoqui,uel sicut est cibus crudus,qui non at-tigit ultimam concoctionem , propter debilem calo-rem. In hoc igitur casu, ubi fuerint humores crudi hoc modo dicti,non debemus cibare ægrum,quia etsi uentriculus traheret illos,tamen non concoqueret ni si esset alia ægritudo in uentriculo . Sed ubi in uenis fuerit plurimum de bile,uel de humore melancholi-co,diximus secundo modo hos humores esse crudos , & separandos esse a sanguine,in hoc casu indigemus alimento;quoniam etsi natura debet occupari in se-paratione,non propterea debemus tenere uentricu-lum uacuum,quia trahetur bilis & melancholia in uen-

uentriculum, & sanguis retinebitur in uenis bonus, et sic replebitur uentriculus malis humoribus: quocirca in hoc casu debemus exhibere cibum multum in quantitate, paucum in uirtute. Sciendum igitur, quod una est indicatio uniuersalis, quæ semper & perpetuo indicat nobis semper dandum esse cibum, qui sit paucus in uirtute, & multus in quantitate; & est, quoties totus habitus corporis non indiget alimento, imo indiget diminutione. Quando tamen uentriculus non potest tolerare famem, in hoc casu eligemus cibum multum in mole, & paucum in uirtute, sic enim saturamus uentriculum, qui occupatur in concoquendo illum cibum, & elicit succum illum paucum. Ideo debet esse cibus paucus in uirtute, quoniam membra non indigent alimento. Ista est indicatio generalis, quæ nunquam fallet nos. Possent modo contingere plures particulares casus, ut si quis habet humores crudos, aut si quis habeat uenas repletas bonis humoribus, in hoc casu non indigemus alimento, nihilominus uentriculus uult se ipsum exercere, & suum opus in aliquo perficere: quare cibandus est cibo multo, in mole, pauco uerò in uirtute, ut uentriculus saturetur, & corpus nō nimis nutriatur, aliter facile incidet in syncopē. contrarium uero est, propter contrarias rationes. Quandoque indigemus cibo pauco in quantitate molis, & multo in uirtute, ut ouū sorbile: hoc autem fit propter indicationes oppositas, quotiescunque membra ipsa indigent alimento, uentriculus tamen est debilis, & habet nauseam, nec po-
 test

*ex parte subiecti:quemadmodum docet Gal.in lib.an ars tuendæ sanitatis spectet ad medicum &c.*Dicamus *igitur,q; cibus pauci alimenti, & multæ molis, uel substantia cibi considerata penes multum & paucum,penes bonum & malum, uel nutrimentum paucum,& multum si sumitur in substantia,ita intelligi debet,quando uentriculus concoquens elicit multum succum,& talis cibus est multi nutrimenti, cibus autem pauci alimenti est, quando uentriculus elicit parum succi,hoc autem accidit propter similitudinem uel dissimilitudinem formarum. Quare cibi multi nutrimenti est similis ualde forma cum forma corporis, quod debet nutriri, cibus autem pauci nutrimenti non est ita similis in forma corpori, qđ debet nutriri. Quòd autem sit cibus uel mali nutrimenti,uel boni nutrimenti,(quia stat q; sit bonum et multum,& malum & multum) hoc prouenit uel à modo substantiæ uel a qualitate.*A *modo substantiæ, quando cibus est uiscosus & terrestris,sicut caseus, caro bubula, uel propter grauitatem nimiam, ut olera,hæc enim omnia sunt mali nutrimenti.* Igitur *potest esse cibus multi nutrimenti,sed mali.* A *modo substantiæ,quia oportet q; substantia sit moderata, si debet esse boni succi.* A *qualitate etiam, sicut in qualitatibus primis,cibus nimis calidus, frigidus,humidus, aut siccus, uel in secundis qualitatibus, ut cibi fœtidi,amari,salsi,quos uentriculus respuit, fit ex istis succus malus.Hæc oportebat supponere.secundo est sciendum,q; cibi cùm considerantur secun-*

dum substantiam, considerantur ut cibi. secundum qualitatem autem cùm considerantur, considerantur ut medicinæ. Tertio sciendum, q; quædam est fames naturalis, quædam præter naturam. Fames naturalis, ut docuit Gal. 1. de Sympt. causis, c. 6. fit pp quinque motus. Primo membra solida cùm percipiunt naturali sensu indigentiam, uirtute sua attractiua attrahunt a uenis alimentum et sanguinem. Secundo dum uenæ exinaniuntur a membris, ipsæ trahunt ab hepate sanguinem, tertio hepar dum uacuatur ab ipsis uenis, quæ sunt in gibbo, trahũtà uenis mesaraicis, quæ sunt in concauo hepatis, & inter uentriculum & hepar. Quarto uenæ mesaraicæ dum euacuantur trahunt a uentriculo. Quinto uentriculus ipse dum est inanitus, trahit, sed non habet unde trahat, ob id natura dedit ei sensum animalem, ut dum est inanitus percipiat quandã titillationem, & quærat cibum ab homine. Hæc est uera fames, quæ non est nisi in corporibus sanis: alioqui in aliquo horum motuum est semper aliquod impedimentum. Fames autem præter naturam duplex est. Quædam est membrorum, saturo existente uentriculo, & appellatur βούλιμος, seu fames bouina: alia est fames uentriculi, saturis existentibus membris. Prima fames bouina dicitur magna, quoniam omnia membra petunt cibum, hoc autem contingit, quotiescunque membra sunt inanita, uel propter frigiditatem uentriculi, qui cùm sit factus stupidus, non percipit illam titillationem, quoniam uirtus est mortificata: uel etiam propter ali-

quam

quam præsentiam materiæ uiscosæ. Ob id ut sit appetitus, oportet q; sit pituita, sed arida, ut excitetur uentriculus, uel contingit fames, quando solus uentriculus est famelicus, & omnia membra sunt repleta; sicuti quando circa os uentriculi est quædam caliditas insignis. Isti appetunt potum magis, quam cibum, & dicitur fames syncopalis. Ego *cognoui quendam, qui semper portabat panem, ut quotiescunq; bilis in illo peteret os uentriculi, comederet, etiam per urbem, aliter incidebat in syncopen.* Etiam *quando fuerit humor melancholicus crudus, qui mordicat uẽtriculum, sequitur fames, quæ dicitur fames canina. Cùm igitur fames poßit tot modis prouenire, ubi uenæ fuerint repletæ, siue ex bono humore, siue malo, siue fames sit naturalis, siue præter naturam, oportet cibare hominẽ, aliter facile incidet in syncopen. Sed si fuerint humores crudi in uentriculo, & sit fames, illa fames est præter naturam: quæ cùm sit uel a materia calida, uel frigida, uel a quali, debemus cibare, sed non eodẽ cibo, sed cum cibo multæ quantitatis, quæ quantitas refertur ad indigentiam corporis, quia plus debemus adhibere, quàm indigentia postulet.* Et *semper quidem cibum pauci nutrimenti exhibemus non semper tamen boni: quoniam etiam damus malum nutrimentum.* Contingit *enim q; in uentriculo sit humor melancholicus aridus, ratione cuius percipitur illa fames: tunc exhibemus cibum tenuem calidum, ut tollatur illa mala dispositio, sicut nasturtium, calamentum, fœniculum, quæ sunt pauci*

hordeacea facillime distribuitur, & concoquitur, tamen dat paucum alimentum. Quin potius est modus substantiæ, qui facit facilem & difficilem concoctionē. Ob id quādo dicunt, quia nō conueniunt tales cibi in proprietate cum nutribili, ideo non facile concoquuntur, malè concludunt: non enim idcirco malè concoquuntur, quia sunt dißimilis substantiæ, sed tantū malè nutriunt. Vt uicißim alia sunt, quæ licet conueniant in qualitate, non tamen faciunt nutrimentum multum, ut borrago, quæ est calida & humida in primo gradu, et chamæmalum, quæ tamen non nutriunt, quia qualitates non nutriunt, sed sola nutrit substantia. Quantum modo attinet ad illud, quod dicunt, In hyeme damus cibum multum in quantitate tantum, & tamen in hyeme generatur multa pituita, Aduertatis, quòd in hyeme non datur cibus in multa quantitate, nisi corporibus quadratis, & pueris, qui habēt in hyeme pp andiperistasim, calorē concētratum, & corroboratum. Vnde dicit Hippo. Ventres hyeme et uere natura calidißimi etc. unde uidemus, corpora senum difficillime tolerare cibū. Quod uero dicitur ab Hipp. quòd multiplicatur pituita, hoc est, si comparemus quatuor tempora anni, in hyeme plus generatur de pituita, quàm in alijs tēporibus: non tamen propterea sequitur, q̄ generatur pituita in isto homine uel in illo, quia in homine forti fit bona concoctio: sed bene uerum est, quòd in omni cœtu hominum in hyeme plus generatur de pituita, quàm in alijs temporibus. Quantum ad ultimum.

existentibus malis humoribus in uenis, datur cibus multi nutrimenti, ex Auic. in tertia Fen primi, cap. 1. Mali humores, dicuntur humores corrupti. uos autem audiuistis, quòd diximus superius, quòd debet dari alimentum & copiosius & largius, ad contemperandum ipsos malos humores; uerum isti nõ sunt humores crudi, sed mali & corrupti.

PLVRIMVM *autem quod nos laboramus in minuendo cibum & prohibendo est, cùm ægritudines medicamur acutas. Cùm tractauerimus de quantitate cibi exhibendi, & quanam arte in generali, & quando debemus prohibere cibum, uel minuere, (hoc autem, ut diximus, erat in particulari magis tractandum) nunc in quibus morbis præcipue utamur uel tenui, uel pleno, uel medio, docere aggreditur. Quod ut cognoscamus, reuocanda sunt in memoriam quædam iam supra dicta, quòd scilicet quãtitas cibi tripliciter soleat considerari, uel enim cibus tenuis, uel plenus, uel medius. Cibus plenus proprius est, sanorum; rarò enim in ægris cõtingit nos cibi pleno uti, nisi forte coacti ratione syncopis. Tenuis uero nunquam conuenit sanis, & si conuenit, cõuenit non qua sani sunt, sed ratione alicuius dispositionis, quam uolunt remouere. Cibus medius, qui conseruat, quandoque etiam in morbis conuenit, etsi sit familiaris sanis. Quare prohibitio cibi & diminutio sunt propria ægris. Sed in hoc est distinctio: nam cùm diminutio habeat gradus, diminutio competit ægritudinibus acutis. ubi enim fuerit ægritudo chronica,*

nica, utimur etiam cibo largiori. Quare diminutio cibi propriè attinet ad ægritudines acutas. Et hæc *est conclusio* Auicc. *Oportet modo uidere rationem, cur ita sit.* Ob *id sciendum est, quòd non utimur tenui cibo in ipsis ægritudinibus nisi propter ipsum statum morbi, quando morbus est in summo; unde indicatione à statu sumpta cibum moderamus, quoniã in statu est maximè natura occupata contra morbũ, itaque tunc debemus remouere omnia impedimenta à natura, ut poßit agere contra morbum.* Et *ideo cũ in ægritudinibus acutis sit breui tempore futurus status, & ratione status debemus uictum tenuißimum, ideo in talibus utemur tenuißimo cibo, ne natura circa cibum occupata, distrahatur ab oppugnatione morbi. Quare in principio utimur diæta tenui, sed non ita tenui, sicut in statu, quia in principio non est ita occupata natura contra morbum. Quanto magis accedemus ad statum, tanto magis minuemus cibum, & in statu quoque nihil damus, aut parum, ut scilicet natura solũ sit cõtra morbum intenta.* Ob *id dicit* Hipp. *Vbi morbus in uigore fuerit, tenuißimo uictu tunc utendum est. unde etiam* 10. *Aph. primæ particulæ ait, Cõsiderare oportet, inquit* Hippo. *quando status futurus est, & secundum statum propinquiorẽ, uel remotiorẽ, debemus uti tenuiori cibo. Quare ubi accedimus ad ægrum, considerare oportet motum ægritudinis, nunquid ægritudo debeat esse longa, uel breuis.* Cuius *signa habemus a* Galeno *lib. Crisium.* Sed *in eo quod diximus*

instant



bo,quam uniuersalia tempora.Sed in principio paroxysmi particularis nemo est qui audeat cibare; sed in statu cibamus,igitur &c. Ego *non imitabor recentiores qui in suis suppositis multa falsa & quæ sunt contra principia artis supponunt: sed ea quæ ab omnibus conceduntur,pro fundamento assumemus.*Et *primo,q; cùm quatuor sint tempora morborum,non sunt æqualia in omnibus tum acutis tũ chronicis.* In *acutis sunt sensibilia cum magnis accidentibus, in chronicis sunt insensibilia; procedunt enim paulatim.Vnde chronici morbi non terminantur criticè,sed paulatim,& ut dicunt isti,uix percipitur.Secundo supponendum, quòd status habeat in se principalem indicationem minuendi uel remouendi cibum.hoc non consideratur respectu materiæ,siue sit illa paucior,siue copiosior,sed est respectu occupationis materiæ contra ipsum morbum. Scopus est,ut natura occupata contra morbum non impediatur:non ratione materiæ,siue sit pauca, siue multa.* Tertium *suppositũ est,q; magnitudo morbi & uehementia accidentium crescunt eodem tempore, & terminãtur in eodem tempore,cum ipso morbo.* Loqui*mur de accidentibus proprijs, quæ dicuntur pathognomonica,hoc est quæ sequuntur morbum, ut umbra suum sequitur corpus. Hæc igitur minuuntur & augentur,secundum quod minuitur aut augetur corpus.*Ob *id dicit* Hippo.In *principio omnia leuiora,in statu autem omnia sæuiora. sed quoniã hîc uidetur esse maxima lis,notetis, quòd hîc est æquiuocatio,*

catio,in qua decipiuntur moderni. Aequiuocatio est, quòd aliud est magnitudo morbi, & aliud malignitas morbi. In febre pestilenti omnia sunt quieta, pulsus est ferè aequalis,non est calor uehemens, & aegri uolũt surgere,& tamẽ moriũtur. Magnitudo morbi est,quando uiget morbus: sicut omnia dicuntur magna,quando sunt in suo uigore. Vigor attenditur non penes malitiam,sed penes magnitudinem,in qua sunt magni motus, quia habent accidentia magna, quae nihil aliud sunt, nisi motus periculosi ab ipsa aegritudine. Ob id dicit Gal. quòd quando accidentia sunt maxima,est laetandum, quia iamiam finietur morbus. Est & magnus tũc morbus,sed mitis. Ob id dicit Gale. habemus morbum mitiorem, & accidentia fortiora. Morbus est mitior,quando sumus in statu salubri,et sumus prope declinationem, tunc sunt fortiora accidentia,dicit,sunt fortiora accidentia, non saeuiora,& quanto magis natura est uictura, tãto sunt fortiora accidentia. Si autem morbus sit malignus,accidentia remittuntur, remittuntur dolores: ut si apostema tendit ad gangraenam, remittitur dolor,pulsatio,& calor,& quando omnia accidentia decreuerint,homo moritur. Sed quando morbus est salubris,in statu fiunt accidentia fortiora,& morbus est maximus in uigore,licet sit salubris, non autem malignus,sed mittis. Ista oportet ut distinguantur,& non erit contrarietas in ipsis auctoritatibus. Quarto est supponendum,quòd etiam si concedamus illis,quòd sit alius status morbi,& alius status

tus accidentium, non tamen propterea habebunt, q̃ in statu etiã si remittantur accidentia, debeamus augere cibum in statu: nam cibus non datur ratione accidentium, sed quoniam nolo impedire naturã, quæ est occupata contra morbum. Vltimò supponamus, q̃ accidentia non indicant per se esse dandum cibum, uel non esse dandum. Quãtum igitur attinet ad primum argumentum in principio morbi plus est de materia, ergo debemus dare cibũ tenuiorẽ; Negatur cõsequẽtia, qa cũ materia sit corrupta, debemus cibare; sed si natura fuerit occupata contra materiã, non debemus cibare: hoc autem est in statu, non in principio. quare damus cibum in principio. Ad secundum, ubi sunt duo morbi coniuncti, quorum alter finiatur ante statum alterius, iste est malignior in principio, sed nos hîc loquimur de uno morbo solùm, quia duo morbi dant indicationes cõpositas, quare hic est fallacia compositionis & diuisionis. Quod autem attinet ad quartanam, quia in principio non damus cibum, deinde damus, dico quòd damus cibum, quando natura non est occupata, sed quartana est morbus chronicus, non est pugna repentina, non est repentinus status, & ideo cùm non sit illa crisis, sed paulatim absumatur materia, non alio modo procedimus, & non minoramus cibum, sed fouemus uirtutẽ, nunc autem loquimur de morbo acuto, quare argumentũ non est ad propositum. In principio autem in quartana minoramus cibum: quoniam ubi fuerit humor melancholicus, si in principio dabimus minorem cibum,

uersalia particularibus temporibus. *In morbo uniuersali in principio tota materia est in ambitu uenarũ: oportet cibare, quia natura non occupatur omni conatu sensibiliter circa illam, sed in statu bene occupatur totis uiribus natura, & ideo non est cibandus æger*. *In paroxysmo autem nõ cibamus, quoniam calor tendit uersus centrum, ut fiat fortis ad expellendam materiam illam facientem paroxysmum, & debet illa die expellere*. *In statu autem paroxysmi possumus cibare, quoniam ibi est pauca materia, nec ita uehemens pugna: & quamuis nec hìc cibus posit sine noxa exhiberi, tamen minus est damnum quàm in statu uniuersali, quia melius est cibare in declinatione particulari, quàm in statu*. *Quare argumenta illa nihil ualent. Concludimus igitur, quòd in statu morbi uniuersali est exhibendus cibus tenuis magis, quàm in principio; & quandoque etiam in statu nihil damus, ne scilicet natura occupata contra morbum, à pugna illa distrahatur, propter cibum qui exhibetur concoquendum*.

NVTRIENS *præterea secũdùm hoc quòd ex eo fit nutrimentũ, duas alias habet operationes, quæ sunt uelocitas et tarditas penetrationis*. *Vidimus suprà, quemadmodnm Auic. proposuerit differentias ciborum ex parte quantitatis, & docuerit artem cibi in quantitate administrandi*. *Modo reliquũ erat ut ageret de cibis secundum alias differentias*. *De quantitate primo dictum est: sequitur modò, ut de substantia ciborum agamus*. *Proponit autem Auicẽ.*

duas differentias;& tradit artem recte administrā di,& dicit,ꝙ præter dictam differentiam, in quantitate est alia differentia in substantia. Considerantur enim cibi,ꝙ quidam facile distribuantur, & facile penetrent,quidam difficulter penetrēt. Deinde dat aliam differentiam,ꝙ quidam sunt uelocis resolutionis,quidam difficilis resolutionis. Istæ sunt differentiæ sumptæ ab ipsa cibi substantia ab Auicē. propositæ. Ad rectam autem omnium,quæ dicturi sumus,intelligentiam, sciendum est ꝙ differentiæ,quæ sumuntur a substantia,quædam sumuntur a ratione formali,quædam a materia. A ratione formali differentiæ duæ sunt,ꝙ quidam cibi sint nulli nutrimenti, quidā pauci;propter enim conuenientiam formæ cum nutribili,cibus multum nutrit:propter disconueniētiā, parum nutrit. Secunda differentia est, ꝙ quidam cibus est boni nutrimenti, quidam mali nutrimenti. Aliæ differentiæ sumuntur ex parte materiæ,& dicuntur sumi a modo substantiæ, sicuti durum,molle asperum, lene,friabile,uiscidum,& similia. Ista sunt loca differentiarum,cùm debemus sumere cibum distinctè ex parte substantiæ. Quantum attinet ad illas differentias,quæ sumuntur ex parte formæ substantiæ,iam satis dixit Auicen. superius, cùm dixit, cibum quendam esse multi alimenti,quendam pauci. Quantum autem attinet ad bonitatem & malitiam nutrimenti,quare de ea non agit? Debemus scire, ꝙ Auicen. non ponit capitulum in capitulo, quia tractauit in tertia primi, ubi agit de sanitate tuenda,

de

de cibis boni uel mali nutrimenti,& ita quantum at tinet ad differentias formales,satis egit. De differẽtijs autem quæ sumuntur ex parte materiæ,hìc ponit solùm duas differentias,q; scilicet alius cibus est facilis distributionis,alius difficilis.Secunda differẽtia fuit,q; alius cibus facile resoluitur,alius difficile.Sed etiam est cibus,qui non ponitur ab Auicen.nimirum q; quidã cibus est facilis putrefactionis,alius difficilis.Pariter nec illam differentiam ponit, qua dicimus,q; quidam cibus est facilis cõcoctionis, alius difficilis?Respondemus,q; Auicen.hìc usus est breuitate,quoniam illa quæ facile penetrant, facile etiam concoquuntur,ob id hanc tacuit differentiam quoniam intelligitur ex prima differentia:ubi enim intelligimus cibum esse facilis distributionis, & difficilis,intelligimus etiam cibum facilis concoctionis, & difficilis.Quantum ad alteram differentiam,dixerunt aliqui,q; qui facile resoluitur, etiam facile putrescit,ob id sub illa differentia intellexit etiam hanc,q; alius facile putrescit,alius difficile. Sed hoc est falsum:quia quidam cibus facillime penetrat & resoluitur,ut uinum,tamen non facile putrescit;durat enim per multos annos.Est igitur alia ratio aßignãda,nimirum q; de his ideo non dicit,quia de his egit in Tertia primi.s.de cibis qui facile uel difficile putrescũt.Rursus obijciat quis, q; alia est differẽtia cibi,prout.s.cõsideratur secũdum qualitates primas & secũdas,quando dicimus cibum alium esse calidũ, frigidũ humidũ,&c.& sic de secundis qualitatibus.

Quare igitur de his nihil dicit? Respond. q; in potẽtia satisfecit huic, in principio, cùm dixerit, q; cibus hoc modo consideratus habet locum medicinæ, non cibi. Quantum ad cibum, ad modum utendi, hoc est uidendum in particulari. Nam Auicen. *in hac parte non agit de his, sed de quibus oportebat hîc agere: in uniuersali enim hîc loquitur, neque ponit capitulũ in capitulo, & ita digeßit omnia, quæ dicit* Gal. *Modo ut habeamus circa hmõi cibaria, ut dicit* Gale. *primo de* Alimentis, *aliquid quod sit rationabile, & consideratum, oportet uidere quomodo cibus sit bonus uel malus, & quomodo ex parte materiæ sit facilis penetrationis uel difficilis.* Nam *primo habebimus scientiam nobiliorẽ, quoniam sciemus per causam.* Præterea *habebimus, q; ubi uidebimus cibum aliquem, non amplius usum cognoscemus, an sit boni uel mali nutrimenti, uel multi uel pauci, & sic de alijs dices. Sciendum igitur, q; bonitas & malitia alimentorum, paucitas & multitudo succi, cognoscũtur ex sapore &* odore. *Vnde uidemus, q; animalia per odorem quærunt cibaria, et nos uidemus, quòd homines nutriuntur cibis, qui sunt boni odoris & saporis, scilicet pinguis, dulcis, & uinosi; & quãuis aliquando alij sapores, ut acidus et salsus appetuntur ab hominibus, hoc est ratione illius malæ qualitatis, uel materiæ existentis in uentriculo, & tunc ille cibus est potius medicamentum. Vnde uidemus, q; prægnãtes quandoque comedunt calcem, carbonem, & huiusmodi: pueri comedunt terram, propter plurimam humidi-*

miditatem:sed nos loquimur de hominibus, qui habent appetitum naturalẽ ad cibos dulces.pingues,& uinosos.Ratio igitur ista sit,quando sic habetur ex natura rei:scimus enim q̃, unumquodque animal est compositum ex proportione quatuor qualitatum,& ex diuersis proportionibus harum qualitatum nascuntur diuersæ temperaturæ. Et quoniam ex ijsdem nutrimur,ex quibus constamus,ex quo fit ut unum animal nutriatur ex uno,aliud ex alio, ex fœno equus,ex pane homo,& sic de alijs, ratione.s.conuenientiæ in forma,propter talem uel talẽ proportionem in quatuor qualitatibus. Quod cùm ita sit, sapor quid est? Est paßio humidi a sicco terreo, per calidum;quoniam ex humido naturali & sicco consistunt omnia;calor autem concoquit illa duo;frigidũ autem non ingreditur,nisi per accidens. Ideo sapor reperitur in proportione calidi,frigidi, humidi, & sicci.Ob id Arist.dicit in secundo de Anima,quòd sapor est iudex omnium alimentorum. Quòd hoc sit uerum,uidemus q̃ Greci appellant saporem χυμὸν, & succum extractum ex alimento, quia uidẽt maximam esse inter alimentum & saporem affinitatem, cùm sint ex eisdem, & in ijsdem.Et ideo uidemus,q̃ unicuique animali sapit id, quod est proportionale suæ temperaturæ:sic salices sunt amaræ nobis, dulces autem capris;cicuta est ingratißima homini,coturnici autem gratißima,propter proportionẽ quã habet cum illis.Ob id dicit Gale. q̃ debemus petere a sapore,si uolumus cognoscere uirtutem ciborũ &

dicamentorum. Ex ſapore igitur meritò iudicātur iſta duo. Ex odore etiam: quoniam odor non eſt ualde diſsimilis a ſapore. Intelligimus autem de odore ſecundo modo dicto: nam odor quidam eſt ſecundum ſe talis, qui non conſequitur naturam ciborum, & odor talis percipitur a ſolo homine quidam uerò dicitur odor reſpectu cibi, & hoc modo intelligimus nos odorem. Ingratus autem odor arguit ſubſtantiā cibi non eſſe conuenientē homini: unde in ſapore bono, & odore bono, habemus alimentum boni nutrimēti in ſua ſubſtantia, & multi etiam. Et hac regula cognoſcetis ea quæ ſunt cōuenientia humanæ naturæ, & quæ contra. Quantum ad illud, q facile cōcoquitur, uel diſtribuitur, uel reſoluitur, hæc ſumuntur ex parte materiæ, uidelicet quando aliquid eſt patibile uel difficulter patibile. Ob id debemus ſcire, quod dicit Ariſto. quarto Meteor. q omnia quæcunque ſunt mixta, habent pro materia humidum & ſiccum, & ex uaria proportione humidi cum ſicco, & uariatione caloris, fiunt uariæ mixtiones. Ex hoc dico, q humidum eſt ualde paſsibile, ſiccum eſt difficulter paſsibile. Vbi igitur iſta duo miſcentur, quæ magis accedunt ad ſiccum, minus patiuntur: quæ autem ad humidum, facilius patientur, & minus reſiſtent. Hic modo ſunt conſideranda, quæ habent plus de humido, & quæ de ſicco; & præterea paſsio quæ ſequitur ſiccū, eſt durū, quod reſiſtit tactui, et ideo reſiſtit cauſis alterantibus, quæ non agunt, niſi per tactum: paſsio autem immediate conſequens humidum,

dum, est Mollities, quæ cedit tactui: & ideo quod molle est, facile alteratur, & patitur. Cùm igitur primo fiunt molle & durum, succedet istis coagulũ, & colliquatio, secundùm uarium modum coagulationis fiunt uariæ paßibilitates, nam consequitur aliquid quod est uiscidum, aliquid quod est friabile. Hoc fit, quotiescunque est facta permixtio humidi cum sicco, ut quæ non poßit separari, ibi est uisciditas; friabilitas autem, ubi non est facta tanta permixtio humidi cum sicco. Deinde crassum & tenue, tenuis est, ubi plus dominatur de humido; craßities; ubi plus dominatur de sicco. Separamus autem uisciditatem a craßitie, quoniam uisciditas est a commixtione humidi cum sicco, craßities a dominio sicci. Si omnia ista rectè perceperitis, erunt postea omnia facilia, & quæ sunt facilis distributionis, & quæ difficilis, & sic de alijs differentijs omnia facile sciemus. Cùm ageremus supra de substantia ciborum, & uellemus ex instituto Auicennæ tradere modũ, quo exhibentur cibi secundum substantiam, diuisimus cibum in substantiam ex parte formæ, & ex parte materiæ. Ex parte formæ sunt & paucitas alimenti, & bonitas, & malitia. Ostendimus causam, à qua differentiæ istæ cognoscantur, & signa quibus etiam discernãtur. Audiuimus præterea ex parte materiæ differentias considerandas esse, quæ sunt in facili concoctione, uel difficili, in his quæ facilè resoluuntur, & difficile, quæ facile penetrant, uel difficile. Supponendum est igitur, q̃ calor in uentriculo est, qui con

coquit cibum: deinde sciendum, q. calor concoquit facilius illa, quæ sunt humida, quàm quæ sunt sicca; diximus enim quomodo humidum facilius patitur, & alteratur, siccum difficilius. Ideo cùm omnia alimenta componantur ex humido & sicco, quæ humidiora sunt, facilius concoquuntur, & facilius distribuuntur: sicciora difficilius, cùm omne alimentum sit ex sicco, cumq; membra solida ex sicco nutriantur: nam & fames est appetitus calidi & sicci. Quare sequitur, q. ea quæ sunt humidiora, minus nutriant, etsi facilius concoquantur & distribuantur; sicciora autē etsi difficilius concoquantur & distribuantur, tamē cùm fuerint concocta, magis nutrient. His stantibus, cùm sint plurimæ differentiæ, durum, molle, uiscidū, & plurimæ aliæ, solùm proponemus quæ sunt necessariæ ad alimenta, de quibus nos agimus, & faciunt ad rem nostram. Debemus igitur considerare ex parte materiæ, durum, molle, crassum, tenue, uiscidū, uel non uiscidum. hæ sunt differentiæ considerandæ. Itaque etiam uidendum est, quotupliciter unumquodq; accipiatur. Durum dicitur tripliciter, ex Gale. in de Simpl. med. facul. Primo dicitur durum, ut lapis, in quo dominatur siccum terrenum. Secūdo dicitur durum, quod fuit congelatum a frigore, ut glacies, & uitrum. Tertio, quod est repletum, ut uter repletus uino, & uenter repletus flatu, uel alimento. Per contrarium postea dicitur molle, uel quod non habet multum de terreo, uel quod non est congelatum, uel quod est uacuum. Hic autem nos loquimur de cibo

duro,

duro, primo & secundo modo dicto. Crassum dupliciter dicitur, primo quod habet in se plurimum de terra, ut atramentum, sanguis ille crassus. Et differt crassum a duro, quoniam in duro est renitentia ad tactum, in crasso autem non reperitur illa renitentia ad tactum. Crassum igitur dicitur, ubi plurimum adest de terreo. Tenue dicitur suum oppositum, quod habet minimum de terra, sicut est aqua aut uinum. Secundo dicitur crassum, quando etiam cum eo terreno admiscetur plurimum de aêre, qui commiscet terream partem cum aquea, ut facit mixtum illud crassius; quemadmodum semem primo crassum est & aêreum, postea cùm frigesit fit tenue, quando aër continet partes aëreas commixtas cum parte terrea: & hinc est, q̃ semen apparet craßius, cùm est calidum, q̃ cùm est frigidum, quando amittitur spiritus & flatus, & tandem sunt talia omnia uiscida. Tenue uerò secundo modo dictum est, quando partes terrestres sunt attenuatæ, priuatæ aëre & calore ut pipere, & secundum hunc modum potest esse aliquid tenue, qđ tamen sit durum. Viscidum uerò est illud, quod habet partes commixtas cum humido, ratione aëris. Audiuistis enim quomõ aër, in mixto maxime, facit penetrationem, facitq́; ut partes partibus adhæreant; unde quando partes terreæ sunt admixtæ cũ aqueis partibus, merito aëris facit partes uiscidas & lentas, & uiscidum sæpe est cum craßitie. Quandoque autem contingit non esse cum craßitie, ubi scilicet est plurimum aquositatis, unde semen humanũ

est uiscidum, cùm est actu calidum, etsi tunc sit tenue. His ita intellectis, dicimus q̃ cibus, qui est duræ substantiæ, quando est durus primo modo, uidelicet quando in eo dominatur plurimum de terra, ille cibus tardè concoquitur, tardè distribuitur, & est pauci nutrimenti & mali. Primo tardè concoquitur, quoniam dominatur terreum, & iam diximus, q̃ terreum resistit alterationi. Non distribuitur, quoniam crassum est & siccum. Humidum facile penetrat, propterea tardè resoluitur, quia ex eo elicitur succus. Solidum enim est, quoniam dominatur in eo pars terrea sicca. Habet præterea q̃ non facile putrescit, quoniã difficilius alterationi resistit. Putredo enim est, quando caliditas trahit ad se humidum: in cibo autem terreo non est humiditas multa, sicut caro bubula, ideo generat humorem melancholicum, quia in se plus est de sicco, quam conueniat naturæ humanæ, quæ etsi nutriatur ex sicco, nutritur tamen ex sicco conuenienti suæ naturæ. Talia etiam sunt oua dura, in quibus resolutum est humidũ, & remansit pars terrestris. Suum oppositum habet rationes oppositas. Nam quod est molle, propterea q̃ habet partes minimas aquosas, ut uinũ, ptisana hordeacea, facile distribuitur & concoquitur; sed nutrimentum ex his factum facilè resoluitur. Et ideo dicit Hipp. Facilius est repleri potu quam cibo. Non est autem necessarium, q̃ quæ facile resoluuntur, etiam facile putrescant; quoniam ad hoc q̃ aliquid putrescat, non sufficit q̃ sit tenuis substãtiæ, sed oporte

q partes terreæ cum aqueis nõ sint bene commixtæ, ut contingit in lacte, quod facile putrescit, quia non habet partes bene commixtas. Omnes *succi noui facile putrescunt; & uinum, præsertim quod non sit aquosum, quia habet partes bene commixtas, & si sit tenue, tamen non facile putrescit, bene facile resolui tur, sed aliud requiritur ad resolutionem, aliud ad putrefactionem.* De *duris secundo modo propter con gelationẽ, ut glacies, illa difficile concoquũtur & di stribuuntur: non tamen dant malum nutrimentum, sed dant bonum nutrimentum & crassum (loquitur nunc de uera congelatione.)* Nam *pinguedo non est congelata, sed bene concreta, ut oleum, ideo non fit du rum, quæ autem congelantur, fiunt dura.* Q*uæcunque igitur talia sunt, difficillime concoquuntur, quoniam oportet q calor prius colliquet quod est cõ gelatum, deinde oportet q diuidat id quod est terre stre ab aqueo: deinde tarde distribuitur, propter par tem terrestrem: sed adfert bonum nutrimentum; cũ conuenit in substantia.* Vt *uerbi gratia castaneæ & omnia quæ molliora fiũt per decoctionem: quæ enim duriora fiunt a frigido, molliora fiunt a calido, sicuti etiam caro porcina, quæ tarde concoquitur & pe netrat, tamen adfert bonum nutrimentum.* Q*uæcun que ita se habent, q possint emolliri a calore, & con ueniunt in substantia, (quod ex bono odore & sapo re cognoscemus) talia adferunt bonum alimentum, quod difficulter resoluitur, propter partes terre stres & siccas.* Econtrario *lac, oua sorbilia, præser-*

tim

tim gallinarum, ubi a calore externo non sunt concocta, & pars aquea non exhalauit, afferunt bonum nutrimentum. Si autem pars aquea exhalauerit, uel ratione multi caloris, uel frigoris, adferunt pessimũ nutrimentũ, & sunt tardæ concoctionis. Hoc est, quãtum attinet ad durum & molle. Quantum autem attinet ad crassum & tenue, crassum dicitur, qđ habet plurimum de terra, ut caro bubula: suum oppositum tenue, de quibus iam diximus. Accedamus ad uiscidũ. Viscida dicuntur, in quibus est plurimum de aêre cõmixtum cum parte aquea & terrea, talia tardè concoquuntur, quoniam difficulter separatur pars quæ facit bonum succum, quoniam partes illæ in re uiscida sunt maxime permixtæ, ratione aëris; præterea ratione aëris supernatant, & quia adhærent partibus, difficile distribuuntur, & difficile resoluuntur, propter eandem rationem. Vnde oleum, quod est uiscidum, cum difficultate resoluitur. Et talia non facile putrescunt, quoniam partes adhærent partibus. Et ita habemus, quantũ attinet ad differentias, quæ sumuntur in cibo, ex parte materiæ substantiæ.

Reassumentes quæcunque dicturus erat superius Auic. de alimentis & eorum differentijs, quæ sumuntur ex parte formæ, & ex parte materiæ, quæ nam essent tales differentiæ, ostendimus. Supererat modo, ut Auic. iam traderet differentias, quæ sumuntur ex parte formæ, & incepit agere de differentijs quæ sumuntur ex parte materiæ, quæ cùm non potuerimus absoluere, ideo de his rursus dicendum est.

Fundamentum in hac consideratione est humidum cum sicco, ex quo fiunt quidam cibi duri, & crassi; quidam molles & tenues; quidā uiscidi, lenti: & circa has omnes differentias uersatur medicus. Diximus tunc etiam durum sumi tripliciter, & suum oppositum totidem modis. Dicimus igitur aliquid esse durum, in quo siccum terreum dominatur ipsi humido: ubi dominatur siccum, est durities. Nos non considerabimus sicca uel dura, quæ non attinēt ad alimētum, sed quæ spectant ad cibum, ut caro bubula salita, ouum induratum: hæc omnia dura sunt: & quando magis concoquuntur, indurantur, & aduruntur. Alio modo dicuntur dura per congelationem, ut saccharum, quod ideo liquescit apud ignem. Mollia contrario modo se habent. Hoc autem constat ex his, quæ superiori lectione dicta sunt. Sed quæcunque modo sunt dura primo modo, sicuti panis biscoctus, ouum induratum, & similia, considerandum est quomodo se habeant applicata corpori humano. Hæc quæ sunt dura hoc modo, difficillime concoquuntur, distribuuntur, resoluuntur, tardè etiam putrescunt, causam autem superiori lectione diximus. Quantum ad cibum crassum, crassus dicitur, ubi dominatur terreum, quod uel est adustum, uel non adustum. In sapa dominatur terreum adustum. Vel illa pars terrea est cruda, non adusta, sicuti hostia, polenta, caseus recens; ex quibus colligitur, ꝙ eadem quæ sunt crassa, non sunt dura, ut sapa, uinum dulce, sunt crassa, tamen sunt mollia. Quare differt crassum a duro,

imo plerunque crassum est molle. Quandoque autem est crassum, quando est plurimum aëris immixtum, ut contingit in semine, quod dicitur crassum per accidens, propter scilicet admixtionem aëris. Tenue est, quod minimum habet de terreo, sicuti uinum clarum ptisana colata. Secundo modo dicuntur tenuia, non quoniam dominetur pars aquea, sed potius quia dominatur pars terrea, quæ est a calore attenuata: sicuti aromata omnia, piper, cinnamomum. De iudicijs autem horum, dicimus q͂ quæ sunt crassæ substantiæ, propter dominium partium terreæ adustarum, sicut sapa, hæc difficillime concoquuntur, primo propter suam siccitatem, propter quam etiam difficile distribuuntur; difficile insuper resoluuntur; nec ita facile resistunt putredini, quoniam adest etiam plurimum de humido, in quod cùm agit calor fortis, sequitur putredo. Quæ autem sunt dura, propter siccum crudum, ut hostia, caseus recens, hæc difficilius concoquuntur, difficile resoluuntur, & difficile distribuuntur; non ita autem tarde putrescunt, propter humiditatem. Si uerò fuerit cibus crassus, propter permixtionem aëris, sicut lac, quo in conuiuio utuntur diuites isti, tardè concoquitur & distribuitur, propter plurimum flatum, rōe cuius non potest petere fundum uentriculi: facile autem putrescit, imo quandoque putrescit, antequam petat fundum uentriculi. Quæ autem sunt tenuia primo modo, facile concoquuntur, resoluuntur, & distribuuntur, tamen facile non putrescunt, si sint bene partes

ad-

admixtæ. si uerò erit tenue, in quo partes terreæ sunt attenuatæ, ut cinnamomum, hæc difficillimè concoquuntur, propter partes terrenas, sed facillimè distribuũtur, propter tenuitatem partium & ideo facile resoluuntur, propter siccitatem, neque facile putrescunt. De *uiscido, in superiori lectione dictum est. Sed uiscidum etiam esse potest, propter siccum terreum mixtum in re uiscida: & hoc siccum uel est adustum, ut est mel, quod etsi sit uiscidum, tamen facile penetrat: quoniam pars terrea subtilis est, unde habet etiam acrimoniam, & facile uertitur in bilem.* Q*uædam sunt uiscida, quando partes crudæ dominantur, & hæc conueniunt cum molli, ut caseus recens, castaneæ molles.* Id *autem quod est contrarium uiscido est, quod paucã habet admixtionem, sicut ptisana hordeacea, & lac absque butyro.* Q*uæ omnia uiscida, in quibus dominatur pars aquea, ut oleum, difficillimè concoquuntur, quoniam supernatant; deinde facile penetrant, sed non ita facile resoluuntur: difficillimè autem putrescunt, propter bonam commixtionem aëris.* V*iscidum autem, in quo pars terrea adusta sit mixta, ut mel, facile concoquitur et facile distribuitur, & non facile resoluitur, nec facile putrescit in senibus.* Q*uæ autem sunt uiscida, ratione partis aqueæ, ut caseus recens, ostreæ, talia idem habent iudicium, quod crassum alimentum.* Et *ex his omnia habemus, quæ de cibarijs dici possunt.*

NVTRIENS *præterea secundum hoc q, ex eo fit nutrimentum, duas alias habet operationes, quæ sunt*

sunt uelocitas penetrationis, & tarditas penetrationis. Ea quæ facile penetrant, sunt sicut uinum: quod enim tenuis substantiæ est, minime est uiscidum. Videte, quomodo ex his, quæ diximus, omnia per rationem intelligetis. Frixa tardè penetrant, præcipue cum oleo frixa, qui est pessimus modus coquendi: ratione enim olei supnatant, nec facile penetrant, cùm sint dura crassa, & uiscida. Per carnem autem uitulinam hîc Auic. intelligit carnem uaccinam, ut bene dicunt expositores, non carnem nostram uitulinam, quia talis facile penetrat. Modo docet applicationem ciborum Auic. & dicit, quando indigemus cibo, qui facile penetrat, nimirum quando uirtus est debilis. Itaque tunc exhibemus uinum, & ouum sorbile; hæc enim facile penetrant, & facile digeruntur. Quando autem ab hoc abhorremus, quando scilicet in uentriculo est aliquis cibus solidus, & postea damus cibum tenuem facilis concoctionis, tunc commiscemus facilia & difficilia cōcoctu, & generantur oppilationes. Ob id dicit Gal. & Auicē. q̧ non debemus simul comedere & bibere. Consuetudo forte facit, quod nō lædamur, sed denotat ratio contrarium, q̧ scilicet nō est simul comedendum & bibendum: sic quoque uoluit Gal. per horam post cibum eum bibendum uinū, ne scilicet cibus solidus simul cum liquido distribueretur, & fiant obstructiones. Ob id etiam monet Gal. post fructus horarios non esse bibendum, quoniam illi facile penetrabunt, & distribuentur, & causabūt oppilationes. Ideoq́; post melones uoluit Auicen. non

esse

esse bibendum uinum, sed aquam potius.

Tractatus de Medicinis.

MEDICATIO autem quæ fit cum medicinis tres habet regulas &c. Credo uos meminisse, quemadmodum Auicen. propositum, est in hac quarta Fen tradere artem medicam, in qua tria requirebantur, uictus ratio, medicina, & chirurgia. De diæta seu rõe uictus hactenus dictum, quantum opus erat. In tertia Fen de alimentis copiosè & exactè tractauit, & propterea fuit hic breuis: prolixior autem in agendo de medicamentis, quoniã de ipsis actum non erat. In hoc igitur primo declarabimus, quid medicamentum, quoad nomen: deinde quoad essentiam. Medicamentum sumitur medicis dupliciter.

Cum in interpretatione quartæ partis primi libri Auicennæ iam deuenerimus ad id in quo agitur de medicamentis, operæ precium iudicauimus tum ad ea quæ ab Auicenna dicuntur, tum ad alios quoque usus q̃ plurimos, qui in hac arte occurrunt, omnes medicamentorum differentias certa uia ac ratione explicare, uix enim exprimi potest quantæ utilitati et commodo ad artis opera collaturum sit quod intendimus. Supponamus igitur medicamentum sicut & alimentum referri oportere ad corpus humanum, circa quod omnino uersatur medici facultas, supponamus etiam medicamentum & pro ueneno sumi

apud antiquos,& pro eo quod ad salutem cōfert, sicut & apud græcos pharmacum. Quibus ita suppositis, *dicimus omnes medicamentorum differentias a tribus principijs potißimè oriri, uidelicet ab essentia, a uiribus seu facultatibus, ab actionibus.* Quantum igitur ad essentiam attinet, eam dupliciter consideramus, uel secundum proximam materiam, uel secundum formam quam substantialem uocant. Medicamenta secundum materiam cōsiderata quasdam habent diferentias quæ sunt tanquàm habitus quidā actu existentes, quasdam uero quæ sunt meræ potentiæ. Differentiæ igitur quæ sunt habitus sumuntur penes uarios modos subiecti, ut raritas, densitas, leuitas, grauitas, durities, mollities, lenitas, asperitas, crassitudo, tenuitas, uisciditas, friabilitas, plenitudo, uacuitas, sunt enim hi omnes habitus quidam ex uaria cōmixtione humidi & sicci per actionem calidi in materia mixtorum reperti. Aliæ uero differentiæ, quæ ex se nullum actum præferunt, sed tantum pasßibiles sunt affectus in subiecto per eandem mixtionis rationem impreßi, tot ferè tum a medicis, tum a philosophis numerantur, uidelicet, quod indurari poteſt, quod non indurari, πηκτὸν Græci uocant, liquabile non liquabile, madefactibile non madefactibile, ruptile non ruptile, frangibile non frangibile, flexile, inflexile, cædens tactui non cædens tactui, compreßile nō compreßile, scisſile non scisſile, formabile non formabile, πλασικὸν uocant: dilatabile nō dilatabile, quod teri poteſt quod non teri, elixabile non elixabile, uapo-

porabile inuaporabile, cremabile non cremabile, inflammabile non inflammabile, suffibile non suffibile. Hæ fere sunt differentiæ in mixtorum materia repertæ, quarum ratione singulæ quæq; species magis uel minus aptæ ad patiendum redduntur, harum omnium notiones primo singillatim declarabimus, postea eorundem causas explicabimus. Primo igitur cum dicimus quod durari, quod non durari potest, intelligimus quod Græci πηκτὸν & ἄπηκτον dicunt, quod nonnulli interpretantur congelabile non congelabile, sunt enim quædam quæ facile congelantur & indurantur, ut aqua, & cæra, & huiusmodi, quædam quæ nullo modo congelari indurariue queũt, ut oleum, & maior pars pinguedinum, & butyrum. Quædam uero congelari quidem & indurari possunt, sed non priusquàm ualido calore immutentur & excoquantur, ut pix & mel. Hic ergo antequàm ad alias differentias transeamus, ne bis idem sit repetendum, causas perscrutabimur horum diuersorum effectuum qui in hac materia contingunt, si prius duo supponamus principia necessario supponenda, sine quibus rationes & causæ parum consisterent, sunt enim omnes ad hæc principia referendæ. Primũ est, omnia mixta uarias formas recipere, uariosq; substantiæ modos ex parte ipsius materiæ, prout humidum & siccum in mixtione uarie patitur per actionem calidi & frigidi. Secundum, in qualibet mixtione elementorum, nihil omnino esse secundum rationem continuum, sed tantum secundum sensum ma

gis aut minus, fortasse enim corpora cœlestia uere continua sunt, ideo nec diuidi nec corrumpi possunt, nostra autem hæc corpora propter magnam contrarietatem humidi & sicci, & quoniam nullam ueram æqualitatis mixtionem adipiscuntur, ideo non uere continuantur, sed semper sunt aliqua foramina in tota materia, quæ Græce *πόροι uocantur, maiora uel minora, prout magis uel minus siccum continuatur & unitur cum humido.* His *ita suppositis est etiam sciendum, istos meatus uel poros diuersimode remanere in materia secundum uarias commixtiones, quidam enim sunt admodum angusti, quidam lati, ut quandoque etiam sensu manifestè discernantur, quandoque sunt duri, quandoque molles & qui facile patiuntur, quandoque sunt repleti, quandoque uacui, & cum repleti sunt materia, uel est flatuosa & aërea, uel aquea & crassa, contingit etiam ut quandoque qui sunt circa superficiem corporis non penetrent per totum profundum, sed in summo tantum consistant, quidam uero penetrent, præterea nonnulli sunt tortuósi & per anfractus sibi inuicem succedentes, alij quidam tortuosi quidem sunt, sed inuicem non succedunt, imo sunt prorsus inordinati & irregulares.* Et *hæc omnia sunt fundamenta* Aristotelis, *neque uel latum quidem unguem a peripatetica disciplina recedunt.* Q*uibus omnibus rectè intellectis,* Dicimus *ea, quæ congelantur uel indurantur habere in uniuersum duplices causas, uel enim hoc accidit propter multum calorem excoquentem & resoluen-*

uen-

uentem humidum, ut contingit in sale & nitro, unde cum a calido sicco indurentur, à frigido & humido colliquantur. Quædam uero indurantur à frigore, spiritum, aëreasq; partes quæ congelari non possunt exprimente, sicut contingit in glacie. Ideo cùm a frigido indurentur, à calido resoluuntur: Quæ uero utrunque passa sunt, uidelicet & resolutionem humoris a calido, & expreßionem spiritus a frigido, resolui non possunt, neque à calido, neque a frigido, & hoc præcipue apparet in fictilibus & in lateribus, forsan etiam appareret in sale & nitro, nisi extrinsecus per latiores poros penetraret humor colliquans, nam q; pix & mel indurata per calidum colliquentur, propter aliam rationem non est, nisi quia per resolutionem humoris factam à calore, adhuc tamen tantum eiusdem humoris superest qui congelatur a frigore, ut superueniente calore dissolui posit. Hæc satis de his quæ durari & non durari possunt. Contrario modo liquantur, quæcunque in se humorem habent congelatum à frigore, superueniente calore soluuntur, ut glacies: Vel quæ sicca quidem sunt euaporato humore, ut facta sit tota substantia terrestris, meatus tamen permansere latiores, & per totum profundum penetrantes, & hæc talia à calido quidem solui non possunt, sed ab humido possunt, penetrat enim humor per omnes meatus, & ita eo humore aduentitio liquatur quod prius solidum fuerat. Fictilia uero & lateres non liquantur, quoniam meatus in illis sunt anguštißimi, neque simul conti-

nuati,humor ergo intercipitur,ut nullo modo penetrare posſit,Atque nihil ſupereſt cauſæ qua poßint colliquari,cùm fuerint excocta a calore igneo,& ulterius indurata per frigus.Madefactibile autem ſeu macerabile,quod Greci τεγκτὸν uocăt,illud eſt, quod uſque ad profundum per ipſos poros humorem recipit,ſicut ſpongia & lana.Non madefactibile oppoſito modo ſe habet ut lateres. Madefactionis igitur cauſa eſt,pororum amplitudo, multitudo & profunditas, per quos in tota ſubſtantia humor penetrans rem madefacit, lateres uō & huiuſmodi talia non madeſcunt propter cauſas contrarias, habent enim meatus paucos,anguſtos,neque penetrantes. Ruptile dicimus,quod in duas tantum partes diuiditur a rumpente,ſicut uirga lignea. Frangibile, quod ſemper in plures partes q̃ duas etiam inuito frangente diuiditur. Rumpuntur igitur quæ meatus habent ordinatos & uniformes,franguntur quæ oppoſito modo ſe habent, ſemper enim fractio fit in ipſis meatibus,& per ipſos,nam quod uere continuum eſt, frăgi non poteſt.Flexile illud eſt,quod ab impellente tă in gibbum quàm in cauum ad circunferentiam deduci poteſt. Cauſa flexionis eſt humiditas multa in mixtione ex aerea & aquea ſubſtantia.Vnde & flexilia uiſcida ſunt,ut lignum uiride, quod ſi exareſcat,rumpitur,non flectitur,exhalauit enim lentus ille humor,unde & maior ſiccitas ſuborta eſt,& ampliorum meatuum copia,ideo ad rupturam, non ad flexionem patet aditus.Cedens tactui appello, quod

ἐλατὸν Græce dicitur, quod propelli uiolenter potest, ita ut in solido fouea permaneat, sicut in ære, contingit igitur, quæ ita cedunt, ut sint in substantia sua humidiora, sed à ualido frigore indurata, unde etiam à ualido calore liquantur, ut æs & plumbum, cedent igitur percußioni ob innatam mollitiem ab humore contractam, sed uiolente tantum, propter magnam congelationem indurantem & resistentem. Ferrum autem non cedit tactui, neque lapis, neque fictilia aut lateres, quoniã sicca terreaq; substantia in illis dominatur, resoluta humiditate à calore, unde & nullo modo uel uix unquam liqueri possunt. Non igitur tactui cedunt, hoc est enim proprium uerè duri & terrestris. Compreßile appello, quod ab ampliori dimensione in angustum à comprimente contrahi potest, sicut contingit in lana & spõgia. Comprimi possunt quæcunque duo in se habent, raritatem substantiæ, multitudinemq; meatuum, & ob plurimam humiditatem aëream & aqueam optimè cõmixta cum sicco, ob hanc rationem cæra quidem comprimi non potest, licet habeat mixtionẽ plurimi humoris aërei & aquei simul cum sicco, cũ sint in illa meatus pauci & angusti, cuius signũ est, quia non madescit. Pumex etiam non comprimitur, quoniam licet habeat meatuum amplitudinem & multitudinem, tamen caret humore molliente siccum terreum: ideo comprimenti non cedit. Spongia uerò & lana cum & meatus habeant idoneos, & humoris in sua mixtione copiam, comprimi facile possunt. Scißi

le appellamus, quod semper diuiditur ultra illud quod scindens diuidit: sicut pleraq; ligna, hoc contingit in his quæ habent poros extensos in longitudinem. Formabile, *quod* πλαστὸν *græci uocant, dicitur, quod in uarias figuras deduci potest, sicut cera, argilla, & huiusmodi, cuius affectus causa est humiditas aêrea plurima cum aquea & sicco terreo optimè cõmixta: talia enim mollia sunt & uiscida, & in quemcunque situm partibus simul continuis permanentibus, facile deduci possunt.* Dilatabilia *sunt, quæ per compreßionem uel percußionem partibus simul manentibus possunt in ampliorem situm secundum latitudinem duci: talia sunt in quibus humidum dominatur, unde æs, & plumbum, & cæra, & argilla dilatantur.* Quæ *facile teri possunt uel non possunt, ex ipso nomine statim patet: cõteri ergo possunt in quibus siccitas terrea dominatur cum pororum amplitudine.* Contrario *modo se habent quæ teri non possunt, unde qui terere uolunt herbas, flores, ligna, & plura alia humidiora, prius uel exiccant uel exurũt ut exhausta humiditate conteri poßint.* Pumex *igitur facile conteritur, quia suapte natura siccus est, ut paulo ante diximus: lana aut spongia teri nõ possunt, nisi comburantur: ostendimus enim in sua substantia, utrãque esse humidiorem.* Elixari *possunt, in quibus duo conueniunt, primò ut meatus adsint in quibus uapor feruentis aquæ per totam substãtiam penetrare poßit: secundùm ut succum habeant qui sit elixabilis & coctilis: est enim elixatio coctionis*

species:

species: Olera igitur, carnes, legumina, pisces, & reliqua huiusmodi elixantur cum utrumque habeant, meatus, scilicet & succum. Inde est quod spongia uel lana non elixantur, licet ampliores habeant poros, cum succo careant qui coqui elixariq; poßit. Ossa præterea elixari nequeunt, quamuis in se habeãt humorem qui concoqui poßit, ut apparet ex eorum alimento, quo nonnulla nutriuntur animalia, sed elixationem non admittunt, propter pororum angustiam unde uidemus quæcunque solidiora sunt, quamuis intrinsecus plurimo succo elixabili redundent, difficulter tamen & uix elixari, propter meatuum angustiam, propterea & aquæ quæ tenuiores sunt, longe citius & facilius elixant quàm quæ craßiores, quoniam facilius penetrant meatus eorum quæ elixantur. Vaporabile est, quod facile transit in uapores, uaporem appello, more Aristotelis, spiritum humidum à materia calefacta exhalantem. Facile euaporant quæcunque humida sunt, unde & aqua calefacta tota transit in uapores, lapides propter siccitatem, nullum quod sensu appareat uaporem emittunt, propterea & Galenus senum corpora minimè uaporabilia, puerorum autem maximè esse prodidit, quoniam pueri humidißimæ temperaturæ sunt, senes autem siccißimæ. Cremabile appello quod ab igne quoquo modo uinci potest, & in cinerem uerti. Cremantur igitur quæcunque terreæ quidem substantiæ sunt, habent in se tamen meatus qui recipere poßint penetrantem uim ignis, & præterea in poris habent

humorem, ut facile igniri poßint. Quæ uero meatus angustißimos habent, & præterea intra ipsos poros nullum humorem cremabilem, uix uel nunquam cremantur, sicut lateres & multa lapidum genera, sunt enim quidam lapides ampliorum meatuum, in quibus humor cremabilis continetur, qui quamuis à quocunque igne cremari nequeant, a ualido tamen cremantur, ut illi sunt ex quibus calcem conficiunt. Inflammabile est, quod dum igni admouetur emittit halitum, qui facile in ignem uertitur: sicut ligna, paleæ & huiusmodi, nihil aliud enim flamma est quam halitus ille inflammatus. Sunt igitur quædam quæ cremantur, sed non inflammantur, ut omnia ferè metallica: quædam uero antequam crementur prius inflammantur: quædam inflammantur, nō cremantur, ut oleum, & pinguedo: quædam neque inflammantur, neque cremantur, sed tantùm per uaporem absumuntur, ut aqua. Causa omnium est, quoniam quæ uruntur uel inflammātur, illa omnia terrestria sunt, licet necessario in se habeant humorem aëreum inflammabilem uel cremabilem: quæ igitur parum habent de ipsa terra, plurimum de aëre & aqua, illa inflammantur, non cremantur: quæ uerò neque terrā neque aërem in se continent, nec cremari nec inflammari possunt, ut aqua, & uina admodum aquosa: nā quæ ualida sunt inflammantur sicut oleum. Suffumigabile appello, ex quo per agentem calorem potest halitus odorabilis elici; talia sunt quæ in se habent partes siccas terreas in humido optimè attenuatas

nuatas a calore, & quasi ad igneam substantiam re dactas, quæ facile exhalant ob aëris uel ignis calorem, unde odor percipitur, est enim ille halitus proximum subiectum odoris, ut Aristote. *prodidit, estq; hic odor uel gratus uel ingratus, pro ut humanæ tẽperaturæ in sua substantia conuenit uel non conuenit.* De *his autem differentijs quæ tanquam habitus quidam sunt materiæ, sicuti diximus, eadem fere ratio est, ad eadem enim prorsus principia rediguntur.* Nam *quod leue est, in se plus habet elementorũ quæ leuia sunt, quod graue, opposito modo se habet, sunt tamen nonnulla læuia & tamen terrestria, propter raritatem substantiæ, & multitudinem aëris quo replentur amplißimi meatus, unde leuitas acquiritur: ut pumex, ideo si conteratur minutißime, seipso grauior efficitur, exprimitur enim aër qui erat causa leuitatis, & eadem fere ratio est de raro & denso.* Durum *autem dicitur quod uel terrestre est, uel congelatum, uel plenum: sicut utrem durum dicimus cũ plenus est, & eundem quoque mollem, quando est uacuus.* Molle *quod habet causas oppositas.* Lenitatis *causa est multitudo aqueæ uel aëreæ substantiæ, omnino enim humor causa est optimæ commixtionis et æqualitatis, & quocunque ducit & digerit siccum, unde sequitur superficies plana & leuis eorum in quibus humor dominatur.* Contra *asperitas sequitur siccitatem, siccum enim sine humido neque bene miscetur neque terminatur, neque digeritur, ergo in tali mixtione propter inæqualitatem, necessarium*

est

est quasdam partes in superficie corporis eminere, quasdam deprimi, & hoc asperitatem uocamus. Viscida sunt in quibus aër & aqua in mixtione dominantur, pingue enim & uiscidum omnino fiunt ex aëris mistione cũ humido aqueo, propterea & aqua ubi putrescit uel ei admisceatur aliquid olei uel pinguedinis, plurimas eleuat ampullas, neque facile disrumpitur, quoniam uisciditatem acquisiuit quæ facit partem tenaciter adhærere parti, hoc enim proprium uisciditatis est, scimus autem ea quæ putrescunt redundare spiritu flatuoso & aëreo, quoniam à calore extraneo attenuatur humidum rei putrescẽtis, & in spiritum uertitur, unde uisciditas generatur. Friabile uero est quod minimum habet de aëre, nam & aqua & terra facile diuisibilia sunt, propterea lutum quod ex terra & aqua conficitur facile in quacunque parte separatur, male enim continuatur aqua cum succo nisi aeris spiritus subintret & penetret, & optimam commixtionem efficiat, sicut patet in pinguibus & uiscidis, hac ratione argilla quamuis luti quædam species sit, uiscida tamẽ est, neque facile diuisibilis, quoniam in se plurimum spiritum continet aëreum. De uacuo & pleno facile unusquisque perpendit, illud uacuum dici quod in se non continet quod aptum est continere, sicut dolium uini uacuum dicimus uino exhausto. Contrario modo plenum dicimus, quod habet in se, uel quod habere naturaliter debet, uel quod præter naturam ingeritur, neque enim dolium uini continendi gratia cõ

fectum,

fectum, uacuum propterea diceretur si uino exhausto, lana aut frumento, aut aliquo tali repleretur. Crassum dicimus quod non facile penetrat intra poros corporis alicuius, sicut quæ sunt substantiæ terrestris. Tenue *uero quod facile penetrat, & talia maxime sunt in quorum mixtione substantia aërea uel ignea dominatur.* Explicatis *his quæ ad materiam medicamentorum attinent, modo dicendum super est de differentijs quæ formam consequuntur, si prius ad monuerimus auditores, formam apud medicos qualis fuit* Hippocrates *&* Galenus *intelligi nõ sub uniuersalia quædam & confusa notione, ut philosophi faciunt, dicentes formam esse uel actum primũ, uel entelechiam, uel perfectionem rei, uel causam essendi, uel quæ continet materiam, & talia in numera, hæ enim omnes notiones ad certam doctrinam nihil conferunt, & ad operandi artem omnino sunt superuacuæ & uanæ.* Dicemus *igitur cum* Galeno *&* Hippocrate, *formam esse ipsam temperaturam, uel harmoniam quæ ex mixtione quatuor primorũ corporum in singulis quibusque compositis ad certos actus et usus cum quadam æqualitate iustitiæ à formante uirtute perficitur, quæ intra materiam naturaliter continetur, sed de his alibi diffusius disputauimus ubi locus magis fuerat opportunus.* Supponamus *igitur nunc temperaturam formam esse substantialem unicuiusque mixti, nam ex hoc supposito tanquam medici omnia consequenter dicemus, & ex principio bene & secundum rationem fundato, succedent,*

dent reliqua omnia sibi inuicem certo ordine correspondentia. Ergo cùm forma medicamentorum sicut reliquorum omnium mixtorum sit ipsa temperatura, differentiæ formarum uariorum medicamentorum sumentur penes dominium uel æqualitatem primarum qualitatum ex quarum proportione resultat temperatura, non quidem q; intelligamus temperaturam esse ipsas qualitates, sed q; in singulis temperaturis in actione uel paßione mixtorum, apparet actus alicuius qualitatis magis & minus secundum uariam mixtionem. Quando igitur dicimus temperaturam calidam uel frigidam, nõ intelligemus propterea formam calidam esse aut frigidã, sed in actionibus uel paßionibus corporum temperatorum eminere magis uigorem caliditatis aut frigiditatis. Medicinarum igitur quædam sunt eo modo temperatæ ut si corpori humano bene temperato applicentur nullo excessu alterent ipsum corpus, siue ad calidum, siue frigidum, siue ad humidum uel siccum, tales medicinæ ἔυκρατοι a græcis, a nostris temperatæ & æquales dicuntur. Aliæ sunt quæ per calidum a temperamento recedunt, aliæ per frigidum, aliæ per humidum, aliæ per siccum, & hi sunt simplices excessus. Compositi uero sunt ubi excedit caliditas simul & humiditas, uel caliditas & siccitas, uel frigiditas & humiditas, uel frigiditas & siccitas. Atque ita æqualis erit temperaturarum numerus in medicinis & in humanis corporibus, ostensum enim est, & in prima parte huius primi libri, & in primo de temperaturis

peraturis apud Galenum, totidem esse temperaturas humani corporis sine defluxu materiæ existentes. Vnam scilicet æqualem, & 8. inæquales, quarum quatuor simplices sunt, quatuor compositæ, aduertendum tamen est, medicinas non eodem modo apud medicos dici calidas, frigidas, humidas, & siccas, sicut corpora talia dicuntur, humanum enim corpus actu calidum, frigidum, humidum & siccum est, ideo & primo occursu tactus percipitur statim qualitas quæ in ipso dominatur. Medicamenta uerò nullam habent huiusmodi qualitatem in actu, sed potentia tantum: ideo nullam alterationem in humano corpore imprimunt, nisi prius ab ipso calore naturali eiusdem corporis ad actum ducantur, hinc sæpe occurret hominum tactui medicina cui feruidus in est calor, quæ tamen frigida percipitur sicut piper, sed si postea ita uel interius uel exterius corpori applicetur, ut calor innatus poßit in ipsum agere, tunc facile percipietur exuberantia caloris. Quomodo autem ad actum ducantur, & utrum æqualiter omnia tam calida quàm frigida humida & sicca, sunt quæstiões alibi à nobis exquisitißimè disputatæ. His ita declaratis progressus noster erit talis, ut de æquali tantum temperie, & de simplicibus exceßibus simus loquuturi, facile enim qui ingeniosus est & bene uersatus in his quæ iam in prima parte huius primi libri exquisite docuimus, poterit ex simplicibus illis uim quoque compositorum cognoscere. Medicinam igitur temperatam humani corporis respectu uocamus

mus, quæ cum corpori adhibetur temperato, nullum in ipso facit excessum alicuius qualitatis, & in hac nullus aßignatur gradus sensibilis ab ipsis medicis, nemo enim dicit medicinam æqualem in primo, secundo, aut tertio gradu, nam illud quod æquale est & perfectum unum & simplex est: quod uero inæquale multiplex. Nullus igitur alius actus ab hac medicina prouenit, nisi q conseruat humanum corpus in eo statu quem reperit. Quæ uero excedunt, semper alterant ad eam qualitatem in qua est excessus secundùm uarios qualitatis gradus. Incipiamus ergo primò a calida medicina, deinde progrediemur ad reliquas. Calida medicina semper calefacit, iste enim actus proprius & inseparabilis est, uarij tamen sunt gradus calefaciendi secundum gradus excessuum, in temperatura repertos. Galenus autem primus fuit istorum gradùum autnr & obseruator, & quatuor nobis proposuit, quem nunc imitantes dicimus, medicinam calidam in primo gradu uim habere augendi calorem innatum, & non igneum, unde sequuntur concoctiones, maturationes & reliquæ naturalium facultatum actiones. At quæ ad secundũ gradum accedunt, iam alicuits ignei caloris participes sunt, unde uim habent attenuandi, rarefaciendi, & aperiendi meatus. Caliæ ad tertium gradum exiccant, sitim excitant, incidunt, attrahunt, inflammant, corpusq; tabefaciunt & colliquant. At quarto gradu calefacientia uesicas inducunt, rubificant, comburunt, mortificant, & extinguunt. Porrò frigidæ medicinæ,

dicinæ, ſicut & de calidis diximus, proprium inſepa rabilemq; actum habent, ut ſemper refrigerent, uario tamen modo ſecundum uarios frigiditatis gradus, nam quæ in primo gradu ſunt frigidæ calorem innatum refrigerant, ita ut coctiones & maturationes proprium finem exactè non attingant. Sed quæ ad ſecundum acceſſerint præter nocumenta quæ diximus, craſſefaciunt, calorem naturalem manifeſtè obtundunt, unde crudorum humorum multitudo generatur. Quæ uero in 3. gradu frigefaciunt, adſtringunt intrinſecos corporis meatus, ſuccum exprimũt naturalem, diſtributiones prohibēt, ſtupefaciunt ſenſus, plumbeum colorem inducunt. At quæ ad quartũ gradum acceſſerint, congelant, calorem naturalem extinguunt, & tanquam uenena interficiunt. Medicinæ humidæ ſemper & ipſæ humefaciunt in quocunque gradu fuerint, ſed quæ in primo ſunt leniunt & lubricant. Quæ in 2. relaxant; humores acres obtundunt, craßioresq; reddunt, naturalium membrorum tonum imbecilliorem reddunt. Humidæ in 3. gradu non relaxant tantùm, ſed languidum reddunt, unde aßiduæ nauſeæ & uomitus, fluores alui, & lienteriæ, corpus totum pigrum & torpidum efficiunt, motusq; omnes & actiones manifeſtißime obtundunt. At quæ ad quartum acceſſerint, plane ſuffocant calorem innatum, ut aqua ignem extinguit, quæ omnino ſunt uenena. Siccæ medicinæ ſemper in quocunque gradu & ipſæ exiccant, ſed quæ in primo tantùm gradu hoc efficiunt, reddunt corpo

ra & membra ualidiora, sensusq; uegetiores. Quæ in secundo gradu sunt, iam manifeste adstringunt et ueluti ligant, quale ligamentum ipso gustu in acerbis depræhendimus. Siccæ in tertio, meatus omnes angustiores reddunt, humorum transitus intercipiunt, omnes naturæ expulsiones impediunt, succum è corpore exprimunt et tabem inducunt. At quæ ad quartum perueniunt, suffocant, spiritusq; intercipiunt, & mortem inducunt. Tales igitur sunt effectus omniũ medicinarum, qui per primas qualitates secundùm omnes gradus à medicis obseruatos in humanis corporibus imprimuntur, quibus rectè intellectis, haud ægrè poterit etiam mediocris ingenij uir iudicare de compositis, uidelicet quos effectus producat medicina quæ pariter calida sit & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Ad alia igitur transeundum est, si unum adhuc prius admonuero, uidelicet semper (seruata tamen paritate) maius nocumentum sequi à frigidis quàm a calidis, & a siccis quàm ab humidis, deterrimæ enim qualitates, & quæ tota regione corporibus animalium opponuntur frigiditas est & siccitas, notum enim omnibus est in calido & humido uitam consistere.

His determinatis non adhuc tamen acquiescit intellectus medici, qui omnes suas speculationes ad actiones futuras dirigit, quamuis enim esse didicerit differentias omnes, quæ tam materiam quàm formã consequuntur, nihil tamen ibi actum uidebitur, nisi discat quoque quibus argumentis singulæ quæq; ea-

rum

rum differentiarum deprehendi possint. Dicimus igitur artem medicam in hoc esse satis certam, & perspicacem: non enim incertis quibusdam coniectu ris & argumentis procedit, sed sensibus rem attingit, utiturq; praecipuè quatuor sensuum iudicio, tactu, gustu, uisu, & odoratu, quamuis non his omnibus aequaliter. Exactè enim iudicat medicinarum essentiam tactu & gustu, in alijs uero duobus sensibus rationali coniectura progreditur. Per tactum igitur quo nam modo singulae quaeq; medicinae sint experiendae exquisitè docet Galenus in libris de Simplici bus medicamentis, ideo neque in hac parte multum immorabor, ne frustra sit hic mihi susceptus labor, cùm nihil dicturus sim, quod apud Galenum doctius & ornatius legi non possit, unum tantùm hic admonebo, eos qui in hac arte adhuc rudiores sunt, cùm ad experienda medicamenta per tactum accesserint, non expectandum esse primo statim occursu sensum qualitatis quae in medicina dominatur, non enim ea qualitas actu est ut supra docuimus, sed potentia tan tum. oportet igitur prius ut ad actum ducatur, si modo facultas eius percipi debeat, hic autem intelligi oportet de qualitatibus sensu percipiendis, quae consequuntur formam, non quae materiam, de his. n. paulo post dicemus. Qui ergo experiri uoluerit me dicinam uel calidam uel frigidam, prius oportet cor pori applicare, deinde tamdiu immorari donec calor naturalis illam ad actum deduxerit, & tunc apparebit sensu quid sit iudicandum, nam si piper quoque

& euphorbium quæ feruentißima sunt, corpori admoueantur, nullum prorsus caliditatis sensum adferunt, nisi prius ad actum ducantur, neque ignorare debemus, medicamenta omnia primi gradus siue calida siue frigida fuerint sensu solo non percipi nisi adiuncta ratione, & temporis prolixitate, non enim ab his quæ in primo tantum gradu qualitatem aliquã habent sensibilis prouenit affectus nisi sæpius, & in magna etiam quantitate offeratur. Ergo si quis exẽpli gratia ptisanam sumpserit quæ frigida & humida est circa primum gradum, frigiditatem eius non prius percipiet quàm obseruando eius impreßionẽ longo usu & tempore inuecta. Habitus autem qui materiam consequuntur alio modo tactu percipiuntur quàm formales qualitates, illæ enim ut diximus potentia non actu sunt, isti autem habitus sunt actu tales, quemadmodum igitur caliditas ignis & frigiditas niuis statim primo occursu percipiuntur cum sint in actu, ita & materiales habitus eodem prorsus modo primo statim occursu dignoscuntur, nemo enim est qui si rem asperam, uel lenem, uel durã aut mollem, & reliqua eiusdem ordinis tetigerit, qui illico non depræhendat talem esse uel talem. Hactenus de dignoscendis medicamentorum qualitatibus ab instrumento tactus, nunc quomodo sapore quoq; discernantur dicendum superest, quamuis Galenus de hoc quoque copiose differuerit, nihilominus nos, quæ sparsim ab eo dicuntur, in unum certum ordinem colligemus, multa etiam addemus quæ ab eo uel omni-

no prætermissa uel adeo obscure explicata sunt, inde initium tanquam ex supposito capientes. Saporē sicuti etiam diximus, ubi de alimentis loqueremur, esse maximè annexum substantiæ mixtorum, tanquam qui ex iisdem principiis oriatur, nam cùm omnia mixta in speciem propriam deueniant ex certa quadam proportione calidi, frigidi, humidi & sicci, ita etiam sapor ex humido prouenit admixto cum sicco per actionem caloris, unde & ipsa natura gustandi sensum simul cum tactu dedit omnibus animalibus, ut per utrūque discernerent quæ illis conuenirent aut non conuenirent; iucundus enim omnino & tactus & gustus eorum omnium est quæ tangenti uel gustanti secundùm substantiam conueniunt, quæ uerò nō conueniunt, illa omnia ingrata iniucundaq; sunt, Est enim uoluptas eorum quæ singulorum naturis aßimilantur, dolor uero oppositorum. Ergo quæcunque homini in gustu grata & iucunda occurrūt, illa omnia ipsius naturæ conueniunt & aßimilātur, quæ uerò talia sunt, dulcia ab omnibus appellari cō sueuerunt. Non enim dulce tantū intelligimus, quod habet huius saporis exuberantiam, sicut uidemus in sacchara & melle, sed etiam dulce uocamus quodcūque gustum naturaliter se habentem delectat, unde & uinosa & pinguia dulcia uocari mos est, imò & quoddam dulce est quod tamen proprio nomine exprimi nequit, sicut sapor ille qui in pane aut chondro & similibus inuenitur, quia & aqua quæ alioquin insipida est, dulcis tamen uulgò appellatur,

quoniam ſcilicet nullum ſenſum moleſtum guſtanti adferat. Cùm ergo dulcia hæc omnia eſſe intelligantur, ac conſequenter uarij ſint dulcedinis gradus, ſub hac tamen communi notione contenti, quod gratè ſine aliqua moleſta alteratione guſtantibus occurrãt: ſtatuemus ſaporem hunc dulcem tanquam temperatum inter duos receſſus medium, reſpectu ſuorum extremorum utrinque poſitorum. Et *cùm nos dicamus ſaporem dulcem medium eſſe & temperatiſsimum inter reliquos, non propterea contradicimus* Ariſto*teli, qui dulce & amarum in duobus extremis locauit, neque etiam* Ariſt. Galeno *contradicit, cùm* Gal. *opinetur acerbum & acre tota regione aduerſari; cùm enim nos dicimus dulcem ſaporem medium eſſe inter extremos, ſaporis notionem ſumimus penes cõuenientiam ſubſtantiæ, quam habet ſapidum cum guſtante, & cùm ſola dulcia ut oſtendimus talem habeant conuenientiam, & alij omnes ſapores aliquo pacto magis aut minus aduerſentur, ideo medium & temperatum uocamus, qui conuenit, exuberantes uero et a naturali ſtatu recedentes, qui non conueniũt.* Ariſtoteles *autem cùm duo poſuerit extrema, dulce & amarum, conſiderauit ſolùm ſaporum eſſentiam penes ſentientis uoluptatem & dolorem, & cùm maximè delectet dulce, maximè moleſtiam, inferat amarum, & maxima uoluptas maximæ moleſtiæ aduerſetur, ideo dulcedinem & amaritudinem contrarios ſapores conſtituit.* Galenus *autem qui conſiderationem de ſaporibus non propter ipſos ſapores ſed pro*

pter

pter usum artis aggressus est, contrarietatem summam posuit inter duo, quorum alterum maxime adstringit linguam, alterum maxime dilatat, talia autem sunt sapor acris & acerbus, quemadmodum infra melius apparebit. Nulla igitur discrepantia est si res rectè audiatur, neque inter Aristote. & Gale*num, neque inter me et utrumque eorum. Statuamus ergo dulcedinem omnium saporum mediam, ad quã referantur & comparentur reliqui, nõ aliter quàm in humanis corporibus ad æqualem temperaturam excessus omnes, tanquam ad regulam quandam a medicis referuntur. Sed unde nam sumẽtur saporum excessus?* Non *ab alia re profectò, quàm a proprijs immediatisq; causis singulorum. At ubi de alimentis loquebamur, ostendimus, sapores fieri a varia mixtione humidi & sicci per diuersam actionem calidi & frigidi, & cum a calido coctiones omnes proueniant, a frigido cruditates, incipiamus a saporibus qui in mixtis corporibus resultant, ubi frigiditas superat caliditatem. Superare igitur poterit, uel ubi in subiecto siccum terreum dominatur, uel ubi humidum aqueum. Si ergo terrestris substantia dominetur, & actio caliditatis non potuerit conficere, & attenuare siccum, & bene commiscere cum humido, tanquam a frigiditatis excessu impedita, tunc ut par est in eo mixto uires terræ dominãtur, terra autem tendit ad centrum, & sua frigiditate adstringit & constipat, ergo ubi talis substantia terrestris accesserit parum deuicta a calore, sequetur sapor in mixto*

 adstrin-

adstringens, constipans, & ad centrum linguæ humorem impingens, talisq; sapor a Græcis στρυφνὸς, *a nostris acerbus uocatur. Si uero frigiditas non ad summum excesserit, sed aliqua quoque uirtus caloris, licet obscura, in mixtione apparuerit, quæ secum parum aliquid humoris attraxerit, & cum sicco terreo quadamtenus attenuato permiscuerit, non ea uis astrictionis & constipationis gustanti apparebit, sed tantò remißior, quanto & plus caloris & humoris concocti inuenietur in mixto. Sapor igitur huius substantiæ absolutè a Græcis* στυπτικὸς, *a nostris austerus uocatur. At si subiecta materia plus habuerit humoris q̃ terreæ substantiæ, calorq; inceperit quidem in humore coctionem quæ ad perfectam mixtionem dirigebatur, sed longè prius defecerit & exhalauerit quàm terminum assequi potuerit, & eo exhalato frigiditas tanquàm uictrix in humore permanserit, tunc in ea mixtione sequetur sapor qui* ὀξὺς *a græcis, a nostris acidus appellatur, & cùm ea substantia ob humoris redundantiam subtilis sit, penetrat ad profundum, neque in superficie sistitur exiccans & exasperans, quemadmodum terrestris illa, in qua siccum terreum diximus dominari. Et cum in humore egerit calor, qui postea exhalauerit, reliqueritq; caliditatis uestigia, subtiliorumq; partium adustionem, ideo quæ acida sunt, non tantum penetrant ad profundum, sed etiam mordicant & abstergunt, ostendemus enim abstergentia & mordicantia oportere huiusmodi esse substantiæ.*

Et

Et hi tres sunt sapores qui a medio temperato recedunt per frigiditatis & cruditatis excessum, quorũ duo, acerbus inq̃ & austerus in terrea crassaq; substantia fundantur, tertius idest acidus in humida, quæ a calore qui postea exhalauit mediocriter fuerit attenuata. & hæc de saporibus, qui in mixtis ob frigiditatis excessum emergunt: Nunc modo de his agendum, qui ob caloris dominium generantur, ubi hoc unum præmitti debet, quod prius explicatũ fuit, & nunc tanq̃ supposito utemur. Dulcedinem fieri propter calorem temperatum optime commiscentem humidum cum sicco, & cum huiusmodi calor remittitur, secundum remißionis gradum tendere primo ad obtusam dulcedinem, deinde ad insipiditatem, ultra quam iam postea dominante frigiditate emergunt sapores frigidi, de quibus supra satis disseruimus. Quanto uero caliditas magis intenditur, secundùm intensionis gradum primò fit exuberantia quædam dulcedinis, ut in saccharo apparet, deinde si adhuc magis intenditur, exuberat quidem & ibi dulcedo, sed non simplex, immo alijs admixta saporibus, sicut in melle depræhendimus, quod non summam tantum dulcedinem, sed acrimoniam quoque manifestè præfert. At si calor hos terminos excesserit, considerare oportet quod nam subiectum nanciscatur, si enim sicum terreum fuerit, quod caloris redundantia adusserit & attenuaverit, necessariò fit substantia terrestris in eo mixto siccior & tenuior, & magis penetrans ad profundum. Sapor igitur inde resultans pri-

mò fit salsus, deinde amarus: salsedo enim aliquod hũ miditatis adhuc uestigium seruat, quæ concocta sit, & humanæ temperaturæ familiaris, unde & salsedo in omnibus ferè animalibus gustum acuit & delectat. At ubi tota penè humiditas nimia ui caloris exhausta fuerit, tunc sapor ingratißimus redditur, qui amarus uocatur, ideo amara quatenus amara sunt, nullum animal nutriunt, nulla enim superest humiditas unde alimenti succus elici poßit. At si subiectum in quo ualidus calor & igneus ad mixtionem agat, humorem satis insignem habuerit cum sicco terreo admixtum, attenueturq; ui caloris & efferuescat tam humido pars quàm sicca, tunc ex huiusmodi commixtione & temperatura, resultat sapor quẽ δριμὸν Græci, nos acrem uocamus, penetrat substantia huius saporis usque ad profundum linguæ tenuitatis ratione, deinde suo feruore dilatat, exiccat, & tanquàm urit, magis tamen ac minus, pro ut sunt uarij gradus caloris. Erunt igitur omnino septem saporum genera, quorum tres ob excessum frigiditatis in mixtione contingunt, acerbus inq̃, austerus & acidus, tres alij contra ob caloris redundantiam, salsus, amarus, acris, medius inter hos omnes ob temperatũ calorem est dulcis, in quo multi occurrunt gradus in intensione & remißione secundùm uarietatem caloris, quæ enim ad summum coctionis deuenerunt, illa summa etiam dulcedine excellunt, quantò uero ab hac coctionis summitate recesserint, tantò etiã dulcedinem remittunt, donec ad manifestam insipiditatẽ

de-

deuenerint,in qua neque caloris uis, neque frigoris aperte monstratur,intelligo neque caloris neque frigoris uim in insipidis esse manifestam, respectu coctionis & mixtionis,non respectu alterationis quam in corporibus animalium imprimunt, insipida enim penè omnia in relatione ad corpus humanum temperatum frigida sunt:tales gradus dulcedinis reperiũtur in sanguine,adipe,& pituita,sanguis enim quãtò melior,purior,& magis concoctus,tanto dulcior, adeps uerò qui secundum medicos ab ea coctione sanguinis recessit,tanto minus sanguine dulcior est,quãto etiam minus calidus, donec tandem ad pituitam naturalem deueniatur,quæ propter minimam coctionem insipida permansit,in qua si postea calor extraneus aliquid egerit,secundum uarios effectus ipsius quos supra nominauimus,modo acida redditur, modo salsa,quandoque etiam amara. Et ex his omnib. satis apparet his qui in discursibus sunt exercitati, solum saporem dulcem temperatum esse, atque ab optima coctione procedere, & terminatione humidi cum sicco,unde esse etiam corporis humano familiarissimum,quoniam inter reliqua omnia animalium corpora temperatissimum est. Ceteros uero sapores omnes eidem corpori humano secundum naturam habenti,ingratos in suauesq; esse modicumq; alimenti succum ex illis ab innato calore elici posse, & illum quoque modicum,malum, naturæq; humanæ parum idoneum,pro medicamento tamen ubi dispositiones fuerint præter naturam,frequentissimè singuli qui-

que

que utiliter adhibentur, & hæc satis de saporibus qui temperaturam medicamētorum, alimentorumq; immediate consequuntur. Quantum uero ad odores attinet, forte nō minus quoque ex illis singulæ quæque temperaturæ intelligi possent, odor enim temperaturam eadem rationis proportione consequitur, sicut etiam sapor, nam quemadmodum sapor fit per humidum alteratum per siccum, ita odor fit per siccum terreum attenuatum a calore & euaporatum ab humido. Sed quoniam non ita se habet humana natura ad sensum odoris, quemadmodum ad sensum tactus & gustus, qui etiam quidam tactus est, imperfectißimè enim inter omnia animalia odorum differentias percipit, ita ut duas tantum sub communi notione, grati & ingrati depræhendat, propterea non possumus ex ipsis odoribus in rerum temperatura aliquid certi elicere. Quod manifestißimè ita esse indicatur exemplo rosæ, quando enim ex rosa odorē iucundum percipimus, illum tantum cognoscimus, uaporem inde efflari optimè attenuatum & excoctum, sed quid postea sit in reliqua rosæ substantia non depræhendimus, at si eandem rosam gustauerimus, propter exquisitißimum gustandi sensum nobis naturaliter insitum, facile discernimus in ea esse amaritudinem, dulcedinem, & quandam austeritatem, & ex his tribus diuersis saporibus colligimus in rosa diuersitatem esse substantiæ, neque in singulis eius partibus eandem esse temperaturam, quo exemplo relinquitur manifestè, cognitionem mixtorum quæ ex odore

dore habetur esse ualde imperfectam, exactißimam uerò quæ ex saporibus. At ex colore *minimum est quod haberi poßit, ex eo enim dispositio tantùm apparet quæ in superficie mixtorũ eminet, ad interiorem uero substantiam nullo modo per coloris aspectum possumus penetrare, nihilominus quamuis essentia temperaturæ obscurißimè depræhendatur ex colore & odore, nihilominus plurimum nobis conferunt in discernendis naturalibus & non naturalib. dispositionibus, quæ in singulo quoque mixto reperiuntur, nam & in humanis corporibus tam naturales q̃ præter naturam habitus & affectus, tum ex odore, tum ex colore non parum discernuntur, in medicamentis etiam & alimentis dignoscendis, utrum secundùm naturam an præter naturam se habeant, quotidiana experientia probamus, q̃ plurimum nos iuuari, tum ab odore, tum a colore.* Et *hæc satis de his quæ ad essentiam medicamentorum attinent, nũc modo ad certas eorum actiones accedendum est, ubi uidebimus quantum referat cognitio essentiæ singulorum, quæ maximè per sapores dignoscitur.* Sed *prius remouenda est non contemnẽda dubitatio quæ emergit ab his quæ paulo ante asseruimus. Si enim uerum est dulcem saporem, & iucundum odorem indicare conuenientiam, naturæq; familiaritatem quæ est inter sensum & sensibile, tunc reddenda ratio est quare multa quæ corpori humano applicantur gustu quidem & odore iucunda, sed adeo aduersa & inimica, ut non tantùm lædant, uerùm etiam interficiũt,*

hu-

huius rei locuples testis est Theophrastus. 9. *de plantarum historia, qui plures tum herbas tum radices commemorat, gustu & odore iucundas, quæ tamen interficiunt.* Non *igitur uidetur certam capi posse cõiecturam familiaritatis cum corpore humano, uel medicinæ, uel alimenti quemadmodum supponebamus. Sunt nonnulli qui hanc difficultatem soluere conati dicant, alimenta & medicinas perpendi, uel a tota substãtia, uel a qualitatibus, quædam enim sunt quæ manifestis qualitatibus alterant, calefaciendo, refrigerando, exiccando, & reliquis similibus, quædam uerò sola substantia agere uidentur, ut scammonium bilem trahens.* Imò *& uenena sub hoc eodem censu sunt, quædam enim manifestis qualitatibus interficiunt, ut opium & cicuta, quædam a tota substantia, ut aconitum, & uiperæ uirus. Sed qui ita ambiguitatem soluunt, principium petere uidentur, nam si tota essentia mixtorum costat ex forma & materia, & forma supponatur ex* Hippocrate & Galeno *nihil aliud esse quàm temperatura, temperaturæq́; distinguantur, & denominentur per calidum, frigidum, humidum & siccum, & hæc omnia secundum uarios suos excessus per sapores indicentur, in idem omnino retorquebimur, nam quanuis a tota substantia aliquid operetur, apparebit tamen operatio secundum determinatum gradum temperaturæ: supponitur enim forma substantialis esse, & illud quod est causa essendi, sed cùm sapores immediate sequantur uarios gradus temperaturæ, ut etiam declaratum fuit, conclu-*

cluditur necessariò semper a saporibus iudicari con uenientiam & inimicitiam singulorum siue a tota substantia agant, siue a qualitatibus manifestis. Vnde omissa hac solutione dixerunt alij in quolibet mixto, quamuis unius simplicis substantiæ uel formæ esse appareat, plerunque tamen inueniri diuersas partes, non dissimilis tantùm naturæ sed etiam contrariæ, ut ostendit Galenus in rosa, caulibus, lentibus, absinthio, & q̃ plurimis alijs, sed maximè hoc depræhendimus in coriandro, cuius folia uirentia & flores fœtidissimi odoris sunt, & planè uenenum, semina uero exiccata, gustu & odore iucunda. Aiũt qui in extremas occidentalis Indiæ regiones nauigant nuper repertas, radicem ibi frequentissimam esse, cuius succus præsentaneum est uenenum, solidum uerò eiusdem corpus, uitæ humanæ esse saluberrimũ, ex eoq; uulgo confici panem optimum. Quæ cùm ita sint, non uidetur illis mirum, si aliquod sit uenenum, quod tamen & gustanti, & odoranti iucundum appareat, hoc enim esse affirmant propter partium dissimilium naturam, aliam enim partem esse quæ iucũda percipitur, aliam quæ interficit. Quod quidem nos quoque ita esse non negamus, fatemur enim reperiri plerunque in mixto partium diuersitatem & contrarietatem, quotidiano tamen usu deprehendimus illas facile gustu discerni: si quis enim rosam gustauerit, in ea planè distinguit amaritudinem, dulcedinem, & austeritatem, Agaricus etiam primo gustu dulcis, postmodum amarus apparet, neç aliunde hanc par-

partium diuersitatem q̃ a gustu colligimus. Si ergo uenenum offeratur nobis gustu & odore iucundum, habeat ut lubet partium contrarietatem, mirum tamen est q gustu non discernatur, sicut in reliquis cõtingit: longè enim magis in illis apparere deberet, cum partes non dissimiles tantum sint, sed planè contrariæ, & omnino uidetur absurdum quomodo aliqđ uenenum gustu & odoratu iucundum appareat, frustra enim natura dedisse uideretur hos sensus animalibus, qui non ob aliam rationem dati uidentur, nisi ut in alimentis discernantur familiaria & inimica. Alio *ergo itinere eum ut arbitror progredi oportet, qui uelit hanc difficultatem rectè explicare, & si quispiam assumeret substantialem formam esse ultra temperaturam aliquid diuinius, siue exterius accedens cœlitus dimissum, ut uidetur uoluisse* Auicenna, *siue sit a uirtute formatiua intrinsecus productum per instrumentum caloris innati, non prout calor est elementaris, sed prout proportione respondet uirtuti stellarum, ut uoluit* Aristoteles: Haud ægrè *opinor poterit hanc difficultatem absoluere*. Nam *quamuis per mixtionem certæ quædam in singulis mixtis temperaturæ resultant, quæ faciãt ipsam materiam, & proximum subiectum alterius conuenire cum altero, poterit tamen secundùm eam formã cœlestem, & extra omnes materiæ conditiones existentem, habere occultam quandam facultatem, quæ alteri formæ familiaris sit uel inimica.* Ideoq; *omnes ferè illustriores uiros tum antiquos, tum etiam iuniores,*

res, occultos omnes effectus siue familiares siue aduersos adhanc causam contulisse. asserunt enim magnetem ferrum attrahere, scammonium bilem, non non propter aliquem temperaturæ gradum, sed quoniam talis, uel talis est forma, postea si interrogētur qualem tandem dicant eam esse formam, fatentur ignorare, & in hoc consistit omnium fere solutio, cui etiam sententiæ manifeste uidetur astipulari Galenus. Sed de alijs omnibus fortasse nihil ultra superest quod cōtra eos afferatur, sed de Galeno forte aliquis non abs re dubitaret: cùm enim temperaturam tam apertè asserat esse formam substantialem, & ultimū actum mistionis, haud facile uidetur posse ex hac dubitatione explicari, propter ea quæ superius disseruimus. Hîc ergo paulo altius res repetenda est, audio enim paßim Galenum in hac parte falsò uituperari, contraq́; eum ineptè argui. Si temperatura esset forma, tunc sequi ut forma esset accidens, sequi etiam ut esset uel calida, uel frigida, humida aut sicca, quæ omnia sunt absurdißima, & hæc ita dicuntur ab illis, quoniam mentem Galeni uel non percipiunt, uel falso interpretantur, neque enim Galenus dicit temperaturam formam esse substantialem, intelligens hoc nomine temperaturæ ipsam ut ita loquar, crasim primarum qualitatum, & commistionem primorum corporum, ut plerique crediderunt, sed illum actum & perfectionem, qui ex tali contemperantia & mixtione consequitur, non aliter q̃ si quis in cythara rectè temperet graues sonos cum acutis, uario modo tē

dendo aut remittendo chordas, & inde sequatur con centus harmonicus, nemo iure appellabit concentum illum tensionem aut remißionem chordarum, neque contemperantiam grauium & acutorum sonorum, sed potius perfectio & harmonia quæ consequitur, res longè diuinior & admirabilior, & tamen illa harmonia siue concentus, quamuis sit aliud quàm con temperantia & proportio, denominatur ab his, a qui bus proximè exoritur, & dicitur consonantia dupla uel tripla, uel aliquo tali proportionum nomine. Ita *etiam omnino in temperaturis cõtingit: nam per qua tuor primarum qualitatum contemperantiam, & cõ mixtionem primorum corporum, resultat perfectio & actus quidam tanquàm harmonicus, qui aliud qui dem est quàm contemperantia primarum qualitatũ, ab illis tamen denominatur.* Dico *actum quasi harmo nicum, non harmonicum, propter sophistarum impor tunitates, nominum enim defectu transferimus aliũ de per metaphoram & quandam analogiam, alienũ nomen, & ideo rationes Socratis in Prothagora con tra Cebetem, probantis formam nõ esse harmoniam, nihil nos offendent, neque enim dicimus propriè esse harmoniam, sed quod illi proportione quadam respõ deat.* Talem *autem fuisse Galeni sententiam manife stißimè ipse indicat, tum alibi, tum in eo libello qui inscribitur quod animi mores temperaturam corpo ris sequantur, ibi enim contra Aristotelem disputãs, ait, Cùm posuerit ipse animam, & reliquas formas esse actus, & entelechias corporum mixtorum, seu ue*

lit,

lit, seu nolit, cogi ut fateatur formam esse temperaturam, nullius enim momenti esset argumentum Galeni contra Aristotelem, nisi supponeret, temperaturam esse illum actum & entelechiam, quæ sequitur ex qualitatum contemperantia. Vnde hinc fortasse aliquis rectè coniectari posset inter Aristotelem & Galenum uerborum potius quàm rei esse discrepantiam, scio etiam Galenum aliquando dixisse formam aliquid esse diuinius quàm contemperantiam miscibilium. His ita suppositis, a Galeni principijs minimè discedentes addemus illud quod sequitur, Actiones et impressiones calidi, frigidi, humidi, sicci, relictæ in corporibus, propter contemperantiam qualitatum tenere se ex parte corporum, & subiecti, ideoq; mutuo se inuicem alterari corpora, uel conseruari, secũdùm conuenientiam uel discrepantiam harum qualitatum: alios uerò esse actus magis proprios & admirandos, occultiores & diuiniores, qui se tenent ex parte formæ, tanquàm eius naturam consequentes. Atque illæ quidem corporeæ actiones & impressiones facile sensu percipiuntur ab omnibus animalib. nullum enim prorsus animal est quod sensu tactus et gustus priuetur, propria autem obiecta tactus sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, sicut gustũ di sensum sapores mouent, qui immediatè illas qualitates sequuntur, quemadmodum suprà ostendimus. Ergo quæcunq; uel offendunt uel iuuant ob harum qualitatum rationem, & omnino propter aliquam corpoream qualitatem uel substantiam subiecti, qua

tenus subiectum est & quoddam corporeum, meritò percipiuntur ab animalibus per tactum & gustum, & consequenter, quæ conueniunt, sunt ingrata. At ea quæ magis spiritalia sunt, & consequuntur nobilitatem formæ, longè sublimiora habentur q̃ quæ possint uel tactu, uel gustu percipi. Nonne *uidemus & colores, & sonos cum sint res quædam magis incorporeæ & magis formales, nullo modo mouere sensum tactus uel gustus, nihil enim magis delectabit aut offendet sensum tactus aut gustus siue album siue nigrum, siue consonum siue dissonum fuerit. Quòd si in colore & sono hæc ita esse deprehendimus, longè magis apparebit in his quæ prorsus & uisum & auditum excedunt, tanquàm longè nobiliora & ipsius tandem formæ quatenus forma est, uirtutes & actiones.* Certè *talia q̃ plurimas non in animalibus tantũ, sed in omnibus mixtis esse quotidiana experientia comprehendimus, non enim q̃ magnes attrahat ferrum, habet ab aliqua qualitate seu modo substantiæ quod corporis naturam sequatur, sed prorsus ab ipsa forma quatenus forma est, neque nos homines tales sumus, qui uirtutes formarum occultas depræhendere ualeamus, nam neque essentiam alicuius formæ cognoscimus, & ignorata essentia, quomodo affectus & uirtutes eiusdem cognoscemus, tantùm admiratores sumus; & cùm per species uarias rerum discurrimus, obseruamus effectus quosdam formarum, qui omnino excedunt omnem mensuram humani intellectus.* Neq; *hoc præter rationem est, forma enim omnino*

nino substãtia diuina est,& incorporea,ab omnibus sensibus & imaginationibus aliena, neque propriè est in loco,neque ab eo circunscribitur.Ideo sæpe admirando quodam modo & prorsus nobis ignoto per maximam quoque locorum distantiam,uires, actionesq; suas diffundit. Velle autem rationem indagari cur forma formæ conueniat,uel aduersetur,& cur cõsensus uel dissensus inter illas sequatur, quos συμπαθείας & δυσπαθείας græci uocant, est ut in prouerbio dicitur circa idem saxum reuolui: quæ si rectè animaduertisset Hieronymus Fracastorius municeps meus,uir genere & moribus insignis, summiq; alioqui & prope diuini ingenij,consensus istos formarum & dissensus,ad absurda quædam seminaria, & Epicureorum figmenta non retulisset. Sed de his latius egimus exponentes secundam partem primi libri Auicennæ,ubi etiam de contagio abunde disseruimus,speramusq; ea commentaria,si deo placuerit, nos esse ædituros,non quidem gloriæ captandæ gratia,a qua semper fuimus alieni, sed ut ingenuè fatear,erit æditionis causa,q, uideo diuulgari disseminariq; à meis auditoribus ea,quæ me legente transcribunt, quæ Dij boni ita conscribuntur ,ut cùm mihi quandoque offeruntur,non amplius ut mea recognoscam,ita sunt corrupta, contaminata, & infeliciter explicata:si quæ igitur erit causa ad publicanda ea quæ quotidie legendo profiteor,erit hæc potißima. Sed ad rem accedendo,optimè mihi uidetur solui posse problema propositum, non discedendo a Galeni

fundamentis: supponentes enim temperaturam, quando ipsam pro forma substantiali intelligimus, non esse contemperantiam qualitatum primarum, quæ est secundùm æqualitatem, uel excessum earum, licet ab illis denominetur, sed esse harmonicam illam perfectionem, quam ex ea contemperantia oriri diximus, quæ sententia uidetur etiã Platonis fuisse in Timæo. Hæc autem harmonica proportio, est quiddam longè diuinius & extra materiæ conditiones se attollens, quàm quis ineruditus, & in philosophicis mysterijs parum exercitatus imaginari posit. Quamuis igitur uulgaribus uiris multa occurrant admirabilia, & quæ penè appareant impoßibilia a formarum uiribus progredientia, eruditi tamen uim formarum percipientes non hæsitant, & si intelligant a pisce, qui Remora appellatur, nauim onerariam detineri, uel a Torpedine per rete ad manus piscatoris torporem traduci, facile cognoscent non esse hoc propter aliquam qualitatem, quæ uel a materia, uel a commixtione corporum, uel contemperantia primarum qualitatum proueniat, sed a formæ admiranda potestate. Si ergo inuenietur medicamentum aliquod odore & sapore iucundum, quod tamen hominem interficiat, non erit extra rationem, sapor enim & odor sequuntur commixtionem corporum, & uariam mensuram humidi cum sicco, sed q. postea interimatur homo, hoc est ratione formæ, quæ neque dulcis, neq; calida, aut prorsus alicuius corporeæ qualitatis particeps occurrit, cùm penitus sit incorporea & diuinæ

na-

naturæ. Et si aliquis hic dubitauerit, quomodo fieri possit, ut stante tanta similitudine in commixtione et contemperantia qualitatum inter hominem & medicamentum, ut gustus & odoratus delectetur, & tamen tanta sit discrepantia ex parte formæ. Nam nō uidetur rationi consonum, cùm supponamus formam esse harmonicam illam perfectionem, quæ resultat ex commixtione, non enim effugere posse uidemur, similitudines formarum cōsequi similitudinem mixtionis, quam sequitur tanquàm eius perfectio. Isti qui ita dubitant, non sunt exercitati in consonantijs, & harmonicis proportionibus: audimus enim consonantiam diapason, quæ est omnium perfectissima, q̃ aptè delectet, si tamen uox per semitonium uel intendatur uel remittatur, percipimus maximam dissonātiam: quamuis duæ illæ proportiones inter se non distent in materia uocum, nisi per semitonium, consonabunt tamen diapente, uel diatriton cum diapason; quamuis in materia uocum plurimum distent. Sed nos longè manifestius deprehendimus in combinatione literarum, si enim accipitur exempli gratia. N. & A. & simul iungantur, ita ut N. præcedat. A. sylla ba erit N A. si uero præcesserit A. & N. successerit, syllaba erit A N. Hic uides quanta sit differentia et ueluti dissonantia inter A N. & N A. & tamē q̃ proxima sint elementa & materia, imò eadem prorsus, ordine tantum differens. Si ergo solus ordo materiæ tantam potest facere differentiam formarum, quantò magis faciet non ordo tantùm materialium corporum,

rum, sed etiam substantia paulo magis uel immutata. Quod animaduertentes Democritæi philosophi, principia rerum in suis substantijs prorsus immutabilia opinabantur, sed tantam formarum diuersitatem causari ex sola mutatione figuræ, ordinis, & situs eorundem corporum materialium. Sed uideo me digredi ulterius q̃ proposueram, & ab huius speculationis nobilitate & difficultate distractum, latius q̃ par est euagari, unde contractis uelis ab hac uasti pelagi nauigatione desistam, & in tempus magis opportunum rem totam differam.

Cum hactenus uiderimus in quibus tota medicamentorum essentia consisteret, tam ex parte formæ, q̃ ex parte materiæ, & quomodo, & quibus argumentis singulæ quæque species & differentiæ dignoscantur. Nunc modo uidendum super est, qua nã uia & ratione singula quæque, singulis corporum humanorum dispositionibus rectè applicentur, hic enim erat finis a nobis intentus, cuius ratione hactenus circa hanc materiam sermonem produximus. Satis hoc unum constat, quo nos tanquã principio & fundamento utemur, eorum quæ deinceps dicturi sumus, Medicum speculari ut inde ad actionem idoneus efficiatur, est enim medicina habitus intellectus actiuus & ars, quæ necessariò ad aliquod opus dirigitur, finis autem per actionem medici intentus, ipsa sanitas est, quæ uel est conseruanda si adest, uel efficienda si non adest. Ac de conseruatione quidem non est iste considerandi locus, spectat enim ad ter-

tiam

tiam partem huius primi libri Auicennæ & ad Galeni libros de Tuenda Valetudine. In hac uerò quarta parte, quam hoc anno declarandam suscepimus, ut toties audiuistis, propositum est qua uia & ratione efficiatur sanitas cùm non adest. Huius ergo artificij prius totum fundamentum rectè constitui oportet, postquam deuenimus ad medicamentorum considerationem, quæ sunt unum ex potißimis instrumentis quibus sanitas efficitur. Ita ergo exordiemur discursum. Sanitas in corpore humano quando non adest, effici nullo modo poterit, nisi prius alteretur, immuteturq; corpus: cum enim ægritudo sanitati opponatur, expelli non potest nisi per ea quæ sunt contraria ægritudini, sed progressus de uno contrario ad aliud, necessario est sub aliquo genere motus, ergo medicina quæ erit sanitatis operatrix, contraria erit ægritudini sub genere alterationis. Cum enim substantia substantiæ non sit contraria, oportet q̃ contrarietur per aliquam qualitatem, in his enim propriè inuenitur contrarietas. Sed cùm medicina sicuti diximus, quemadmodum & reliqua omnia mixta, constet ex materia & forma, qualitates in illa existentes uel materiæ uel formæ naturam consequentur. De quibus omnibus cum iam hactenus exquisite egerimus, Supponentes modo totius nostri artificij subiectum esse corpus humanum in quo operamur quæcunque operamur, ac præterea addentes ægritudinem expelli per ea quæ sunt illi contraria, cùm nunc de medicinis agamus, quarum proprium

est expellere ægritudinem, sequetur proculdubio q́, medicinæ in quantum medicinæ sunt, sint contrariæ ipsis ægritudinibus, & cùm per qualitates contrarientur nō per substantiam, sequetur etiam quòd sit semper aliqua qualitas quæ sit proxima causa alterationis & immutationis. Sed cùm omnia contraria inter quæ est actio & paßio neceßariò sint sub eodem genere proximo, tunc etiam sequetur, q́, omnis lenitas medicinæ erit sub eodem genere proximo cū qualitate morbi expellēdi. Cùm ergo qualitates medicinarum sint à nobis distinctæ, tam quæ se tenent ex parte materiæ, quàm quæ se tenent ex parte formæ, oportet nunc singula singulis comparare, ubi apparebit quàm necessaria sit tota præcedens speculatio ad artem, & operationes medici, & q́, hactenus non de uanis quibusdam figmentis disputauerimus, sed de his quæ sunt ad praxim summoperè necessaria, sine quibus, medicus secundum rationem operari non potest. Incipiamus ergo prius à differētijs quæ se tenent ex parte materiæ, & exerceamur in illis tā quam agentes, & in speculatione quodammodo operantes, postea accedemus ad qualitates quæ se tenēt ex parte formæ. Materiales ergo qualitates, sicut audiuistis ferè tales erant, raritas, densitas; grauitas leuitas; mollities, durities; asperitas, leuitas, craßitudo; tenuitas, friabilitas, uisciditas; uacuitas, plenitudo. Ponatur ergo humanum corpus in sua substantia, uel aliqua eius parte rarefactum esse præter naturam, ut inde actiones lædantur, constat hic esse ægritudinem

tudinem

tudinem quæ se tenet ex parte materiæ humani corporis, ergo occurrendum illi est ex his quæ supposuimus cum medicina quæ sit ei opposita sub eodem genere proximo. Erit igitur medicina talis quæ uim habeat condensandi, quomodo ergo per methodum erit inuenienda? Sciuistis ex his quæ superius docuimus, illud corpus rarum appellari, quod in se plures habet atque amplos meatus, & in quo partes dissident a partibus, ergo si rarum cõdensari debet, oportet inuenire medicinam quæ comprimat, & meatus strictiores reddat, & quæ faciat ut partes magis adhæreant partibus. Sed iam docuimus si recte meministis, omnes medicinas in quibus uel sapor acerbus, uel austerus dominatur esse temperaturæ frigidæ, & substantiæ terrestris, unde necessariò cum tales sint, constringunt, constipant, comprimunt, ergo densabunt. Hac igitur uia & ratione progredientes, facile inuenietis iudicio gustus quæ medicinæ sint aptæ ad condensandum corpus uel partem eius quæ fuerit rarefacta. Contrario modo si corpus fuerit se ipso densius redditum, & propter densitatem sequatur ægritudo proculdubio rarefactione indiget. Quæ rarefaciunt eadem methodo inuenientur, indiget enim rarefactio medicina calida & subtili quæ penetret ad profundum, & dilatet, sed didicistis iam omnes medicinas in quibus est sapor acris, habere in se substantiam tenuem cum calore feruido & igneo, ratione igitur tenuitatis penetrant ad profundum, ratione feruidæ caliditatis, dilatant, & aperiunt: igitur

tur medicinæ acres magnam habent uim rarefaciē di quod erat propositum. At si corpus plus æquo, & præter naturam fuerit induratum, statim indicat mollificatione indigere. Indurari diximus ea, uel quæ frigore congelantur, uel quæ nimia siccitate arescunt, uel quæ nimium replentur sicut uter, singulæ istæ differentiæ habent suas oppositas contrarietates. Si ergo aliqua pars corporis induretur quoniam humores in ea existentes a frigiditate fuerint congelati, sicut contingit in scirrho a materia pituitosa pendente, huic dispositioni occurrendum cū eo quod sit illi proprie contrarium, tale autem est quod dissoluit congelata, ostendimus autem superius quæcunque sunt indurata a frigore, dissolui a calido, hic ergo calidæ medicinæ erunt applicandæ. Sed cū supra quoque docuerimus omnia quæ excedunt secundum gradum caliditatis, immoderatè exiccare, ideo calida quidem hic sunt admouenda, sed moderatè calida, quæ primum, uel secundum gradum non excedant, alioqui non mollificabimus sed indurabimus, supra enim audiuistis q̄ ea quæ indurantur, uel per cōgelationem indurantur, uel per nimium calorem resoluentem humĭdum & exiccantem, Cauendum igitur est, ne dum tentamus mollificare quod est per cōgelationem induratum, non deducamus ad aliam duritiem quam fieri diximus per exiccationem. Cum itaque inuentum fuerit certa uia ac ratione, materiam in corpore humano a frigore induratam a calore esse resoluendam qui non resoluat sed tantum

disso-

dissoluat,talem autem calorem nullo modo secundũ gradum excedere,uideamus modo qua methodo sint inueniendæ huiusmodi medicinæ. Ostendimus omnia dulcia habere in se moderatum calorem,& bene temperatum humidum cum sicco, & quanto sunt in dulcedine remißiora,tantò etiam habere calorẽ magis remissum cum maiori copia humoris,tendit enim ut ostendimus quod in dulcedine remittitur ad insipiditatem aqueam.Si ergo inuenienda erit medicina quæ sit moderati admodum caloris,eligemus ea quæ sunt pinguia, in his enim omnibus ut diximus est dulcedo remissa,ergo olea bene matura,& pinguedines animalium temperatorum recentes, in quibus non est acrimonia,neque alius sapor præter illam remissam dulcedinem,omnia sunt apta ad molliendum quæ sunt indurata in humano corpore a frigore, si debite fuerint applicata. At quæcunque indurata sunt per humidi resolutionem,sicut contingit in scyrrhis a succo melancholico pendentibus, tunc uel huiusmodi durities duplici a causa facta est, uidelicet a caliditate resoluente humidum,& postea a frigiditate exprimente & congelante,sicut ostendimus fieri in lateribus & uasis fictilibus & tunc dicimus hanc duritiem nullo modo mollificari posse nam neque a calido cùm sit indurata per calorem, neque a frigido cùm hic quoque conuenerit frigiditas congelans & exprimens.Sunt ergo omnes tales scyrrhi incurabiles,ablatione tantum indigentes uel per ferrum,uel per ignem.At si contigerit ut ista durities,

uel scyrrhus nondum deuenerit ad tãtam malitiam ut totus humor fuerit exhaustus, tum a caliditate resoluente, tum a frigiditate exprimente, curari quidem potest, sed difficulter, quomodo igitur mollitionem tentabimus? Certum est hanc duriciem calidis rebus non indigere, caliditas enim ut in præcedentibus ostendimus, in quocunque gradu fuerit semper calefacit, & cum hic supponamus duriciem factam propter calorem resoluentem, nullo gradu caloris indigemus: quid ergo? Nunquid medicinam frigidam adhibebimus? At iam ostendimus a frigiditate exprimi humiditatem, ergo à frigidis quoque durior reddetur hic scyrrhus, cùm supponatur hanc duritiem factam propter humiditatis indigentiam. Dicimus spectandam esse huius scyrrhi qualitatem & essentiam, nam si in loco ubi scyrrhus est perseuerabit adhuc caliditas ignea, quæ continuè resoluat humidum & consequenter magis exiccet & induret, tunc procul dubio frigida erunt applicanda, ut scilicet sedetur calor resoluens. Sed quoniam huiuscemodi curatio potius dirigitur ad causam quàm ad effectum, ideo quæ applicantur non tantùm debent esse frigida, sed etiam humida, nam per frigiditatem remouebitur causa, idest calor igneus, per humiditatem remouebitur effectus, idest siccitas quæ facit duritiẽ. Non ab re igitur medici, scyrrhis huiusmodi applicant frigida & humida, qualia sunt succus solani, oleum rosatum completum, & reliqua huiusmodi. Ad quorum omnium inuentionem illi ijdem sapores

semper nobis deseruiunt, ostensum enim est, quæ ita frigida sunt & humida ut calor nihil ibi operatus fuerit notatu dignum, neque exhalauerit, & uestigia cuiusdam putredinis dereliquerit, ut euenit in his quæ acescunt, omnia illa insipidum habere saporem, ut maxime apparet in aqua, & in omnibus mixtis in quibus aquea substãtia dominatur, talia sunt omnia medicamenta quæ uim habent refrigerandi & humectandi, nisi forte habuerint substantiarum diuersitatem, sicut de coriandro & lentibus iã prædiximus. Ergo *hac ratione solani succus indicabit ex suo sapore uim refrigerandi & humectandi, est enim insipidus.* In *oleo etiam rosato quamuis in eo diuersæ substantiæ sint rosarum ratione uti diximus, in eo tamen dominatur sapor insipidus, ut gustã ti manifestè apparet, & consequenter ea substantia quæ habet uim refrigerandi & humectandi.* Hic *igitur quoque, sicut in alijs omnibus, saporum iudicio medicamenta discernimus, quæ proposito scyrrho cõ ueniant, uel non conueniant.* At *si fuerit tertia species duritiei quam fieri ostendimus propter repletionem, sicut maximè contingit in abscessu flatuoso, & in tympanite, certum est sumpta indicatione ab ipsa rei natura, euacuatione talem duritiem esse curandam, pleno enim opponitur uacuum, & iam suppositum est, semper contraria contrarijs curari, contrariaq; esse sub eodem genere proximo.* Erit *igitur hic procedendum cum his quæ uim habent euacuandi.* Accedemus *itaque ad duos illos habitus oppositos*

plenitudinis & uacuitatis, quos iam proposuimus, maxima enim affinitas tertiæ illius duritiei, cum plenitudine & uacuitate id necessario postulat. Cùm plenum igitur fuerit corpus, uel eius pars præter naturam, proculdubio erit euacuandum, si ad naturalem habitum sit reducendum. Euacuatio autem *plurimis modis fit, uel enim discutiendo per halitum uel abstergendo, uel abluendo, uel lubricando, uel soluendo, & secundùm uarias istas actiones, uarijs quoque ut par est, medicamentis indigemus. Quando ergo per halitum sit educenda, uel euacuanda materia, ut contingit in abscessu in quo iam humor defluxerit, neque amplius fluat, natura huius abscessus quantum in se ipso est, semper indicat ut a loco fiat euacuatio, hoc autem commodissimè fit per eam digestionem quam ex halitu habemus. Si ergo materia replens abscessum fuerit flatus, indigemus his quæ aperiunt meatus, quæ rarefaciunt, quæ attenuant, & augeant calorem, flatus enim non propter aliam rationem in eo loco concluditur, & coarctatur, nisi quia crassior est quàm possit difflari per poros cutis, & quoniam in eo loco non est tantus calor qui possit ipsum concoquere, semper enim flatus prouenit a calore diminuto.* Ergo *merito indigemus rarefacientibus, attenuantibus & augentibus calorem, talia docuimus esse quæ sunt calida in secũdo & tertio gradu, in his autem gradibus, sed præcipue tertio calida sunt, quæ gustantibus acria occurrunt, sicut pulegium, calamentum, nasturtium,*

& reli-

& reliqua huiusmodi, si enim à memoria uestra nõ excidit, ostendimus quæcunque habent acrimoniam, penetrare ad profundum linguæ propter tenuitatem substantiæ, & ubi penetrauerint, dilatare, rare facere & exiccare propter feruidum calorem. Ergo quando per halitum euacuare uoluerimus, merito in digemus his, quæ acria sunt, in illis enim habentur omnia quæ ad talem digestionem diximus esse necessaria. Vbi uerò materia replens fuerit euacuanda per abstersionem, quod maximè contingit quãdo impingitur in meatibus, siue fuerint intrinseci, siue extrinseci, & ita impingitur ut obstruat, & impediat transitum eorum quæ sunt uel attrahenda, uel expellenda, In his casibus ubi talis fuerit repletio maximè indigemus abstergẽtibus. Abstergere nihil aliud est, nisi exiccare, & excutere quodcunque pertinaciter inhæret, oportet igitur primo quod abstergit tria in se habere, Primò q̃ penetret ad profundum, secundo q̃ exiccet, tertio quòd excutiat. Penetrare ad profundum attinet ad substantiam subtilem, nihil enim penetrat nisi quod subtile est, oportet ergo quod abstergit habere in se subtilitatem substantiæ, Illud uero quod exiccat habet uim uel exprimendi, uel resoluendi, expreßio fit a frigido, resolutio fit à calido, oportet igitur quod abstergit, habere in se uel siccitatem cum calore, & ista est siccitas ignea, uel siccitatem cum frigore, & ista est siccitas terrea, ergo quæ abstergunt præter subtilitatem substantiæ, habere etiam necessarium siccitatem uel ca

 lori,

lori, uel frigori adiunctam. Tertio cum abstergentia debeant quoque excutere, hoc fieri nõ potest nisi uel maturando, aut dissoluendo per halitum, uel abluendo, aut lubricando, ergo abstergentia erunt quæcunque intra istas differentias contenta fuerint. Quædam igitur abstergunt, quoniam in se habent subtilitatem substantiæ cum siccitate permanente, & cum calore resoluente, & talia sunt omnia amara & salsa, quatenus enim salsa & amara, eatenus habent siccum terreum extenuatum, rarefactum, & adustum a calore igneo, sunt igitur sicca terrea, sed attenuata, & rarefacta. Habent ergo uim penetrandi, habent siccitatem permanentem, est enim in his siccum terreum, habent caliditatem resoluentem, & expellentem, hoc igitur modo mundificant & abstergunt omnia illa quæ amara uel salsa sunt. Mel uero abstergit, quoniam in eo primo sunt partes subtiles attenuatæ per calorem, unde etiam habet acrimoniam, ratione igitur illius attenuatæ substãtiæ uim habet penetrandi ad profundum, habet deinde calorem ualidum resoluentem & discutientem, habet præterea partes aëreas & aqueas optime commixtas, & contemperatas a calido, ut ostendit eius uisciditas, ergo propter hanc substantiam uiscidam, uim habet lubricandi, lubricant enim quæcunque uiscida sunt, ut patet in oleo & pinguedine, ergo mel abstergit penetrando, exiccando, resoluendo, & lubricando. Et idem ferè potest resina Therebinti, abietis, & reliquarum arborum, ferè propter easdem

dem rationes, reperiuntur enim in resinis & tenuitas substantiæ, & calor, & uiscidítas, in hoc tantum differunt a melle, quòd pars terrea magis est adusta, & ideo loco dulcedinis habent amaritudinem, cuius signum, quòd si mel quoque excoquatur ulteriori coctione, redditur amarum, aduruntur enim partes terreæ in ipso existentes unde loco dulcedinis succedit amaritudo. Saccharum quoq; eadem ferè ratione abstergit, nisi quòd imbecillius operatur, ideo abstergendo non mordicat sicut mel, neque enim habet feruorem mordicantem, propter redundantiam humiditatis & aereæ substantiæ, inde est quòd si ulceribus oculorum applicetur, nõ mordicat sicut mel. Cremor uerò hordei abstergit, quoniam in eo primò siccitas est cum tenuitate substantiæ, & ideo penetrat & exiccat, postea propter uim aquæ quæ illi admiscetur, abluit, & abluendo expellit quod exiccauit. Nec dißimili ratione acida omnia abstergunt, nisi quòd abstergendo mordicant, & hoc euenit propter partes terreas adustas a calore putredinis, qui postea exhalauit, ut diximus in causis saporis acidi. Sunt tamen quædam quæ impropriè abstergunt propter asperitatem partium, & inæqualitatem, quæ idem faciunt quod scopa solum conuerrens, ut puluis margaritarum, coralliorum, pumicis, spõgiæ ustæ, habent enim maximam uim exiccandi, & propter summam exiguitatem partium penetrant, & propter asperitatem conuellunt simul, & attrahunt sordes inhærentes. Tale quidpiam facit helxine quã

uulgo parietariam uocant, & hippuris quæ cauda equina appellatur, & reliqua huiusmodi. Lomentum *etiam fabarum, orobi, lupinorum & huiusmodi, abstergunt sua exiccatione, & quia propter raritatem suæ substantiæ imbibunt succum, & humorem materiæ in loco existentis, unde maximè conueniunt mundificandis & abstergendis ulceribus sordidis, & plurimo ichore manantibus, exugunt enim & imbibunt quicquid est redundantis humoris, & sine aliqua mordicatione exiccant.* De *absterstione satis, nunc de ablutione dicendum.* E*st autem ablutio leuis quædam abstersio, quod enim facit abstersio in profundo, facit ablutio in superficie, non enim tanta est tenuitas in his quæ abluunt ut eorum substantia penetrare poßit ad profundum corporis, abluendi sunt enim aquea prorsus, & detergunt superficiem corporis propter plurimam uim humectandi, quicquid enim sordis super eminet, diluunt, & ad defluxum parant, unde uidemus quæcunque abluunt colorem recipere sordium, quæ abluuntur.* Ergo *quæcunque abluunt, substantiæ aqueæ prorsus esse oportet, ideo insipida sunt.* A*blutio tamen & abstersio, immo etiam lubricatio frequentißimè commiscentur, lubricatio enim ut supra diximus, fit ab ijs quæ sunt mollia & uiscida, talia autem maximè sunt pinguia, & oleaginea, quæ quum habeant in sua mixtione plurimum aeris optimè contemperatum cum humido aqueo, qua ratione habent totam superficiem maximè lenem & æqualem,* Lubricant, &

& lubricare faciunt quæcunque illis adhærent; uidemus enim omnia corpora in quibus est lenis, & æqualis superficies, omnia esse lubrica, ut patet in tersa glacie, & expolito marmore, & in reliquis huiusmodi. Quando igitur per lubricationem purgare uolumus, exhibemus ea quæ pinguia sint, sicut oleum bene maturum, butyrum, iura pinguia, & alia huius generis, unde fit per simplicem lubricationem euacuatio. Sed sæpe contingit ut dicebamus, absterſionem, ablutionem & lubricationem commisceri, hoc patet in aqua mulsa, abluit enim propter aquæ mistionem, lubricat propter mellis uisciditatem, abstergit propter acrem dulcedinem, si modo uera sunt quæ supra ex suis principijs ostendimus esse uera. Lixiuium etiam cum sapone hoc idem præstat nam & in ipso est aquæ redundantia abluens, & uis cineris siccantis & abstergentis; est sapo in quo simul est & uis lubricandi ab oleo, & uis abstergendi a calce, uel a cinere. Aqua salsa abstergit simul & abluit, abstergit quidem propter salsedinem, abluit propter aquæ redundantiam, non tamen lubricat neque enim in ea est aliqua uisciditas, quum constet ex puris partibus terreis adustis, & aquæ redundantia, uisciditatem autem ostendimus fieri propter plurimam aeris commistionem cum aquea substantia, & hæc sufficiant quantum ad breue compendium attinet de euacuatione quæ fit per absterſionem, per ablutionem, & per lubricationem tam simplices, quàm compositas, qui enim sagacis inge

nij est, in reliquis omnibus medicamentis discernere poterit ex modo substantiæ, & ex saporibus quæ lubricent quæ abstergant, quæ abluant, & quæ hæc omnia, uel aliqua simul faciunt, poterit inquam nisi torpidè, & oscitanter audierit quæ supra docuimus. At dicet aliquis, multa quoque euacuant comprimẽdo, ut Galenus ostendebat in Citonio, & Ioan. Mesue in Myrobalanis cur tu hunc modum euacuãdi prorsus omittis? Sciant qui ita dubitant me consulto præterijsse, quod enim adstringit, & comprimit, quatenus tale est semper retinet & sistit, retentio autem & quies, contraria est euacuationi & motui, & ab eodem in quantum idem, non possunt prouenire contraria. Sicut igitur nemo dicet aquam frigidam calefacere, licet quandoque hoc per accidens efficiat sua frigiditate comprimendo & retinendo calorem exhalantem, ita citonium, & Mirabolanos dicimus euacuare comprimendo, non quidem quòd per se euacuent, immo potius adstringunt, & quantum in se ipsis est retinent: sed accidit ut tali adstrictione & cõpreßione exprimant quicquid humoris infra rem cõprimentem fuerit, cuius signum euidentißimum est, quod si citonium post cibum sumatur, euacuat, quoniam plurimus humor infra ipsum iacet, quem comprimendo & adstringendo poßit exprimere, & hoc præcipuè contingit, si cibi prius assumpti fuerint liquidi & lubrici, facileq; excidentes, ut refert Galenus de eo qui ante citonium comedebat pinguia, & maluas, Maluæ enim & pinguia re uera euacuabant

bant aluum, sed citonium comprimebat, & adstringebat, ex qua adstrictione accedebat motus maluarum & pinguium per se lubricatione & ablutione euacuantium. Vnde si citonium ante cibum sumatur etiam si post exhibeantur lubricantia & euacuantia, impedit tamen euacuationem, quoniam constringit, & comprimit, & non habet quod exprimat. Apparet igitur hinc manifestissime propriam citonij operationem esse adstrictionem, & retentionem, accidentalem uerò euacuationem. Eadem ratio de Myrobalanis est quatenus uim habent adstringendi & comprimēdi nam forte in Myrobalanis est alia uirtus ratione formæ, qua euacuant bilem, pituitam, & succum melancholicum, sed de ijs uirtutibus suo loco loquemur. Quum igitur hactenus de euacuatione dixerimus quæ fit per halitum, per ablutionem, per abstersionem, & lubricationem, superest quinta quæ fit per solutionem. Vocamus solutionem more uulgarium medicorum, quæ fit per attractionem uirtute propria & occulta pharmaci, quæ sequitur rationē formæ, sicuti supra diximus: trahitur enim & in attractione eligitur humor proprius, siue sit hoc per similitudinem, & conuenientiam formarum, ut uoluit Galenus, siue propter aliud, ut uidetur sentire Auerroes, quacunque causa id sit, non est hic determinandi locus, fortasse enim humano intellectui penitus est occultum, ut supra etiam innuimus. Sed hic unum animaduertere oportet, nos propter maximā rerum affinitatem institutam, ordinem quadantenus

peruertisse, qua tamē peruersione, nihilo propterea erit doctrina nostra deterior, quum instituissemus agere prius de ijs omnibus uirtutibus quæ se tenent ex parte materiæ, deinde de ijs quæ se tenēt ex parte formæ, nunc in euacuatione actiones illas confundimus, nam quæ soluendo euacuant, immo & quæ per halitum, habere uidentur tales uirtutes a forma non a materia. Causa huius confusionis est ea magna quam diximus, uirtutum affinitas: si enim rem medullitus spectauerimus, nulla profecto uirtus est quæ ab aliqua forma non proueniat, immo nihil aliud est uirtus nisi formæ perfectio: sed quoniam subiectum proximum mistorū habet in se sui ipsius ratione formas proprias præter ultimam quæ est actus totius, quod maxime apparet in animalibus et plantis & cæteris omnibus, quorum subiecta habent partes dissimilares, Ideo distinximus uirtutes quæ sequuntur naturam subiecti, a uirtutibus consequentibus ultimam formam, & si quandoque confunduntur, euenit propter multam affinitatem & unionem materiæ cum forma, sed unusquisque accipiet hæc quomodocunque libuerit, neque sit molestus in super uacuis, non enim futura est propterea doctrina nostra deterior. Dicimus igitur plenum corpus quod euacuari debet per ea medicamenta quæ uim habēt soluendi, & proprium humorem attrahendi, quale esse debeat, & quomodo præparandum, nō esse hoc loco explicandum, proposuimus enim agere tantum de medicamentorum uirtutibus, & actionibus. Habent

bent ergo soluentia medicamenta principium huius solutionis ex parte formæ. Quamuis nonnulli asserant id fieri propter qualitatem manifestam, uolunt enim caliditatem causam esse propriam, & per se solutionis, ideo omnia soluentia medicamenta calida esse, contenduntq; hanc sententiam fuisse Galeni, quos ego alibi difusius ostendi longè aberrare non tantum à ueritate, sed etiam à Galeni sententia, pauca tamen & hic repetam euidentioris doctrinæ gratia. Nam si caliditas esset causa per se solutionis, tunc sequeretur omnia calida uim habere soluendi, quod manifestißimè falsum est: plurima enim sunt etiam feruentißimè calida, quæ tamen nullo modo soluunt, sicut piper, gingiber, nasturtium, sinapi, & multa huiuscemodi. Præterea sequeretur, quòd attractio fieret eorum quæ magis apta essent ad attractionem, nulla habita electione alicuius humoris, calor enim trahit quicquid est illi magis obuium, & magis paratum ad hoc ut trahi facilè poßit. Sed medicamentum solutiuum eligit quod attrahat, etiam si fuerit magis remotum, & minus paratum, exempli gratia quod uim habet trahendi pituitam, attrahet ipsam usque à iuncturis, etiam si craßißima fuerit, dimissa interim bile, tum magis propinqua, tum magis parata ad hoc ut traheretur. Ergo non est attractio propter caliditatem, sed propter uirtutē occultam formæ. Præterea sequeretur, si caliditas esset ratio formalis attractionis, quòd quantò aliquid esset calidius, tanto magis attraheret, quod est manife-

ſtè falſum, Colocynthis *enim & elaterium trahunt ualidiſsimè, quum tamen longè minus calida ſint, quàm ſinapi, aut naſturtium.* Neque *ualet argumentum eorum concludens, propterea caliditatē eſſe per ſe cauſam ſolutionis, quoniam omnia medicamenta ſoluentia calida ſunt: eſt enim hic fallacia conſequentis, ac ſi diceremus, omnes homines habent ſenſum tactus, ergo quæcunque talem habent ſenſum, homines ſunt, arguitur enim hoc modo in ſecunda figura ex puris affirmatiuis.* Eſſe *etiam hoc manifeſtiſsimè cōtra* Galeni *mentem, quum alibi ſæpe oſtendatur, tū manifeſtiſsimè apparet in ſecundo de* Facultatibus *naturalibus, ubi de uirtute attractoria diſputat contra* Eraſiſtratum. Non *eſt igitur ea ſoluendi uis formaliter ratione caliditatis, licet fateamur ut par eſt, caliditatem quoque maximè ad attractionem conferre, non tamen ut formaliter efficiens, ſed ut diſponens, aperit enim uias, & fortiorem facit attractionem, proprium caloris eſt attrahere in uniuerſum, ſed proprium uirtutis formæ eſt, attrahere hoc magis quàm illud.* Incipit *ergo uniuerſalis attractio à calore, ſed particularis huius, uel huius humoris, à ſola uirtute formæ perficitur.* De *hac igitur formæ uirtute nihil habemus quod ulterius dicamus, quàm quod hactenus ab optimis auctoribus traditum fuit, eſſe proprietatem quandam occultam, quæ ſequitur eſſentiam formæ prout forma eſt, & perfectio, & non prout eſt ultimus actus mixtionis.* Hoc *unū tantùm obiter addemus, multa eſſe medicamenta quæ*

uulgo

uulgo creduntur lubricando, aut abstergendo, aut cõprimendo euacuare, & non soluendo, & ideo medicamenta benedicta paßim uocantur, quæ tamẽ & ipsa uim habent soluendi, in hoc tantùm ab alijs differentia, quoniam magna & insignis quantitas requiritur, si manifestè soluere debent, neque hoc ignotum fuit Galeno, & antiquis medicis, quamuis subobscurè explicauerit. Nam cùm Galenus dicit, Aloën bilem purgare, Actuarius, Ioannes Mesue medullam siliquarum Casiæ purgare humores crassos & adustos, Myrobolanorum alias bilem, alias succum melancholicum, alias pituitam trahere, neceßariò intellexerunt in illis omnibus uim eße soluendi: neque enim proprium & determinatum humorem purgarent propter manifestam qualitatem, ut paulò suprà ostendimus. Innuit etiam Galenus hoc ita se habere, cùm de Aloë loqueretur: ait enim Aloës uirtute non transire ultra uenas mesaraicas, nisi detur in magna quantitate, ergo si in magna quantitate dabitur, trahet etiam à remotioribus, & tanto ulterius procedet uis eius attractoria, quanto augebitur quantitas: est enim regula dialectica, ut sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter. Ergo neque Aloë abstergendo solùm purgat, neque medulla Casiæ lubricando, neq; Myrobalani comprimendo, sed inest in illis quoque uis certum quendam humorem attrahendi, quod habent à forma specifica, sed latet huiusmodi uirtus, quoniam debiliter hoc faciunt, requiriturq; magna quædam insignis quantitas, si in-

signis attractio apparere debeat. Contrà euenit in scammonio, colocynthide, & reliquis huiusmodi, maximam enim habent attrahendi uirtutem in parua quantitate, quam habere non poßunt, quæ benedicta uocantur, nisi in maxima. Poterit hoc unusquisque experientia facile comprobare, si dederit alicui exẽpli gratia, granum unum scammonij, & alij tres Aloës drachmas, uidebit enim ex uno grano scammonij purgationem paucam, leuem, & sine aliqua molestia succeßuram, neque enim trahet propter exiguam quantitatem nisi quod illi proximum est, sicut etiam facit Aloës drachma, sed in alio qui tres Aloës drachmas sumpsit, laboriosam admodum purgationem diuersorum humorum, quandoque etiam usque ad sanguinem, nõ sine maxima molestia. Hinc deprehendes non differre malitiam & uirtutem horum medicamentorum, nisi maioris aut minoris ratione, sed de his à nobis alibi copiosius est disputatũ. Satis igitur hucusque uidimus, quot modis plenum euacuari potest, nunc contrà uidendum quomodo uacuum repleri oporteat, id fieri nullo modo potest, nisi sciatur quomodo uacuum sit cum nobis offertur: quandoque enim est uacuum alimento tantùm, quandoque humore substantifico. Si alimento uacuetur uel corpus, uel aliqua eius pars, constat repleri oportere cibis congruè, et conuenienter exhibitis, & hoc spectat ad eam partem medicinæ quam Analepticã græci uocant, nos Resumptiuam. At si pars aliqua substantifici humoris, uel solidæ substantiæ deficiat,

ita ut inde impediantur actiones, habet in hoc quòd agat pars medicinæ Therapeutica, *quamuis sit & huiusmodi actio ualde affinis his, quæ sunt in parte* Tuendæ Sanitatis. Replet *igitur partem uacuam ars curatiua, præter cibaria conuenienter exhibita cum his quæ prohibent citam expulsionem, uel difflationem per halitum. Cita expulsio prohibetur cũ adstringentibus, & acerbis, quæ enim adstringunt, retinent, retentio expulsioni prorsus opposita est.* Difflationem *per halitnm prohibent, quæcunque op plent, & oblinunt poros, quæ græci emplastica uocant, talia sunt quæ ex substantia craßa, & uiscida constant, saporemq; habent uel insipidum, uel remisse dulcem, talia sunt pleraque pinguia, uiscosa.* Habent *etiam medici alium quendam replendi modum uiolenter trahentes ad locum uacuum alimentum, & pariter eius calorem augentes & excitantes, qui quidem modus maximè conuenit, ubi membrum propter insignem frigiditatem suis proprijs attrahendi, & concoquendi actionibus priuatur, & in eo iam affectu est, qui à græcis atrophia nuncupatur.* Materiæ *ad hunc usum idoneæ, sunt omnia medicamenta quæ insignem habent caliditatem, & siccitatem usque ad finem tertij gradus & principium quarti, ex his materijs fiunt illi qui uulgo dropaces, sinapismi, & picationes uocari consueuerunt: ubi maxime animaduertere debent iuniores medici, si quando ad hoc opus accesserint, ne dimittant loco adhærere medicamentum tam feruidum ubi iam ruborem induxerit,*

xerit,& quendam leuem tumorem, si enim ulterius dimiserint, tantum abest ut repleat, ut etiam magis euacuet & tabefaciat, talia enim medicamenta per se resoluunt & exiccant. Sed accidit ut repleant, si tam diu permittantur, donec calefaciant & attrahant, postea statim auferantur, & aliquo pingui tẽperato illinatur locus, ut melius retineatur attracta caliditas, & sedetur feruor medicamenti. At si in humano corpore aliquod craßius occurrerit, ut inde lædantur actiones, nemini dubium est esse attenuandũ. Constat autem crassum illud esse, quod partes habet ita simul iunctas, ut penetrare non poßit nisi in amplos admodum meatus, non enim in eo quod crassum est, pars cedit parti, sed omnes simul confertim existentes, se inuicem in transitu impediunt, haud aliter quàm si globus hominum simul confertim iunctorũ, in aliquem angustum locum ingredi uellet, neque enim id fieri posset, nisi separarentur, & alter cederet alteri. Ergo eodem modo, quod crassum est separari debet, & incidi, ut pars cedat parti in transitu & motu, hoc enim circunscribit, & determinat, teste Galeno, quod subtile appellamus, nam subtile est, cuius partes facile penetrant per locos etiam angustos. Ergo crassum incidi, attenuariq; oportet: sciuimus autem, quæ attenuant & incidunt, calida esse in tertio gradu: At quæ ad tertium gradum caliditatis accedunt, illa sunt sapore acria, Ergo acria & tertio gradu calefacientia, attenuare possunt, quod est crassum, incidendo scilicet, & separando partem à
parte,

parte, hæc enim est destructio craßitudinis. Contrà, quod subtile est in humano corpore, & sua subtilitate lædit operationes, sicut plerunque contingit in distillationibus a capite, crasse fieri oportet, patetq; crassefactionem fieri per ea quæ sunt subtiliationi opposita. Ergo partes inter se distantes sunt uniendæ, sicut in attenuatione dicebamus esse separandas. Hoc fit, uel cum his quæ adstringũt uel cum his quæ habent uiscìditatem, uel craßitudinem partium. Adstringentia enim compingunt, & in unum congregant partes separatas, uiscida suo lentore ligant partem parti, & ita continendo crassefaciunt. Quæ uero crassæ substantiæ sunt, per admixtionem crassefaciunt quæ sunt subtilia: si enim exempli gratia terra cum aqua misceatur, redditur substantia craßa, quam lutum uocamus. Ergo triplici instrumento tenuia craßefaciunt, uel adstringendo, uel inuiscando, uel substantiam craßam admiscendo. Quod autem magis eligi debeat, particulares ægritudines indicabunt, de quibus non est nostrum institutum in hac parte loqui. De asperitate autem & lenitate, uisciditate, & friabilitate, eadem ferè ratio est, & non dißimili methodo in his quoque sicut in alijs procedimus. Nam cùm asperitas fiat propter siccitatis excessum, ut suprà docuimus, constat lenitionem eße faciendam cum his, quæ absolutè humectant, ita tamen humectent, ut non fluant, neque enim facile, aut in pauco tempore humectantur quæ sicca sunt, ideo indigemus his quæ cum hoc quòd humectent, in loco

quoque morentur, & non diffluant, talia sunt humida uiscida, & craßioris substātiæ, quæ præcipuè sint emplastica, & nullā habentia abstersionem, uel exiccationem. Viſciditas *uero cùm oriatur ut diximus, propter multam admixtionem aëris cum aquea substantia, tolletur cum his quæ exiccant, & penetrant ad profundum, & exhalare faciunt per uaporem partes aëreas quæ in uiscido corpore continentur.* Et *hinc propriè ex uisciditate inducitur friabilitas.* Cum *tamen uiscidus aliquis humor ita contineatur in corpore, ut pertinaciter adhæreat parietibus uasorum, neque inde facile excuti poßit, quærimus hoc loco abstersionem.* Abstergentia *autem si amara fuerint, utrunque præstabunt, nam & abstergent quod est impactum, & destruent exiccando, ac disflando aëream substantiam rei uiscidæ, reliqua uerò abstergentia potius abstergent tantùm, quàm uisciditatem tollent.* Et *hæc satis dicta sint de his omnibus affectibus, & singulorum actionibus, & correlationibus, quæ se tenent ex parte materiæ, nunc aliqua quoque de formalibus adijci oportet.* Harum *quæ primæ sunt, & appellantur apud omnes, constat esse calefactionem, frigefactionem, humectationem, exiccationem, & quæ ex his componuntur, de quibus abundè in prima sectione disseruimus, neq; hic oportet rursus inculcare dubitationes quas satis superius explicatas arbitror.* Videtur *enim nonnullis, cum calefacere, & frigefacere sequantur mixtionem, quæ mixtio est quædam paßio primorum corporum, &*

partium

partium materialium, quod huiusmodi actiones potius se teneant ex parte materiæ, & eò magis, quòd supra asseruimus actiones, quæ propriè emanant a forma esse nobiliores, & occultiores. Non *aduertunt isti quod diximus in habitu formæ post mixtionem duo conuenire. Vnum est ipsa proportio mixtionis, & contemperantia primarum qualitatum, quam quicunque distinxerunt formam a temperatura, appellauerunt proprio nomine temperaturam, seu complexionem, quam postea complexionem subito consequitur forma substãtialis, siue extrinsecus adueniat, siue intrinsecus.* Qui *uero temperaturam non distinguunt a forma substantiali, appellant eam proportionem, terminum mixtionis, quem terminum consequitur nobilior actus, temperatura ab illis uocatus, qui tamen nihil aliud est nisi perfectio, & quædam ueluti consonantia illius prædicti termini, non aliter quàm in musicis proportionibus euenit, ubi proportio exẽpli gratia dupla uel tripla, est quidam terminus, & actus resultans ex mixtione uocum grauium & acutarum, non est tamen idem quod ipsa consonantia, uel concentus, nam concentus est species quædam, & obiectum, cuius actus est auditum delectare, ipsa uero proportio dupla, est actus mixtionis qui præcedit consonantiam, sicut ea præcedunt quæ sunt, uel ordinantur ad finem.* Et *ut unico uerbo dicam, sicut proportio dupla est perfectio mixtionis uocum, ita consonantia est perfectio proportionis duplæ.* Idem *uidemus & in ipsa luce, quæ maxime assimilatur*

incorporeis, lux enim illustrat transparentem corporis superficiem, & est actus uel perfectio ipsius, & hanc actualem illuminationem sequitur color, qui proculdubio species diuersa est ab illuminatione, resultans tamen ex ea ueluti compositione illuminationis, & terminatæ transparentiæ in superficie corporis. Quemadmodum igitur illuminatio est perfectio & actus corporis transparentis illuminati, ita color est actus illuminationis. Et sicut est illuminatio in ea corporis superficie, talis est proportio primarũ qualitatum in mixto, & ut se habet color ad illuminationem, ita se habet forma quam temperaturam uocamus, respectu proportionis quæ in mixtione resultat. Ex his satis patet differentiam inter eos qui ponunt temperaturam aliud esse a forma substantiali, esse nominum potius quàm rerum, si quis acutius introspiciat. Et istæ ferè sunt differentiæ & discrepantiæ, quæ ferè semper inueniuntur inter magnos auctores, unusquisque enim diuersimode explicat ueritatem quam intendit, & ex uaria explicatione oriuntur uarij conceptus intelligentium, unde creditur discrepantia esse in rebus, quæ potius est in ipsa ratione, & explicandi modo. Redeuntes igitur ad propositum, dicimus calefactionem, & refrigerationem, & reliqua, esse proprios actus proportionis mixtionũ, quæ est quædam forma imperfecta, & non ipsius tẽperaturæ, pro ut temperaturam intelligimus ultimũ actum, & formam substantialem. Neque hoc mirum uideri debet, nam & in anima, quæ est forma substan-

stantialis animalium, apparent diuersi, qui consequuntur maiorem uel minorem perfectionem animæ, & ipse Aristoteles fatetur animal prius uiuere uita plantæ, deinde ulterius perfici, & acquirere animam sensitiuam, ultimò etiam intellectiuam. Quid igitur absurdi est, si hoc idem contingere dicamus in qualibet forma? ut primò quodammodo inchoetur, deinde perficiatur, sed iam satis philosophatum est. Primæ igitur uirtutes consequentes actum formalē, ut calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare & quæ ex his componuntur, de quibus cùm sane supra egerimus, non est quòd hic rursus repetantur. Sed aliæ ab his oriuntur quæ ab ipso Galeno, & reliquis medicis secundæ uocantur, ab his tamē primis generatæ, ut est aperire, claudere, discutere, attrahere reprimere, & huiusmodi. Istæ omnes sunt actiones formales, quæ consequuntur actum formæ, nihilominus quoniam actus earum uersatur ferè circa secundam compositionem corporum, et circa morbos compositionis, qui se tenent ex parte corporis et subiecti, ideo à fine denominamus has actiones materiales, & ad locum deduximus ubi de actiònibus materialibus loquebamur. Quando enim rarefácimus, condensamus, aperimus, claudimus, euacuamus, replemus, crassefacimus, attenuamus, semper uersamur circa materiam, & ut compositio corporis dirigatur uel in formatione, uel in quantitate, uel in situ aut numero. Materiales igitur omnes istæ actiones merito uocentur, quamuis à forma proueniunt, a fi-

ne enim potius, quàm ab efficiente denominationem sumimus. Sed calefacere, aut frigefacere diriguntur ad formam, idest ad ipsam temperaturam corrigendam, quæ temperatura re uera est omnium actionũ principium. Sunt quidem & tertiæ operationes quæ magis particulares sunt, sicut prouocare urinã, menstrua, sudorem, & ut quæ dicuntur à græcis nephriticæ, cardiacæ, becchicæ, idest tußim excitantes, et reliquæ huiusmodi, quæ hoc loco à me explicandæ non sunt, attinent enim ad partem curatiuæ particularem, quam nunc non tractamus. Sunt & multa alia circa medicamenta nõ mediocri speculatione digna, ut quomodo medicinæ in quibus aliqua uirtus excedat uel deficiat, sint corrigendæ & emendandæ per decoctionem, uel admixtionem, uel aliquam aliam præparationem: quomodo etiam sint conseruandæ, colligendæ, & in qua regione, & in quo tempore: præterea quando applicantur corpori, cum sæpe uel plus efficiant q̃ intendimus, uel minus, quomodo suppleamus tam excessui q̃ defectui. Hæc & alia q̃ plura huiuscemodi sunt cognitu necessaria ad hanc partem medicinæ curatiuam. Sed de his omnibus partim tractabit Auicenna doctè, & copiosè in hac quarta parte primi libri, quam nos hoc anno explicandã proposuimus, partim dicentur in suis libris particularibus. Hæc igitur in uniuersali a me dicta sufficiant, quæ uidebantur esse admodum necessaria ad ea, quæ in tractandis medicamentis ab Auicenna dicentur. Iam his omisßis tempus est, ut ad uerborum

Auicennæ explicationem accedamus, ſingulis locis, ſingula quæ diximus opportunè accommodando.

Igitur Auicenna ponit tria fundamenta ſiue regulas, ut uocat. Prima eſt, ut ſeruetur debita medicamenti qualitas: ſecunda, ut eligatur conueniens quātitas: tertia, ut eligatur conueniens hora applicationis. Quas regulas hic ponit, mihi non poſſunt placere, quia regulæ dant leges idiotis uulgaribus: uiri uerò ſapientes cognoſcunt cauſas legum & regularum. Ideo ne ſimus ex numero uulgarium, oportet primo harum regularum cauſas cognoſcamus. Igitur ſciendum eſt, ꝙ quæcunque ſecundum rationem fiunt ab hominibus, habere debent 5. conditiones: ut dicit Ariſt. 2. Ethic. fiūt autem ſecundum rationem, quæ ſecundum artificis prudentiam geruntur. Vnde prudentes ſolent dici artifices in ſuis actionibus, licet circa diuerſos fines uerſetur. Et ideo prudens artifex utitur illis quinque, antequam agat. Primo enim conſiderat quid agendum. Secundo quantum .i. quouſque debeat limitare actionem ſuam. Tertio quomodo. Quarto quādo: eligere enim tempus agēdi opportunum eſt maximum. Quinto, quo loco: quæ omnia ubi ſeruabit artifex, omnia ſecundum rationem fiet. Et hæ ſunt intentiones ſiue ſcopi, ad quos actio noſtra dirigenda eſt, quas in arte medica quoque conſiderabimus. Et primo quid ſit agendum. Nos nunc præ manibus habemus, ſanare ægritudines, quādo accidunt. Si uolumus id facere, primo oportet conſiliū

capere, quid sit agendum, in quibus limitabitur hoc nostrum consilium. Itaque si uolumus occurrere ipsis aegritudinibus oportet cognoscere, quid sit aegritudo, nam quantum scimus de aegritudine, tantum sciemus etiam quid sit agendum: & si confusa erit aegritudinis cognitio, confusa quoque erit intentio agendi: si distincta erit cognitio morbi, distinctè etiã quid sit agendum sciemus. Aegritudo igitur si nobis occurrit, quia est praeter naturam, ideo sui remotionem indicat: sicut quod est secundum naturam, sui conseruationem, id quod docet Gal. 3. Meth. & etiã ipsi asini norunt. Et in hoc non est aliquod artificiũ, sed uideamus quid sit morbus, eius enim quod debet induci, cognitio adhuc confusa est. Morbus est uel intẽperies, uel mala compositio, uel soluta unitas. Intẽperies rursum, cùm alia sit calida, frigida, &c. habemus quod frigidis, & siccis, ac reliquis oppositis demoliri & exturbari postulat, iuxta illud, Cõtraria contrarijs curantur. Item si est mala complexio, uel est cum materia, uel sine materia, si est cum affluxu materiae, illa est remouenda & euacuanda. Igitur ipse morbus semper nobis indicat quid agendum, & hoc est cognoscere qualitatem, hoc est substantiam siue formam substantialem, quae est in ipso medicamento. Et a cognitione optima morbi nascitur indicatio quid agendum. Ideo qui non sunt dialectici, non possunt esse medici, quia non possunt discurrere: ex discursu autem distincta morbi cognitio capitur. Qui igitur non discurrit ab uniuersalibus ad particularia

ria, nihil facit.

Quantum autem agendum sit, medici quandoq; nesciunt cognoscere. unde dum uolũt curare febrem, ita aliquando infrigidant homines, ut eos ad intẽperiẽ inducant incurabilem. Quæ sunt igitur ea, quæ nos ad quantitatis cognitionem deducent? Duo sunt, morbi magnitudo, & natura ægri: unum enim non sufficit. Quia etiãsi cognoscamus, q̃ morbus duobus gradibus recedat a statu naturali, & debeamus applicare medicamẽtũ in tali gradu, tamen forte natura non tolerabit. Igitur tum magnitudo, tum natura ægri sunt consideranda.

Natura ægri consideratur, & consistit in illis, ex quibus componitur, ex quatuor scilicet elementis, ex quibus fit complexio. Consideranda igitur cõplexio, deinde membra singula, eorumq́; compositio, situs, figura, numerus. Igitur oportet considerare complexionem & compositionem, cum annexis, ætate scilicet, consuetudine, tempore anni, regione, cœli statu, aëre &c. Consideratur igitur natura corporis, & morbi magnitudo, ad definiendam medicamenti quãtitatem, quæ quantitas quotuplex sit, habetur in textu. Quomodo agendum, utrum extra, an intrà sit applicandum medicamentũ, ut per os an per clysterem, an purgans per nares, an per uentrem, an per palatum, an in forma solida pilulari, potione, uel alia forma, an odoratum, an inodorosum &c. sumitur hoc a situ membri, & consuetudine. A situ, ut si fuerit materia in profundo, eligimus quæ poßint penetra-

re:eligimus igitur dulcia,ubi fuerit ijs assuetus, aut non poßit tolerare amara. Quando agendum, Medici obseruat tempora,& in hoc maxime consistit ars medica. Occasio enim est præceps,in qua opus est maxima prudentia. Attenditur autem occasio recte agendi circa tempora morborum, tum uniuersalia, tum particularia & penes motum morbi. Penes tempora quidem:multa enim in principio conueniuut, quæ non conueniunt in statu,& contrà:ob id dicebat Hipp. Cōcocta medicari &c. quoniam periculosum est euacuare in principio,nisi materia turgeat. Tempora igitur & motus ægritudinis,quando sit agendum indicabunt.

Vbi autem sit agendum in quo loco; dupliciter intelligitur. Vel enim intelligitur,intra uel extra. Exterior locus,ut quando eligimus proximam regionem,in qua sumus,& cōsideramus utrū sit cōueniēs, necne; propter quod ubi limitamus, & quando, & quantum agendum. Interius autem eligimus ratione situs ipsius membri:ut docebat Gal. exempli gratia, si ægritudo sit concauo iecoris debent exhiberi ea medicamenta,quæ per secessum uacuant:si fuerit in gibbo, ea quæ per urinas. Sic habetur, quomodo medicum se exercere debeat circa illa 5. Modò ea applicemus dictis Auic. in textu.

MEDICATIO *autem quæ fit cum medicinis tres habet regulas. Meminisse oportet hic eorum, quæ iam diximus: uidelicet de conditionibus propositis in qualibet actione, quid agendum, quantū, quo modo,*

modo, & ubi. Hæc considerans Auicenna, proponit tres regulas, & dicit, quòd si debemus ritè applicare medicamentum corpori, tria sunt obseruanda, qualitas, quantitas, & hora exhibendi. Per qualitatem hic intelligit essentiam & formam medicamenti, in qua sit talis uirtus: quæ quidem medicatio nascitur ex natura morbi. Et hoc est idem, ac si dicamus, indicari nobis quid agendum, circa ipsum medicamentũ applicandum. Quantum uero agendum, etiam proponitur, & hora. Hæc tria proponit Auicenna. Vnde dubitabit hic quispiam, cur nos quinque supra proposuerimus cùm Auicenna tantum tria nominet. Debemus scire, Auicennam semper breuitati studuisse, & in his tribus reliqua etiam duo complexum fuisse. Quando enim consideramus quantitatẽ, quæ sumitur a morbi magnitudine, et ægri natura, uidebitis etiam, quomodo & ubi sit operandum. Vult igitur Auicenna ita loqui, ut indigeat expositione; ideo breuissime & compendio locutus est, ut quandoque a uiris etiam doctissimis non possit intelligi, qui tamen nunquam discedit a Galeno, & si discedit, dicit se esse extra opinionem Gale. Igitur Auicen. per illa tria, omnia illa quinque comprehendit. Sed Gale. primo ad Glauc. ubi facit compendium artis, ponit ad agendum, quantitatem, tempus & modum. Cur adijcit Gal. modũ operandi? Sciendũ, q̃ Gale. etsi uult esse breuis, & in compendio loqui, tamen erat assuetus nugari, ideo posuit modum operandi. Sed uidetur, quòd Gale. sibi ipsi contradicat, cùm in

primo ad Glauc.dicit,si uolumus rectè applicare me dicamentum,oportere tempus operandi idoneum eligere. At in tertio Art.med.ponit duas indicationes, qualitatem & quantitatem, & dicit, quòd tempus non est considerandum,quoniam includitur in quantitate:& tamen in compendio ad Glauc. ponit tempus.Præterea in quarto Meth.dicit, quòd indicatio a tempore uana est:tamen in primo Aph. magni facit tempus,& certè nisi seruetur occasio, nil fit secundum rationem.Quid igitur dicendum? Sciendum tempus dupliciter considerari,uel pro principio ægritudinis ad finem usque,sicuti quando dicimus ægritudinē esse xv. dierum & hoc modo tempus nihil facit, quoniam dicit Gal.4.Meth.si ulcus fuerit antiquū, uel nouum,nihil facit,sed considerandum an sit sordidum,nec ne,an in neruo,uel in carne,an sit mala temperies,nec ne,& sic a tempore hoc modo sumpto nulla sumitur indicatio.Vel sumitur tempus non pro numero dierum,sed prout morbus in diuersis temporibus diuersas facit mutationes. & sic est considerandum tempus. Scimus quid faciat tempus in ætatibus,& quantum iuuentus hominis propter tempus, etiam in ægritudinibus:nam quædam mouentur de tertia in tertiam:quædam de quarta in quartam: & sic tempus hoc modo sumptum,ratione scilicet motus ægritudinis, qui fit in diuersis temporibus, indiget consideratione.Legamus literam. VNA earum est regula eligēdi eius qualitatem.s.eligendi ipsam aut calidam,frig.hu.aut sic. Iam audiuistis, quomodo

modo appellat medicinæ formam ipsam complexionem, quæ consurgit ex primis qualitatibus: itaque exemplificat Auicenna *de ista forma.* ET *secunda est regula.* Secunda regula *est eligendi quantitatem, & quantitas dupliciter consideratur, uel secũdum pondus, uel in mensura ad uirtutem.* Secundum *pondus quidem, et secundum molem: secundum mensuram ad uirtutem, hoc est in intensione uirtutis, quæ proprie non dicitur quantitas.* Ob *id dicit* Gale. *primo de* Dif. *feb. quòd cùm dicimus febrem magnam; abutimur nomine quãtitatis, pro qualitate: est tamẽ ita in usu, ut de hac abusione non sit curandum.* Et *ideo secundo modo consideramus quantitatem in intensione formæ, improprie tamen, quia forma indiuidua est, sicut uulgares dicunt magnum frigus, cùm tamen non sit magnitudo, sed intensio in gradu.* ET *tertia est regula.* Tertia *regula est ordinandi horam propriam, & opportunam ad agendum.* IN *electione autem qualitatis medicinæ absolutè nõ habetur cognitio nisi per cognitionem speciei ægritudinis.* Prosequitur *modo has suas regulas, & dicit ut prius quoque dicebamus, primo consulendum esse quid sit agendum.* Proponitur *ergo, nobis finis, quid sit agendum: hoc enim est intentio, scopus, finis, ad quem dirigimur, cùm uolumus operari.* Consulo, *uerbi gratia inducendam esse sanitatem: nisi habeam id quod agendum mihi indicat, nihil possum facere: sed cùm uideo esse cõplexionem cum excessu caliditatis & siccitatis, debeo contrarijs procedere.* Igitur *oritur*

tur indicatio operandi, nimis frigida & humida applicandi. Ecce *scopus.* Intentio *est sanare : indicatio autem operãdi, est cognitio illius complexionis, quæ contrarijs remoueri debet: unde contrarietas est fons omniũ operationum, & ita inibi nascitur indicatio particularis ex hac contrarietate.* Et *hoc est quod dicit hoc loco* Auicenna, *quòd in electione qualitatis medicinæ absolutè obseruandum aliud non est, quàm species siue natura ipsius ægritudinis: species enim ægritudinis illa est, quæ qualitatem medicinæ nobis insinuat: contraria enim contrarijs tolluntur, calida frigidis, frigida calidis &c. sicut econtra similia similibus conueniunt.* QVANTVM *agendum uerò sumitur ex duobus a magnitudine morbi, & ægri natura.* Hoc *notandum est, quia declarabo* Auicen. *sicuti debet exponi; deinde uidebitis, quomodo hallucinentur omnes moderni, & quomodo in infinitas quæstiones labantur.* Dicit *hîc* Auicen. *quòd si uolumus scire quantitatem medicamenti, hæc est difficilior pars medicinæ. Si uultis igitur inuenire rectam quantitatem medicamenti, dicit* Auicenna *cõsideranda est magnitudo morbi, & ægri natura.* Per *morbi magnitudinem intelligatis intẽsionem in gradu, non uehementiam : quare uehementia morbi est malignitas.* A *magnitudine igitur sumitur indicatio quantitatis, & a natura membri: nam membri natura dat indicationem quantitatis, propter lapsum factum in membro, uel corpore, uerbi gratia si quis temperaturæ frigidæ et humidæ, incidat in causum:*

febris

febris ardens in se est in intensissimo gradu. Est igitur magnitudo morbi satis perspicua, quando solum dicimus esse febrem ardentem: sed recessum multum a naturali tēperie nō possumus cognoscere, nisi a natura ægri: unde quando cognoscimus esse febrē talem in corpore frigido & humido, quia mala temperies est febris ardens, tunc indicamus, quòd est tantus maximus lapsus. Alio modo consideramus quantitatem a natura ægri, per eius naturam. Vnde ratione lapsus in corpore cholerico quia scimus q̄ facile inflammetur, debilitētur suæ uires, nō tollerāt ieiunium, eligimus quoque quātitatē medicinæ & cibi ex cognitione temperaturæ ægri, & lapsu ab illa. Itaque quantitas a natura mēbri dupliciter consideratur, uel secundum quātitatem lapsus a suo temperamento, uel secundum essentiam ipsius membri, utrum sit calidum & siccum, uel calidum & humidum. Qui quidem est tutus modus sumendi quantitatem dupliciter, ut audiuistis. Sed in arte medica, quæ magna est, debemus omnia considerare, naturam corporis, morbi magnitudinem, locum etiam in quo æger est, regionem, aërem, quia semper est in motu, secundū uarietatem aeris, quia alio modo se habet in Vere alio modo in æstate, etc. Debemus etiam considerare, quòd est in diuersis constitutionibus: item quòd diuerso modo cibanda sunt corpora, ut alia cibis melancholicis, alia bonis &c. alia exercitio sint dedita, alia alio modo. Considerandus quin etiam est sexus, ut quòd alia sit natura mulieris, alia maris.

maris. Aetas *etiam maxime ad hoc facit.* Ars *insuper,ut quòd piscatores alio modo quàm fabri constituti sint.* Forma *item corporis,ut quòd alij sint obesi,alij graciles.* Et *ideo sunt quædam annexa naturæ membri,quæ optime sunt consideranda.* Ideo *medicina,si quæ alia ars,uirum ingeniosum desiderat: ut optime habet* Gale.*primo* Meth.Oportet *igitur non tantum ægritudinem in magnitudine cõsiderare,sed etiam naturam membri,& ultra hæc etiam annexa ut sexum,ætatem formam.s.habitum corporis, tempus,regionem,statũ cœli, artem &c.* Videndum *igitur,an hæc indicantia similia sint, uel contraria:*Si *similia,non est aliqua difficultas.* Si *contraria, illa sunt eligenda,quæ magis urgent,alijs tamen non neglectis:ut bene discurrit* Gale. 8. Meth. *in fine.* Et *ideo medicum dialecticum & bene discurrentẽ, esse oportet.* NATVRAE *uero membri cognitio quatuor rerum continet cognitionem.* Ostendit *modo* Auicen.*in quibus consistat natura corporis, & quo modo debeamus distinctè considerare naturam corporis.* Et *dicit, quòd quatuor modis consideratur.* Primo,*prout habet talem & talem formam,hoc est, prout est talis uel talis temperici.* Secundo *considerando materiam proximam,quæ est compositio, in qua continetur formatio seu plasmatio, quæ consistit in conuenienti superficie,in cõuenientibus uijs, in conuenientibus gibbositatibus, in debitis meatibus & in debita figura, uel gibba, uel recta, sicut actio membri postulat.* Hæc *sunt, quæ conueniunt ex*

parte materiæ proximæ. Consideratur etiam quantitas ex parte materiæ, si habet suam debitam quantitatem, uel non. Etiam *consideratur situs, an pars una ab alia magis distet, uel nõ. Consideratur etiam numerus.* Et *hoc est considerare naturam membri.* Deinde *sequũtur aliqua alia: nã ista membra sunt taliter uel taliter composita ex materia & forma. Sed ultra hæc habent mẽbra commercium, cum alijs mẽbris, & uterus cum mammis, quæ inuicem conueniunt ratione situs.* Forma *membri igitur est consideranda, secundo materia, tertio situs, quarto uirtus.*

NATVRA VERO MEMBRI &c. *Vt inueniretur uia & ars, qua poßimus applicare quantitatem m·dicamenti ipsis ægris, proposuerat Auicenna duo, penes quæ potißimum sumuntur indicationes quantitatis medicinæ exhibendæ. Vnũ fuit morbi magnitudo, alterum membri seu ægri natura. Sunt igitur illa duo, circa quæ debet uersari medicus, ut quãtitatem applicãdæ medicinæ agnoscat. Vt igitur intelligantur, quæ dicenda sunt, sciendum quòd quando diximus, magnitudinẽ morbi, magnitudo morbi in se consideratur, absque respectu ad corpus: ut cùm dicimus febrem ardentem in complexione esse morbum magnum, quantum in se, & sua ratione magnus morbus est. Sic in compositione dicimus obstructiones esse magnas & paruas, sine relatione: in solutione unitatis, uulnus & ulcus magnũ. Quare datur morbus magnus in se: & iste dant indicationem simplicem. At natura membri dat indicatio-*

tionem secundum magnitudinem lapsus, & quanto est maior lapsus, etiam maiori indiget remedio. Scitis enim quòd maior motus requirit maius tempus, & maiorem uirtutem agendi. Igitur cùm sit magnus lapsus a propria natura, indigemus maiori remedio & quod sit fortioris uirtutis. Nam ut 8. Meth. circa finē docet, dato etiā quòd sit idem morbus, tamē respectu huius complexionis sit minor lapsus; respectu illius maior erit: ut si sit febris ardens in corpore calido & sicco, & sit pariter in corpore frigido & humido: in primo non est magnus lapsus, quia in habentibus symbolum facilior est transitus: sed si corpus frigidum & humidum incidat in ardentem febrem longe maior est recessus. Ob id Auicen. & Gale. etiam cum uolebant ppendere, quibus indicationibus poßimus exhibere quantitatem medicamenti, tum considerant magnitudinem morbi circa naturam corporis, ut cognoscant quantus sit lapsus. His habitis, semper contraria contrarijs curamus: quia secundùm quantitatem lapsus, quantitatem contrariorum debemus applicare. Sed forte dicet philosophus, quòd æqualia contraria non debent applicari, quoniam ab æqualibus non prouenit actio. His respondebimus suo loco: supponamus nunc, quòd ubi uolumus reducere ægrum ad terminum suæ naturæ, oportet precise applicare contraria æqualia in gradu. Quòd si ea, quæ sunt maioris uirtutis, applicaremus, induceremus intēperiem: si quæ essent minoris uirtutis, nō curaremus. et hoc oportet supponere.

re. Oportet igitur q; hæc omnia theoremata reducā tur ad actū. Vt igitur intelligamus, proponit prius exēpla sua Auicē. in forma, uidelicet quando corpus humanum per temperaturam suam recedit a qualitate illa naturali, ita ut ægrotet, complexione cali. & sicca, quæ est febris. Proponantur igitur duo corpora, alterum complexionis calidæ & siccæ, alterū frigidæ & humidæ: laborent eadem febre ardenti, in eodem gradu, & magnitudine. Si sumatur indicatio ab essentia febris, certum est applicanda esse frigida & humida. (Nunc enim consideremus complexiones, non causam febris) quia ista temperies siue complexio indicat nobis refrigerandum & humectādum esse. Et sic habemus, quid agendum. Est igitur inuenta materia, quæ applicari debet. Sed quantitatem huius refrigerationis & humectationis indicabit primo morbi magnitudo. Est autem febris ardēs intemperies calida & sicca, maxima. Igitur magnus est morbus, intensa caliditas indiget ergo maxime refrigerantibus. Si igitur in quarto gradu est calida illa, indigemus refrigerantibus in quarto gradu. Deinde indicauit etiam natura ægri, & primo tēperatura. Est hic exempli gratia corpus cholericum calidum siccum, sanum quia in tali temperie calida & sicca sua potest munia pro dignitate obire. Tum uerò similia similibus conseruantur. Indicatur igitur sui conseruatio per calida & sicca: quoniam ex his, ex quibus sumus, uiuimus, & nutrimur. Vnde quoniam homo est æger, ut & Gale. 13. Therape. te-

K statur

statur indiget emendatione temperies sua, (secus in sanitate.) Quare oportet similia temperie dare, aliter offendemus: Itaque ratione temperiei debemus dare calida & sicca. Quare natura ægri indicat oppositũ illi, quod indicabat essentia morbi. Oriuntur ergo indicationes contrariæ; nam etiam si magnitudo morbi existat, tamen in hac temperie non est multus lapsus, quia etiam in sanitate talis homo feruescit, quando est in suo naturali statu, adeo ut si tangatur, percipiatur ipso sensu intensa caliditas, ut uel unus gradus caliditatis additus corpori cholerico, faciat febrem ardentem, cùm quatuor gradus in phlegmatico non faciant febrem ardẽtem. Ideo corpus cholericum non indiget maxima refrigeratione, etsi febris hoc indicet, quoniam sunt indicationes contrariæ: morbus enim indicat utendum maxime refrigerantibus, natura autẽ corporis modicè refrigerantibus. Cùm igitur sunt contrariæ indicationes, debemus perpendere utrũque, & considerare omnia, secundum magnitudinem & dignitatem. Morbus est magnus, dignitas temperaturæ est in corpore. Quoniam igitur dignitas superat magnitudinem, illi attendendum. Sicuti econtra quando magnitudo superat dignitatem, magnitudini est attendendum, cæteris tamen non neglectis. Et ideo quando corpus cholericum febre ardente laborat, quamuis sit morbus magnus, tamen hoc corpus non tolerat illam uehemẽtem refrigerationem, quia non est magnus lapsus, et etiã quia natura corporis similia desiderat. Sed etiã

ultra hæc consideremus annexa, & primo genus .s. sexum, secundò ætatem, tertio consuetudinem: & ex altera parte constitutionem temporis, regionem, tempus anni. Sexus, ætas, consuetudo, semper requirunt similia. Constitutio autem aeris, regio, tempus anni, si fuerint temperata, similibus præseruari debent: si excesserint, contrarijs. Igitur *prima illa tria indicant sui conseruationem; reliqua, quando excedunt, cõtraria requirunt.* In *casu igitur nostro sit hoc corpus calidum siccum, quod sit sexus masculini, sit in iuuentute, consuetus cibis calidis & siccis, sit præterea in regione frigida, & humida, in hyeme, in regione & constitutione simili.* Videtis *quòd ratione sexus requiruntur calida & sicca solidiora, ætas etiã & consuetudo idem postulant.* Econtra *autem frigida & humida in summo morbi magnitudo requirit, cũ quibus cõsentiunt illa tria .s. regio, tempus anni, et constitutio similis, quæ frigida & humida requirũt, quoniam non excedunt.* Quid *igitur faciendum?* Dico *applicanda esse frigida & humida, quoniam magnitudo morbi omnibus obstat, sed tamen sint remisse frigida & humida.* Ob *id dicit* Hippo. *febricitantibus omnibus conueniunt frigida & humida, sed maxime pueris, & qui iis uti consueuerunt.* Mutemus *modo ordinem.* Sit *hoc corpus cholericum, quod habeat talem febrem, sed assuetus fuerit frigidis & humidis pro maxima parte uitæ suæ.* Præterea *sit fœmina, sit puella, sit in regione calida & sicca, in æstate, in maximo æstu.* Quoad *cõstitutionem, quomodo*

 rege-

regemus hanc fœminam? Febris ardens requirit maximam refrigerationem, natura autem paruam, quoniam non est maximus lapsus. Sed ex altera parte est ætas, sexus, consuetudo, quæ indicant frigida & humida; etiam est æstas, regio calida, & constitutio calida, quæ omnia excedunt. igitur frigida & humida requiruntur. Quare in hoc casu debemus refrigerare et humectare maximè, quia non habemus aliquod quod impediat, nisi temperatura. Sed ponamus, quòd sit corpus frigidum & humidum, quod laboret eadē febre: hæc semper indicant maximam refrigerationem & humectationem; ratione temperiei frigidæ et humidæ, est magnus lapsus, quare oportet habere remedia maxime refrigerantia & humectantia, ratione magnitudinis morbi, ratione lapsus, & ratione temperiei, quæ iuuatur a similibus, frigidis scilicet & humidis. Isto modo homo sit sexu masculus, habens consuetudinem, & uixerit calidis & siccis: præterea sit in ætate iuuentutis et uigoris, sit in aere frigido & humido, in hyeme, in regione simili. Pariter & consuetudo debet aduerti, est enim usus calidis & siccis. Igitur incipiemus ambigere. Est in flore iuuentutis, est masculus, est in maximo frigore: igitur indiget oppositis frigori, calidis scilicet et siccis, ratione hyemis & constitutionis maxime frigidæ: tamen ratione morbi, & temperaturæ, & ratione lapsus, debemus adhibere maxime frigida. Quid ergo agendum? In hoc casu longe superant & dignitate & uirtute, quæ indicant esse refrigerandum & hume-

hume-

humectandum, tamen aliquantulum moderari debet propter illa quæ contrarium indicant. Ideo *in hoc casu indigemus refrigeratione, sed non maxima.* Ponamus *modo, quòd iste idem homo, frigidus & humidus, sit assuetus cibis frigidis & humidis.* Præterea *quòd sit puer, quod sit fœmina siue puella, sit in æstate in maximo calore, in regione simili.* Huic *corpori debetur intēsissima frigiditas & humiditas, quia habet febrem ardentem, & his maximum lapsum a sua temperatura.* Delectetur *modo frigidis & humidis, his fuerit assueta, est puella, est in æstate, in calore maximo: igitur indigemus maxime refrig. & humectantibus.* Quare *uidetis, quomodo sumitur quantitas medicamenti.* Sed *modo ex parte materiæ, sit aliquis repletus humore pituitoso; hic duo sunt corpora diuersa: est corpus calidum & siccum, alterum frigidum & humidum, utraque autem habent pituitam in corpore.* Merito *repletionis, utrique debetur euacuatio, quia plenum habet uacuum contrarium: & ideo si est plenum, debet euacuari.* Habemus *igitur quid agendum.* Quantitas *agendi nascitur ex quantitate repletionis, quæ si maxima est, maxima indicatur etiam euacuatio.* Sed *si consideremus naturam corporis, ut si sit corpus biliosum, repletum pituita, indicatione sumpta a temperatura, debemus multum euacuare: quoniam cùm sit corpus calidum & siccum, habet uias & meatus amplos in se, & habet magnitudinem caloris, cuius ratione medicina facile actuatur, insuper uasa sunt ampla.* Ob *id di-*

cit Hippo. Corpora ubi purgare uoles, oportet fluida facere. Ideo cùm corpora calida & sicca habeant amplitudinem uasorum, debent euacuari. Etiam merito situs, qui in euacuatione est considerandus. Verum est, quòd ubi humor fuerit collectus in membro propinquo stomacho, indigemus medicamento debiliori: quando autem est a uentriculo remotum, id quod debet euacuari, debemus uti aliquo, quod habeat magnam uirtutem. Sed ponamus nunc quòd sit remota materia, quæ replet quoniam indigemus medicamento magnæ uirtutis, ratione uirtutis autē corpora calida & sicca sunt facile resolubilia, medicamenta exiccant & resoluūt; & ideo cùm uirtus non sit ualida in corpore calido & sicco, non indicat magnam euacuationem. Quin etiam forma & habitus corporis non indicāt magnam euacuationem, & quādo est corpus gracile: & ideo sub Canem non debemus euacuare, non ratione caliditatis, sed quoniam corpora sunt gracilia, & imbecillia, ne æger inducatur in syncopem, propter arefactionem corporis, & uirium inconstantiam.

Diximus, quomodo sumendæ sint indicationes quantitatis applicandæ medicinæ, & præsertim in complexione: et proposuimus illos duos casus, quos potestis uidere primo Meth. cap. ultimo. Igitur illa non oportet repetere. Vnum tantum dubium remouendum est hîc, non sine ratione. Cùm enim diximus, longè frigidiora conuenire corporibus frigidis & humidis quæ inciderint in febrem ardentem, quo-

niam

niam est magnus lapsus: uidetur q; hoc sit contra rationem & experientiam. Contra rationem; *nam ubi est corpus calidum, nõ potest ita lædi a frigido, quoniam sua caliditate maxime resistit frigiditati, & lõgè ualidius, quàm corpus frigidum & humidũ.* Præterea *uidemus quotidie medicos experiri, quod quãdo corpus cholericum calidum & siccum habet febrem ardentem, exhibent aquam frigidißimam refrigeratam, et in maxima copia, ut detur de ea ad tãtam copiam, ut corpus deueniat ad uiriditatẽ: quod si faceremus in corpore frigido, extingueremus corũ uires. Quid igitur dicendum?* Si *rectè intellexistis, quæ diximus, omnia sunt soluta.* Audiuistis, *quomodo non dat indicationem contrariam morbus solùm & temperatura, sed etiam consuetudo, tempus anni, compositio corporis, & reliqua huiusmodi.* Ab *omnibus sumitur indicatio.* Si *modo applicemus quæ diximus supra, uidebitis omnia bene esse dicta.* Sit *enim corpus calidum & siccum quod inciderit in febrem ardentem, non erit magnus lapsus: quando igitur dabimus aquam frigidam?* Dicit Gale. *in tempore æstatis esse dandam, non in hyeme, etiam si fuerit consuetus bibere aquam frigidam.* Igitur *oportet quòd sit æstas, & calor magnus, & quòd fuerit assuetus.* Præterea *quòd sit bona compositio corporis, non habeat hypochõdria tẽsa, ubi hæc fuerint cõcocta materia date aquam frigidam, præsertim quia talia corpora habent meatus latos, & uirtutem ualidam.* Igitur *aqua non lædet, neque permanebit in hypochondrijs,*

drijs, sed cito pertransibit: ideo in istis excitatur sudor, uomitus, & excessus per aluum, & sanantur statim. Et ideo quādo damus: aquā frigidā, omnia indicant esse dandam aquam frigidam, scilicet æstas, compositio corporis, consuetudo, ætas iuuenilis, quando casus est talis ut non habeat aliquam difficultatem. Et ideo si damus frigidam, hoc non est ratione temperaturæ, non ratione lapsus, sed ratione uirtutis, quia potest tolerare. Pariter in corpore frigido optimum esset exhibere aquam frigidam, si posset tolerare: sed non potest, quia aqua non potest penetrare, propter uiarum angustiam, & ideo adhærebit aqua hypochondrijs, uertetur in bilem, & augebit febrem, ut moriatur homo. Oportet igitur considerare omnia quæ coindicant: nam ubi omnia considerabimus, uidebimus q aqua conueniat biliosissimis, non autem biliosis, non ratione lapsus, sed ratione eorum quæ iam diximus. Modo Auicenna cùm dederit exemplum in ipsis temperaturis, & ostenderit indicationes quæ ostendunt nobis quantitatem medicinæ exhibendæ in complexione & in forma, modo considerat quantitatem medicinarum, quæ exhibentur ratione compositionis. Et dicit. ET CREATIONIS *quidem membri iam diximus C.S. in nostro primo, quādo diximus de numero membrorum, q creatura membri diuiditur in quatuor modos. Sunt igitur quatuor, quæ in compositione spectātur scilicet formatio, quantitas, numerus, debitus situs partium & mēbrorū inter se, quæ corpora hæc debi*

ta habuerint, habebunt bonam corporis structuram. In formatione cõsideramus quatuor, q̃ habeant debitã superficiẽ, quæ quãdoq; debet esse aspera, quandoq; lenis, quandoque dura, quandoque mollis. Secundo est figura, q̃ habeat debitam figuram unumquodq; mẽbrum, atque conuenientem usum. Tertio considerandæ uiæ, & meatus, qui sunt in singulis membris, ut uenæ, arteriæ. Quarto sunt cauitates, ut uidemus in renibus esse cauitatem, in cerebro esse tres uentriculos. Igitur hæc quatuor sunt in formatione. Auicen. autem breuitatis causa exercet nos solùm in cauitatibus & uijs, et dicit q̃ membrum quod habet plures uias in se, facilius euacuatur, q̃ quod habet pauciores & strictiores: & ideo indigemus minima quantitate medicinæ. Debemus ergo sumere indicationem a uijs, quia membrum quod habet plures uias, indiget debiliori medicina, quod pauciores indiget fortiori medicamento, & ualide agente. Quando ergo sunt uiæ, indigemus minori quantitate medicamenti: quando autem non sunt uiæ, maiori. A cauitate, sunt quædam quæ habent cauitates & foramina sensibilia, & indigent leuiori medicina, sicut est pulmo: quædam non habent, & sunt dẽsa, sicuti renes, quæ non ita facile euacuantur, propter densitatem: quare tunc indigemus maiori euacuatione. Sed demus nos etiam in alijs exemplum, & primo a superficie coctum est, q̃ si habueritis cutim asperam in puella, & simul cutim asperam in iuuene calido & sicco, quod est maior lapsus in puella,

quam in iuuene calido & sicco. igitur in puella indi gemus aliquo magis leniente, quam in puero. Etiam *in figura, si fuerint crura obliqua, & obliquentur adhuc, iste minori indiget auxilio, quàm si crura, quæ prius erant recta, fuerint tortuosa reddita.* In *quantitate: quædam habent quantitatem maiorem, quædam minorem: & ideo quando intumuerunt mẽbra, oportet uidere num ille tumor ualde recedat a naturali statu.* Quod *cognoscitur per contemplationem alterius membri, uérbi gratia alterius cruris, si unum crus intumuerit.* Vnde *quanto maior fuerit tumor, tanto ualentiori indigemus auxilio:* Etiam *numerus dat indicationem.* Sunt *quidam admodum pilosi, alij pauciorum pilorum: & si incidant utrique in morbum gallicum, illi qui paucos habent pilos, oportet inducere illam quantitatem pilorum, & non ultra progredi, quia maxime exiccaremus.* At *in illo qui plures habebat pilos, oportet reducere ad pristinum statum, ad illam multitudinem pilorum, & pro gredi ulterius, quàm sit factum in illo, qui tãtos pilos non habebat.* Ex *his constat, quid dicat in textu* Auic. ET *raró quidem medicina sufficit subtilis & spisso est medicina fortis necessaria.* Quod *autem forti medicina magis indiget, est illud, quod in nulla duarum partium uentriculum hábet.* Vt *sunt arteriæ, uenæ, nerui.* Et *post ipsum est id quod ex una parte habet foramen tantum, & est intestinum cæcũ.* Et *in alio gradu difficilis & facilis extractionis est illud membrum, quod habet utrinque foramẽ*

sed

sed est solidum in se, sicut renes. Habent igitur *difficultatem in euacuatione renes, quia substantiam habent densam: habent postea facilitatem, quoniam habent utrinque foramen, ideo non indigent tam ualente medicamento. Quare sunt in tertio gradu difficultatis.* Postea *sunt, quæ habent foramina utrinque, & sunt mollis & raræ etiam substantiæ, ut pulmo, ideo ratione huius est facilis euacuatio. Quòd si difficillimè euacuetur pulmo, non est ratione membri, sed ratione longinquitatis, & hoc a situ cognoscitur.* Sed *hic ponimus indicationes simplices.* Pulmo *igitur ratione substantiæ membri facile euacuatur, ratione longitudinis uiæ difficillimè.* ET *situs quidem membri, quoniam per situm cognoscitur, aut locus aut societas.* Transit *ad situm hoc loco* Auicen. *& est obscurus non ratione materiæ & rei, sed ratione sui ipsius: quia hic omisit duo prædicamenta, situm & ubi.* Ob *id sciendum, q; quando consideramus debitam conuenientiam membrorum, q; istud est potius differentia in situ, non in loco: sunt enim duæ conceptiones genere diuersæ.* Postea *est alia differẽtia situs quam appellat* Auic. *locum.* Pro *ordine igitur dicendum, q; in loco primò consideramus terminum, qui sit in loco, qui est uel terminus a quo, uel terminus ad quem.* Secundò *consideramus habitudinem terminorum, prout dicimus hos duos terminos habere inter se distantiam maiorem uel minorẽ.* Tertio *consideramus proprias differentias locorum, ut quando dicimus, sursum deorsum, ante, retro, sini-*

strorsum dextrorsum. Quarto consideramus directionem uiæ, per quam fit motus: ut quando dicimus hac, illac. Et ita habemus omnes differentias loci distinctas. His uisis, uidebitis q Auic. simul cōsiderauit omnes illas conditiones, quid, quantum, & quomodo &c. uel cognouerit, uel non cognouerit. Scitis autem quemadmodum tantum de his, quæ habent simul colligantiam, egit in secunda primi: & ideo hic confundit situm cum loco, & tradit indicationem exhibendæ medicinæ in tali & tali quantitate ex situ, & exemplificat. Hepar habet partem conuexam seu gibbam, & concauam, ita est suus situs. Considerato situ hoc modo elicitur indicatio medicinæ, quod quando est aliqua ægritudo in hepatis concauitate, est exhibenda medicina, quæ trahat ab intestinis: quando autem est in gibbo, danda est medicina quæ trahit per urinam. Itaque non quātitas medicinæ hinc elicitur, sed potius, quid sit agendum. Quare eligimus medicamentum quod attrahit, quod abstergit. Ideo situs dat indicationem, quid agendum, non quantum. Et ideo neque parco Auicennæ in hoc, nec credo q aliquis modernorum uiderit hoc. Dico igitur, q ex parte situs membri non eligemus quantitatem medicinæ, sed qualitatem potius. Eligimus quæ trahant, quæ euacuant per urinam, per aluum, quæ differunt in substantia, non in quantitate. Igitur ostendit nobis situs, quid agendum, ostendit qualitatem & substantiam colligantia & societas membrorum. Addit deinde Auic. considerans situm ex parte, & dicit, q locus

cus consideratur tripliciter, uel secundum longinquum, & propinquum, uel secundum substantiam solidam & laxam, uel secundum ubi & meatus ipsos atque uias. Quando consideratur locus secundum longinquitatem & propinquitatem, est considerare locum ut locus est. Quando autem consideratur substantia loci, non est considerare locum, sed est considerare substantiam, cui accidit esse in loco. Igitur nescio quid dicat Auic. Exemplum *primi, ratione lõginquitatis, ut si uolo euacuare pulmonem, est magna distantia, quia oportet q̃ deueniat medicamentum ab ore ad uẽtriculum, hinc ad mesaraicas, ab his ad hepar, & ab hoc ad uenam cauam, a qua tandem ad pulmonẽ, igitur longus est transitus.* A *loci ergo distantia quæ indicatio sumitur? Sumitur quantitas; quia longitudo indicat augendam esse quantitatem medicinæ, quia uires medicamẽtum in uia amittere potest.* Et *hoc bene dicit* Auic.

Circa *illam partem, in qua docuimus, quemadmodum quantitas medicinarum recte administretur, uidistis q̃* Auic. *duos scopos principales proponebat, uidelicet magnitudinem morbi, & naturam membri: & uidistis, quomodo natura membri esset consideranda, a temperatura, a compositione, quantitate, & numero.* De *situ etiam diximus, q̃* Auicenna *in hoc confundebat duo prædicamenta simul, & quamuis uera essent, tamen confuse tradi. nam dum breuis esse laborat obscurus fit.* Et *ideo doctrina omnino relinquebatur confusa, quoniam confundebat situm et*

ubi,

ubi,quæ sunt duo diuersa prædicamenta. Confundebat autem,ut faceret doctrinam compendiosam. Nā *ista duo prædicamenta habent maximam inter se affinitatem & potius differunt secundum rationem, q̄ secundum substantiam.* Vos *igitur audiuistis,quomodo* Auicen. *considerabat colligantiam membrorum, quam appellauit situm colligatum.* Et *de hoc diximus, q̧ indicatio quæ sumitur ab hoc situ , ostendit quid agendum, & ubi agendum: ut quando menses fluunt plusq̄ oportet,ostendit esse sistendum fluxum.* Indicat *quoque locum,quia indicatur esse applicanda medicamenta mammillis, propter colligantiam quæ est inter mām̄illas & uterū.* Tradit *etiam quid agendum; si fuerit ægritudo in concauo hepatis,indicat esse utendum ijs quæ euacuant per secessum,non tamen inuenitur quantitas medicinæ.* Postea *dicit* Auicen.*situm localem tripliciter considerari uel secundum distantiam terminorū,uel secūdum proprietatem loci,uel secundum situm loci,quæ est propria differentia localis,hoc est sursum,deorsum, dextrorsum,sinistrorsum, ante,retro.* Videmus *quid dicat* Auic.Quantum *attinet ad illam primam differentiam,ex distantia terminorum , audiuistis q̧ in loco consideramus duos terminos,a quo,& ad quem.* Con*sideramus distantiam horum terminorum,secundum quod est maior uel minor distantia,cōsideramus spatium,hac,illac.*Considerams *rectitudinem sursum, deorsum,dextrorsum,sinistrorsum,ante,retro.* Con*siderat hic* Auice.*distantiam terminorum, a qua sumi-*

mitur quantitas medicamentorum: si enim morbus sit in pulmone, sumpta indicatione a distantia, quæ est inter pulmonē & os, inter terminos a quo & ad quem, ne medicina in uia longiore amittat suas uires, ideo si sumus refrigeraturi pulmonem per duos gradus, adhibebimus medicinam frigidam in quatuor gradibus; quia priusq̄ medicina perueniat ad pulmonem, erit in debito gradu. Si autem ægritudo fuerit in uentriculo, quia prope est, non augebimus medicinam. Secunda differentia, quam ponit Auicen. est, quod consideremus proprietatem loci: ut quā do uolumus mederi cordi, oportet considerare proprietatem huius loci, scilicet cordis. Scimus q̧ cor delectatur odore, quia spiritus in corde delectantur odore, & ideo in primo de Sensu & sensato Arist. dicit q̧ cùm spiritus sint perspicaces, & cerebrum sit humidum, ideo spiritus summopere delectantur odore bono: sicut econtra malus odor spiritus prosternit. Cum igitur ita sit, & spiritus cordis uel sit anima, uel animæ uehiculum, ideo semper in medicinis cordialibus admiscendum aliqua odorata. Et cùm uolumus auxiliari uesicæ, quæ urinam excernit, & cognoscamus q̧ diuretica ducant per urinam, ideo medicamentis pro uesica admiscemus diuretica, non qđ istis pro tunc indigemus, sed ut illa quæ exhibemus poßint deuenire ad illum locum. Sed obsecro uos uidete, quomodo hic habeamus quantitatem medicinæ? hic solum habemus modum operandi, non quantitatem. Quare decipitur Auicenna, quoniam considerat

plum, & inquit ꝙ quando nos uolumus sumere indicationem a colligantia & a situ locali, quod primo habemus prouidere, quod trahamus materiam a dextro uel a sinistro, uel ante, uel retro, uel supra, uel infra. Pro quo sciendum, quod ubi Auic. proponit a situ loci & à colligantia membrorum esse sumēdam indicationem. supponit quòd materia uel fluit de loco ad locum, uel iam fluxit. Sed diminutus fuit: ideo audiatis discursum. Quando igitur materia est in aliquo loco, uel est fluxura, & adhuc non incipit fluere, ut quando est in cerebro, uel in uentriculo, & timemus uel podagram, uel dolores articulorum, uel colicum dolorem. uel iam incepit fluere, sed nondum omnino fluxit, ut in pleuritide, apostema partim est factum, partim fit, uel tertio materia iam fluxit, & non fluit amplius, ut quando iam est apostema totum factum. His tribus modis consideratur materia. Si igitur materia nondum fluxit, neque incepit fluere, quam indicationem tradit? Quòd debemus distrahere ad maximam distantiam terminorum: intelligo maximam distantiam, non à loco, in quo est materia, sed a loco in quem est fluxura: ut materia in uentriculo debet fluere ad pedes, oportet ergo distrahere à summa distantia pedum, quod est caput, ad quod trahenda esset: sed quoniam caput est memlrum nobile, trahemus supra, quātum possumus, & trahemus per os. Ideo isti bene prouocant etiam uomitum. Qui contrà euacuant per secessum ubi est periculum podagræ, deducūt ægrum ad podagram. Videmus igitur

ubi materia nondum fluxit, q. est distrahenda a loco distanti: quoniam cùm humor sit iam procliuis ad fluendum in illum locum, oportet remouere aptitudinem illam, & quãto magis trahemus ad partes oppositas; eo erit melius, & hæc dicitur Reuulsio. *Hæc autem ita facimus, ut natura non assuefiat expellere materiam ad illas partes, ad pedes scilicet, & dicitur ab istis,* Diuersio *simplex.* Quando *autem materia fluit, & est fluxura, quia hic sunt duo, materia quæ fluxit indicat ut extrahamus illam materiam ab illo loco: sed materia quæ fluit indicat q. debemus detrahere ne fluat.* Igitur *oritur duplex indicatio.* Euacuatio *materiæ, &* Attractio. Quid *igitur faciendum, præcipue si materia turgeat?* Non *possumus uti euacuatione simplici, quia magis traheremus materiam ad locum: Si autem utamur sola diuersione, euacuatio postea uel esset nulla, uel tarda.* Igitur *non utemur simplici diuersione, ut in pleuritide: quia si solum diuerteremus, traheremus à loco maxime distante, ut a saphena oppositi lateris, & tunc euacuatio esset nulla, uel tarda.* Quare *euacuamus per dimidiam dimensionem, quando simul uolumus euertere & euacuare; mittimusq; sanguinem ab eodem latere, & euacuamus usque ad mutationem sanguinis, quoniam tum signum erit, quod euacuatur mãteria a loco, in quem iam fluxit.* Igitur *in hoc casu neque diuertimus: quia si mitteremus sanguinem a loco opposito, uel remedium erit nullum, uel tardum, quia non euacuabimus a loco.* Quando *igitur* Auic.

mittit sanguinem à saphenis, adfert remedium uel nullum, uel tardum; quia tum indigemus & euacuatione & diuersione, & cùm unum solum facimus, utimur remedio uel nullo uel tardo. Quando uero fluxit iam tota materia, non dat indicationem aliã, nisi quòd euacuetur uel deriuetur a loco proximo. Et hoc est quod dicit Auic. q in his tribus actionib. nostris debemus considerare situm colligantiæ, & situm localem, & dat quatuor documenta, & dicit: QVONIAM cùm sciuerimus, q materia fuerit adhuc in descensu, a suo loco materiam trahemus, 4. cõditionibus obseruatis. Prima est partis diuersitas, 2. ut societatis curã habeamus. Tertia, rectitudo obseruanda. Quarta, ut debita distantia sit elongationis. Et si conditiones istæ non semper sint seruandæ; una tamen magis, quàm alia: ut si materia est solùm fluxura, debemus habere alteram considerationem, scilicet elongationem terminorum, per maximam distantiam terminorum. Quod est autem in omnibus considerandum, est & tertia conditio, scilicet ut materia trahatur per conuenientem uiam & ueram rectitudinem, quæ ab Hippo. dicitur κατ' ἴξιν, ad quam materia naturaliter tendit. Debemus considerare et secundum, q materia naturaliter potest diuerti ad illum locum, & seruari rectitudo uiarum, ideo dicit Auic. q debemus seruare rectitudinem. Sed melius dicit Hipp. q dicit, κατ' ἴξιν, & intelligit rectitudinem tum situs tum instrumenti. Rectitudo situs est conueniens: quando enim inter duos terminos sunt anguli,

æger. Ideo debemus prius sedare dolorem. Sed 23. Aphor. primæ part. dicit Galen. q. est præstantissimum omnium mittere sanguinem usque ad syncopẽ in uehementissimo dolore. Igitur hic uidetur esse contradictio inter Galen. & Auic. Respondemus, quòd Auic. considerat ista non in uniuersali, sed dicit q. quando uolumus retrahere, debemus prius sedare dolorem, ne impediatur attractio: Sed non dicit, q. hoc semper sit faciendum. Verbi gratia quando uolumus euacuare, ut in pleuritide, quando trahimus per illam diuersionem mixtam, & trahimus paucũ sanguinem, agitamus materiam, & illa materia agitata fluit ad locũ. Ob id dicit Gal. Vbi fuerit dolor maximus oportet mittere usque ad animi deliquiũ. Et ideo in pleuritide erit mittendus sanguis ab eodem latere, usque ad mutationem sanguinis, ut dicit Hip. uel usque ad syncopẽ. Sed dicit Aretæus cõtra, uel enim deducimus ægrũ ad casum uirtutis, uel ad peripneumoniam, sed de hoc aliàs dicemus. Igitur Hippo. & Galenus, uolunt, q. quando uolumus diuertere materiam, quæ fluit, aut euacuare materiam quæ fluxit, debemus mittere sanguinem usque ad syncopem: hoc faciunt ut euacuata illa materia, cesset dolor ille uehementissimus. At Aui. loquitur de attractione materiæ, non de euacuatione materiæ quæ est in loco dolente, ut in hoc casu est primo sedandus dolor scilicet in attractione materiæ, non autem in euacuatione. Quoniam hic sunt quædam uelut aphoristicè dicta, in fine cap. ideo illa sunt con

ſideranda poſt euacuationes. Suprà diximus, quemadmodum ſumendæ ſint indicationes applicandi medicinam, quomodo ſimul admiſceremus ſitum colligãtiæ & ſitum loci, & uidiſtis quæcunque dicit Auic. & nos declarauimus, interreliqua uerò, quomodo ſeruandæ ſint illæ conditiones, in deducendo materiam de loco ad alium locum: & uidiſtis, quomodo & quando fiat deductio iſta. his uiſis hic iam unum aduertendum eſt, quòd Auicenna cùm propoſuerit uiã doctrinæ, poſuit poſtea duo corollaria, quæ ex his ſequuntur. Vnum fuit, quòd quoniam loquitur de deductione materiæ de loco ad locum, ſequitur hoc, ꝙ debemus prouidere, ut ſedetur dolor partis, unde fit attractio. Et ratio erat, quoniam cùm dolor calefaciat, & ideo attrahat, maior erit attractio doloris, ꝙ̃ retractio medici. Erat aliud corollarium, ꝙ quando deducis materiam de loco ad locum, cauendum eſt, ne tranſitus fiat per membrum principale: hoc eſt à nobis declarãdum. Et primo quid ſit mẽbrũ principale. Dicitur principale, quod habet dignitatem in aliqua operatione, uel in propria ſubſtantia: ſicut eſt cor, cerebrum, hepar &c. Dicit igitur Auicenna, Caue ne fiat euacuatio per membrum principale, quando trahis materiam de loco ad locum. Nam ſi uolumus extrahere materiam præter naturam per membrum nobile, uel illa materia remanebit in loco nobile, uel mala qualitas, quæ maxime nocet membris principalibus. Videtur res clara: habet tamen aliquam difficultatem, quam oportet diſcutere, & eſt in-

instantia in contrarium. Imo *uidemus medicos in cõtrarium operantes.* Nam *quotiescunque euacuamus per medicamenta soluentia a toto corpore, si debet fieri attractio ad uentriculum, medicamentum existens in uentriculo trahit ad se familiares humores ex toto corpore, ut excernant per secessum, uel per uomitum.* Si *debet euacuari humor a uenis, oportet* ꝙ *transeat per unum membrum principale scilicet per hepar, at per membrum nobile materia duci non debet, secundum Auicennam,* Igitur *non debemus unꝗ euacuare.* Notate: *soluunt moderni isti, sed inepte.* Quandoque *enim dicunt, quòd hoc contingit, ubi materia est uenenosa, quòd non debet fieri transitus per membrum nobile.* Sed *ipsi instant: si exempli gratia fuerit pleuritis in parte dextra, & nos trahamus per partem sinistram, est necessarium, quòd fiat transitus per membrum principale, scilicet per cor.* Ego *credo,* ꝙ *nunquàm uiderint anatomen.* Constat *enim ex anatome,* ꝙ *non fit transitus per cor, etiamsi trahatur sanguis ex dextro uel sinistro latere.* Sed ꝙ *intelligatur de materia uenenosa, falsum est, quia Auicenna uniuersaliter loquitur.* Quid *igitur dicendum est?* Dicit Gal. *quod ducenda oportet ducere, quò natura ducit.* Quando *se exonerat natura ab aliquo humore præter naturam in corpore existente, semper inuenit loca ignobilia, & per illa deducit.* Verbi *gratia in cerebro posuit conuenientes uias & loca, ad quæ possunt duci excrementa cerebri, ut nares, oculos, palatum, aures: quare etiam medicus in*

que sunt ista duo, quòd scilicet sit maius iuuamentum, quam nocumentum, deinde sint uiæ paratæ, & id quod trāsit, facile expellatur, tamē possumus euacuare, etsi materia transeat per hepar. Neque intelligatis, quòd intelligat de termino ad quem fit attractio, sed loquitur in transitu, caue ne in transitu trāseas per membrum principale, dummodo non poßimus aliter facere. Vbi tamen est maius iuuamentū, quàm nocumentum, audere aliquid possumus. Quomodo ēt sæpe natura in crisi facit, euacuando per se cessum. Ista autem duo corollaria non attinent ad quantum, sed potius quando sit attrahendum, nimirum quando sedauerimus primo dolorem termini a quo. Secundum autem docet nos rectum modum operandi, & ideo docet nos Quomodo. ET utilitas quidem quæ sequitur ex parte uirtutis membri est trium semitarum. Transit modo Auicenna ad quartam, quia proposuerat, quando uolumus eligere debitum terminum operandi, quòd debemus considerare primo magnitudinem morbi, secundo naturā membri, quæ in quatuor consistebat, in temperatura, compositione, situ partium, & uiribus ac uirtute membrorum. De tribus egit: restat hoc quartum. Itaque debemus expendere uirtutem membri. Per uirtutem non intelligimus, quòd sit in membro ualida uirtus operandi, quæ faciat suum officium sicut debet, Vel quòd sit uirtus uitalis fortis, uel animalis, hoc modo non considerat Auicen. sed ista prætermittit, & considerat uirtutem membri in tribus, uel pro

ti, & præparat cibum, & illum uertit in ſuccum, ut poßit illum hepar ſanguificare. Cum igitur ordinetur uentriculus ad hepar, & ſine quo non operaretur hepar, ideo uentriculus habet mobilitatem uiriũ ſecundum neceßitatem potiuſquam ſecundum principatum, quia eſt ſicut miniſter. Tertio eſt uis ratione ſenſus acuti. Modo applicemus ad propoſitum. Sit cor lapſum per duos gradus caliditatis a temperamento, debemus ergo applicare duos gradus frigiditatis. Cauendum eſt ab hoc, propter principatum. Sic de hepate: quoniam hepar debet refrigerari, ſed paulatim. (Et ſic etiam cerebrum) & ſemper admiſcemus calida frigidis. Iſti boni medici, quando applicant cerebro philonium, in quo eſt opium, admiſcent piper & alia calida, ne cerebrum refrigeretur, & lædatur. Et ob id dicit Auicenna, caue ne tranſcendas papauer album. Ecce quomodo à nobilitate membri ſumitur indicatio quantitatis medicinæ. Secundo modo quando uultis applicare medicinam uentriculo ſcilicet calefacto, non debemus applicare frigida tantum, quoniam in uentriculo eſt uis concoquendi, ſed ſimul etiam aſtringentia. Ex hoc ergo oſtẽditur quomodo ſit agendum. Quantum autem attinet ad acumẽ ſenſus, hoc uidetur expreßè, ut in uulneribus neruorum indigemus ualido abſtergente, tamen non exhibemus tenuantes ne excitetur dolor, propter ſenſum acutum, ex quo dolore trahatur materia, uel fiat ſpaſmus. Igitur in neruo refrenamus illam abſterſionem, & potius uolumus tardare remedia, quã

inducere dolorem & mortem.Postea Auicenna dat unum generale consilium,& dicit,quòd in similibus debemus cauere ab his quæ multum resoluunt. Per *ea quæ resoluunt non intelligit ea quæ difflant per halitum,sed intelligit ea quæ relaxant.*Debemus in *membris principalibus cauere ab illis,quæ relaxant qualia sunt anodyna,quæ solùm aperiunt : ista non conueniunt,quia destruunt tonum , & præcipue infesta sunt membris uitalibus, ut cordi : neque etiam cerebro conueniunt.* Quæ *autem difflant per halitum,neque illa conueniunt,quoniam resoluunt spiritus cordis & cerebri.*Deinde *debemus cauere ab his quæ ualidè refrigerant:uita enim conseruatur in calido & humido,& quanto membra sunt magis principalia,tanto magis a refrigerantibus cauendum , si applicentur membris principalibus.* Debemus *etiã cauere ab his quæ habent cõtrarias qualitates, sicut uenenosa:ut cerussa,æs ustum, plumbum: suffocãt.n. & uenena sunt.*Alia *modo sunt quæ habent contrarias qualitates manifestas, ut mordicatio : est enim qualitas quæ contrariatur neruis:*Igitur *ab his cauendũ.Sicut & a solutiuo uehementissimo,ut a scammoneo:ideo non debemus istud applicare membris principalibus,quoniam uiolenter trahit,& sanguinem etiam,quoniam habet qualitates contrarias.*

SECVNDVM *uerò ægritudinis quantitatem, quoniam illi,cuius corporis ægri caliditas est fortis oportet ipsam extinguere infrigidantibus.* Modo *Auicenna sumit indicationem a quantitate morbi,*

quoniam iam a natura membri indicationes sumpsit. Ideo *reliquum est, ut sumat indicationes a magnitudine morbi.* Et *dicit, si est magnus lapsus & magnus morbus debemus applicare magnum remedium: ut si quis frigidæ & humidæ temperaturæ incidat in causum, est magnus lapsus, ideo debemus applicare ea quæ sunt æqualia in gradu.* Hic dubitant *moderni.* Q*uoniam æquale in gradu uel habet eandem intensionem in gradu, ut si per tres gradus fit lapsus ad calidum, est applicandum medicamentum intensiuè seu in tribus gradibus frigidum.* Vel *intelligunt eosdem gradus non intensiuè, sed quando longo usu applicandi idem operantur: & dicunt, quòd secundo modo intelligitur.* Ego *contra.* Vbi *est ualida uirtus, debemus applicare contraria in gradu æqualia primo modo & confertim, ut aquam frigidam, propter excessum caloris, ubi sunt uires, ut possit ferre æger.* Et *ideo non est uerum quod ipsi dicunt.* T*amen quandoque hoc, quandoque illud obseruamus.* Q*uando habemus uirtutem ualidam, confertim æqualia contraria in gradu adhibemus: quando uero habemus uirtutem debilem, facimus illud in multo tempore, quod non possumus facere in pauco.* Dicimus *igitur, quòd debemus applicare æqualia in gradu.* E*st autem instantia: hic est caliditas in tertio gradu, & applico frigidum in primo: actio fit a proportione maioris inæqualitatis. quare tunc non iudicatur frigidum, sed potius calidum, quia frigidum in sui naturā conuertet.* Debetis *scire, quòd agens in*

agendo

agendo repatitur, & tandem ex longo usu refrigeratur: & ideo nos uidemus guttam quæ cauat lapidem ex longo usu, quoniam aliquid patitur, etsi insensibiliter. Et *ideo longa applicatione debilitantur uires agentis.* Est *etiam dubitatio, quia applicantur æqualia in gradu: sed ab æquali in gradu non prouenit actio, sed a maiori in gradu.* Debetis *scire, quod a proportione maioris in æqualitate, prouenit actio, si debet unum superare reliquum: sed quando fit mistio, non potest fieri iste excessus,* Ideo *dicit* Arist. 2. *de generatione anim. quòd si ualde excedit uis agentis, nõ fit mixtum, sed corruptio.* Igitur *oportet quòd sit debita uis agentis & patientis, ut si misceamus aquam feruentißimam & frigidißimam, fient unũ tertium & conueniet hoc modo contraria in gradu.* Ideo *quando applicantur, fit illa contemperantia, eo modo quo nos intendimus.* Est *modo aliud, ex quo sumuntur indicationes operandi, ex tempore & ex hora.* Ex *temporibus quidem ægritudinis, quia in principio utimur repercußiuis, in augmento repercußiuis & resolutiuis, in fine resoluentibus tantum.* Vnde *apparet, quomodo ista tẽpora indicant quid agẽdum: licet ratione concoctionis materiæ, si fuerit, adhibebimus maius remedium: si uero non est cõcocta, solum minorabimus; & ut dicunt isti, utemur minori remedio, quando materia non est concocta, quàm si est concocta, quia tunc illam euacuamus.*

SECVNDVM *uero ægritudinis quãtitatẽ etc.* Istam *partem aliquomodo declarauimus: sed quoniã*

non

non fuit satisfactum, & est res alicuius mométi, idem iam melius declaranda est. Vt igitur præcedentia cũ sequentibus ratione nectantur, debetis scire, quemad modum Auicennæ in hac quarta Fē propositum est docere artem curatiuam, quam Gal. Therapeuticam methodum appellauit, in qua proposuit nos indigere tribus instrumentis, diæta scilicet, pharmacia, & chi rurgia. De ratione uictus satis dictum est supra. Ce pit postea agere de medicamentis, & quomodo non possumus accedere ad rectam eorum applicationem nisi quinque spectentur, quæ perpetuò sunt conside- randa. Primo, Quæ medicamenti substantia sit appli canda. & hoc est scire, quid sit agendum. Secundo quã titas. Tertio quomodo. Quarto quo tempore. Quin- to quo loco & ubi sint applicanda. Auicenna autem tantum tria proposuit, quid, quantum, & quando. Tamen nos ostendimus omnia illa quinque. Ex istis quinque est unum, quod semper est immutabile & inuariabile, ipsa scilicet essentia medicinæ. A morbo enim sumitur indicatio ipsius medicinæ, quæ nã me- dicina sit exhibenda. Morbus enim semper indicat exhibendam medicinam contrariam morbo. Stat igi tur semper hæc indicatio inuariabilis. Est morbus calidus, ideo indiget medicamento frigido. Reliqua omnia uariant, illud autem manet immutabile. Et ra tio est, quoniam substantia non suscipit magis, nec minus: & ideo quoniam forma morbi semper oppo- nitur formæ medicinæ, semper requirit formam contrariam, & semper hoc uerum est, Contraria sci

*psus,et dicitur morbus magnus.*Dat *unum documen tum hoc loco* Auicenna*, quòd contraria contrarijs curantur;modò si debemus remouere ægritudinem cum suo contrario, oportet quòd ista contrarietas sit tantæ uirtutis,quantæ est ipse morbus: unde si morbus per duos gradus recessit aut p duos gradus sit lapsus,oportet duos gradus cõtrarietatis adhibe re.*Neq; *hic est dubitandum,quomodo ab æquali in gradu fit actio;nam si secundum philosophiam* Ari- sto.*a proportione maioris inæqualitatis proueniat actio tantum,uidetur oriri dubitatio, secundum fun damentum* Auicen.Notate, *quòd non dicimus nunc, quod ubi duo gradus contrarij æquales componun- tur cum duobus æqualibus, quod alterum expellat reliquum,& destruat,sicuti supponit* Aristo. *tamen ita supponendo est uerum,quòd a proportione maio- ris inæqualitatis sequitur actio, & non aliter :* Sed *nos dicimus,quòd debet fieri contemperatio,siue tẽ- peramentum,quod neque sit frigidum, neque cali- dum.*Quia *si uellem inducere duos gradus calidita- tis,loco duorum graduum frigiditatis,male agerem, quia induceretur alia ægritudo.*Sed *ut fiat tempera mentum,non indigemus aliquo quod agat a propor- tione maioris inæqualitatis, quemadmodũ ex aqua calida & frigida fit temperamentum scilicet aqua tepida,& sic constat,quomodo ab æqualibus in gra du proueniat actio.*Moderni *considerantes hunc lo- cum,contra sentiunt,quia dicit* Auicenna, *quòd debe mus applicare contraria æqualia : & considerant,*

nunquid sit uerum, quòd contraria in gradu debeat applicari. Dicunt enim quòd communis usus practicandi hoc non obseruat: imò dicunt, si febris sit intensa, exhibebimus aquam, & inducemus frigidum in primo, uel syrupum acetosum simplicem, qui est frigidus in primo. Quid igitur dicendum? Dicunt moderni, medicamentum considerari dupliciter, uel formaliter, uel effectiuè. Formaliter, quando est medicina præcisè in eo gradu, in quo est ægritudo: ut si ægritudo esset in duobus gradibus caliditatis, medicina esse debet in duobus gradibus frigiditatis. Cōsideratur effectiuè, quando id quod nō est æquale in gradu intensiuè & formaliter, tamen effectiuè hoc potest facere pluribus uicibus & in magna quantitate, quia in maiori quanto stat maior uirtus. Ita soluunt moderni. Sed ista solutio nihil docet: bene uerū est, quòd quandoque debet fieri, sed quandoque est necessariū etiam exhibere æqualia gradu formaliter. Igitur oportet inuenire rationem, quando debemus hoc facere, & quando illud. Debemus igitur scire, quòd essentia morbi indicat contrarium: sed quātum quomodo, & ubi, nescitis, nisi alijs conditionibus obseruatis. Itaque contraria sunt applicanda: sed quomodo, quantum, utrum pluribus uicibus, uel unica, hoc indicat natura corporis, natura membri, situs membri, & annexa, regio, tempus anni: ista omnia debemus considerare: deinde debemus considerare quātitatem morbi. Vbi ista simul composueritis, scietis, quando debemus exhibere medicinā in gradu æquali

li formaliter, & quando effectiuè. uerbi gratia, sit iuuenis cal. & siccus, tempore æstatis, consuetus potare frigidam, incidat in ardentem, dico quòd si daremus syrupum de endiuia, interficeremus, quia debemus dare æqualia in gradu formaliter, cùm morbus non det inducias: Extremis enim morbis extrema remedia conueniunt. Igitur *in hoc casu exhibēda sunt frigidißima, & aqua frigidißima.* Sed *si habemus indicationes contrarias, si fuerit senex, frigidæ temperaturæ, non assuetus potioni aquæ frigidæ in hyeme, licet incidat in ardentem febrem, tamen non debemus exhibere æqualia in gradu formaliter: quia si exhiberemus frigidißima, interficeremus hominē: & tunc exhibemus aquam endiuiæ: & quod non potestis facere hodie, cras facietis.* Verùm *dicat quis, morbus non dat inducias.* Dico, *si consideramus quæ sunt consideranda, quando est maius nocumentū uel minus, quòd semper debemus eligere minus nocumentum: quia in corpore isto quamuis frigido, si uideretur quòd interiret, propter febrem, frigida exhiberētur.* Hoc *autem iudicium medicus docere non potest.* Ex *hoc habetis, quando debemus exhibere medicinā æqualē in gradu formaliter, & quando effectiuè.* No*tetis modo, quando docemus esse adhibenda æqualia in gradu, docemus unum, quod est impoßibile quòd sciatur, neque unquam aliquis sciet.* Dicit enim Ga*le. 3. Meth. si cognosceret gradus medicinarum, cognosceret quoque gradus temperamentorum, & tūc crederet se esse* Aesculapium*: sed qui magis attin-*

git ad scopū, maiori laude dignus est, et magis scit q̃ alij. Hoc itaque *indiget maxima prudentia, & tota uita. Vnde dicit* Gal. *in de plac.* Hipp. & Plat. *q, methodus uno anno acquiritur, operari autem secundū methodum maxima prudentia indiget, & tota uita.*

Prædicta supponentes, sciendum queadmodum in hac parte Auicenna proponit, quomodo sumēdæ sunt indicationes applicandi medicamenta a natura morbi. Diximus *autem, quomodo cōsideranda sit natura morbi quadrupliciter.* Vel *enim consideramus morbum secundum qualitatem ipsius, uel secundum magnitudinem lapsus a statu naturali. Secundo conside ratur morbus secundum quatuor tempora.* Tertio *secundum uelocitatem & tarditatem motus. Quarto secundum materiam proximam, quæ facit morbum, quando pendet a materia.* Ab *istis quatuor sumuntur indicationes applicandorum medicamentorum.* Egimus *de illis medicationibus, quæ sumūtur a quātitate morbi: nunc alia tria prosequemur. Sed primo supponemus, ut audiuistis, quòd ex quinque illis conditionibus, quid, quantum, quomodo, quando &c. Auicenna dum tractat de quantitate & tempore, simul de his duobus agit, et non facit diuersos paragraphos. Audiuistis etiam, quòd essentia medicamenti semper immutabilis est, & semper stat eadem, semperq; contrarium indicat: & quamuis aliquando impediamini ab exhibitione talis contrarij, non est tamen quòd morbus non indicet illud esse agendum, scilicet per contrarium.* Reliquæ *conditiones uariātur,*

tur,ut audiuiſtis.Audiuiſtis item,quomodo uarietur medicina ſecundum uarietatem temporum & hora rum.Debetis notare,quòd reliqui,qui interpretãtur hunc locum, deueniunt in tantam inſcitiam, quòd di cunt, quòd hic eſt inordinatus Auicenna, *& quòd probat per exempla,neque dat canones uniuerſales. ſignum manifeſtiſsimum,quòd non intellexerunt or dinem & artem mirabilem* Auicennæ. Dico *igitur, quod conſiderat quantitatem medicinæ penes tem= pora,penes motus & materiam.* Quantum *attinet ad eligenda medicamenta ex indicatione ſumpta a quantitate morbi,in quantitate, quando, quomodo, & ubi,audiuiſtis:modo hoc idem facit,ſumpta indi= catione a quatuor temporibus morbi.* Dictum *eſt enim quatuor hæc diuerſa tempora quatuor diuer= ſas indicationes habere.*Habemus *unam eſſentiam in morbo quæ nunquam uariatur,in quocũque tempo re:ut ſi ſit intemperies calida & ſicca,ſemper illi de betur ſanatio per ſuum contrarium:illud non uaria tur,ſed uariant gradus:quibus uariatis, cætera ua= riãtur.*Tempora *autem ſunt quatuor.* Principiũ *eſt, quando non apparent ſigna concoctionis in morbo.* Augmentum,*ubi incipiunt apparere.Status,ubi ma= nifeſtè apparet naturam concoxiſſe.*Ob *id & medi= cus uario modo ſe habet, ſicut & natura uariatur in concoctione.*Ideo *medicus non debet mouere cru= da.*Vnde *conſurgit indicatio quid agendum.* Datur *etiam quantum, quia in principio damus illa quæ concoquunt leuiter,ne materia cruda nimis confer=*

 tim

tim attenuetur, & in corpus distribuatur: sic enim posset præcipitari ad aliquod membrum, & facere abscessum. Auicenna *hoc uult docere, & docet per exemplum, & per hoc uult quòd reliqua intelligamus.* Dat *exempla, quando uariantur hæc in apostemate, & per apostema intelligit abscessum & tumorem præter naturam: & dicit,* Quando *tumor incipit, in principio utimur ijs quæ repercutiunt:* Quādo *uerò est in augmento, & magis prope statum, utimur contrario, resoluentibus scilicet.* Hic *debetis notare, quod stat semper uerum, quòd indicatio quæ sumitur ab essentia, semper est inuariabilis.* In *hoc exēplo apostema est morbus materialis, & omnis ægritudo a plenitudine curatur ab euacuatione.* In *apostemate est repletio, igitur indicatur ab essentia huius morbi, quòd debet euacuari.* Vbi *igitur est apostema, semper indicat euacuationem.* Sed *modi euacuationis, tēporis, loci &c. uariant penes tēpora morbi,* Igitur *debemus euacuare, non autem per ea, quæ euacuant a loco, quæ calefaciūt, quia præparabimus locum ad defluxum, & magis attrahemus, quā euacuabimus, igitur debemus repercutere, & ita euacuamus conuenienter, quia non permittimus materiam fluere ad locum, & confortatur etiam locus.* Quæ *enim repercutiunt, refrigerant, reprimunt, & corroborant.* Postea *quando tumor est in statu, quando materia iam defluxit, estis securi quòd non fluat amplius materia, tunc nō debemus repercutere, quia retrocederet illa materia iam corrupta, & facta ma-*

lignior

lignior, ad locum nobiliorem decumberet, sed potius debet euacuari cum his, quæ subtiliãt materiã, quæ faciunt illam diffluere per halitum, quæ rarefaciũt cutim, & præparant materiã, & inde fit illa difflatio per halitum. In *medio tempore, uidelicet in augmento, cùm augmentum particeps sit utriusque extremi, utemini & repercutiẽtibus, propter materiã quæ fluit, & digerentibus atque resoluentibus, propter materiam quæ iam fluxit*. Habemus mõ *exemplum in morbo uniuersali:* Exempli *gratia, in febre eadem omnino ratio est.* Si *febris in aliquo sit corpore, uel in suo principio, uel in augmento, uel in statu erit, si est in principio, humor faciens febrem est crudus.* Ista *febris habet materiam quæ putrescit, ideo curatur hæc febris, curando materiam, quæ immediate facit febrim.* Et *sicut febri conuenit refrigeratio et humectatio, ita febri pendenti a causa materiali debetur euacuatio.* Et *ideo quando est in principio febris, & humores sunt crudi, tunc expectanda est concoctio.* Itaque *in principio non euacuamus, sed concoquimus materiam, & præparamus, ut debeat euacuari suo tempore.* Euacuatio *semper intenditur, tamen euacuatio non nisi in materia concocta celebratur.* Sed *aliquis dicet: si fiat febris sine aliqua materia, quid agendum in principio, quid in statu?* Dico *quòd sunt eadem obseruanda.* Sit *uerbi gratia febris hectica, hæc in principio est mitior, quoniam colliquatur caro: quando uero humidum nuntrimentale incipit exiccari, est secunda species: quando autem*

tem incipit exiccari et consumi gluten solidæ partis, tunc exiccantur, & est tertia species, quæ incurabilis semper est. In principio ergo non utimur ea refrigeratione, qua in medio, & qua in fine. *Est igitur perpetuæ ueritatis, quod ubi sumimus indicationem a temporibus morbi, quod uariantur illæ quatour indicationes, scilicet quãtitas medicinæ, modus, locus, & tempus.* Et ita exerceatis uos, & nunquam errabitis. Et hoc est quod dicit Auicenna. EX tẽpore autem ægritudinis est, ut sciamus in quo suorum temporum sit ægritudo. Modo ponit tertiã indicationem, quæ sumitur a uelocitate uel tarditate motus morbi. Hic est notandum, quia isti moderni faciunt quæstiones uanas. Primo tamen debetis aduertere, quòd ponit Auicenna nomen æquiuocum; dum dicit, subtiliare regimen. Subtiliare regimen dicitur dupliciter: uel enim intelligit tenuem diætam scilicet parum dare de cibo, & est uictus tenuis quo ad substantiam, de hac subtiliatione diætæ hic non loquitur, quia in hoc eodem cap. de hac tractauit, hic aũt loquitur de alia attenuatione, et est ratio uictus attenuans, et ista nõ est parũ dare, uel multũ, nec cõsiderat substãtiã, sed modum substantiæ, quando scilicet cibus est tenuis, uel calidus, ratione quorum materia concoquitur & attenuatur. Et ideo regimen subtiliatiuum uel sumitur pro pauco cibo in substantia, uel pro pauco cibo tenui attenuãte humores. Audiuistis modo in principio huius cap. q̃ Auicenna excusauit se, quòd quando loquitur de cibis, loquitur de cibo-

ciborũ substantia: quando autem loquitur de cibis, prout sunt calidi frigidi, uel sicci, aut prout habent uim attenuandi, uel crassefaciendi, loquitur de illis ut de medicinis, nimirum secundum qualitatem, sicut in præsenti facit. His *stantibus, dicit* Auicen. *ꝙ ex uario motu ægritudinis. sumuntur indicationes uariandorum ciborum in subtiliatione, quæ prouocat urinam, & attenuat humores, & dicit, ꝙ debemus alio modo procedere, & alio, secundum diuersitatem temporis.* Et *primo quantum ad morbos acutos, dicit ꝙ utimur in principio temperatè subtiliantibus, sed circa statum magis studemus in subtiliatione.* Primo *sciendum ꝙ per morbos acutos intelligit, qui sunt uelocis motus, & simul magni sunt: unde ephemeræ licet citò terminentur, tamen non sunt morbi acuti, quia non sunt morbi magni.* Et *ideo morbi acuti uti plurimũ sunt cũ febre, imo semper.* Dicat *quis,* Apoplexia, & Epilepsia *nonne sunt morbi acuti, et tamen sunt sine febre?* Respond. *quòd isti morbi non sunt acuti, sed bene sui paroxysmi sunt acuti: paroxysmi autem sunt accidens:* Quare *morbus acutus semper est cum febre: & ob id apoplexia, est morbus chronicus.* In *morbis igitur acutis est febris pendens a materia, siue putrida.* Vbi *sunt isti morbi acuti, dicit* Auic. *quòd in principio debemus uti moderatè subtiliantibus, ne materia præcipitetur, & fiat abscessus in membro principali: quomodo bene dicit* Galen. *in principio ad* Glauc. *ubi dicit, ꝙ non debemus exhibere quod maxime subtiliat, in se transacta*

ſeptima: & hoc maxime obſeruant, & bene, iſti moderni. Igitur caueatis in principio, ne exhibeatis ea quæ ualde attenuant & ſubtiliant. Moderatè igitur ſubtiliandum & attenuandum. Circa ſtatum uerò prouocetis urinam: & inde eſt, quòd Galen. etiam in morbis acutis, imo in pleuritide, exhibet uinum album ſubtile, quod maxime attenuat, quod tamen non dabat circa principium, imo dicit q; in principio non debet dari, exiſtentibus humoribus crudis, quia precipitarentur ad membrum nobile, ſed circa ſtatum debemus uti ſubtiliantibus. Sed in morbis chronicis non curabimus in principio de ſubtiliatione, ſed circa ſtatum maturabimus, & moderatè ſubtiliabimus. Morbi chronici proueniunt a pituita, uel ab atra bile, qui ſunt humores craßi, & indigent maxima attenuatione: unde ſi circa principium attenuaremus, præcipitarentur adiuncturas: ſi circa ſtatum, etiam nimis attenuarẽtur, cùm ſemp ſit aliqua pars craſſa. Vnde in podagris nullo modo uinum eſt concedendum. Ideo dicit Auic. ubi morbus eſt chronicus non ſolùm in principio eſt moderatè ſubtiliandum, ſed etiam in ſtatu, & dicit, quòd morbi chronici, qui ſunt ſine febri, curãtur ſolùm diæta ſubtiliante. Pariter Gal. inde ſubtiliante uict. ratione, dicit, quòd hoc modo multæ ægritudinum chronicarum curantur attenuante diæta. ubi proponit utilitatem illius libri. Vnde quando curatis morbum chronicum, quæratis attenuare illam materiam, non tamen cum ualde attenuantibus: neque euacuetis pharmacis, quia

non

non poteſtis euacuare illam materiam craſſam,& debilitabitis uires & uentriculum, & ſic augebitur propter debilitatem uentriculi materia faciens morbum. Igitur debemus uti attenuantibus humores, qui attenuati difflantur per cutim, & tandē paulatim reſoluūtur, unde ſequitur remotio ægritudinū chronicarū. AEGRITVDO *quoque ſi multæ ebullientis materiæ fuerit, in principio eam uacuabimus, nō expectantes maturationem. Diximus quemadmodū indicationes applicandorum medicamentorum mutētur ſecundum qualitatem, ſecundum modum, tempus, locum, & naturam morbi, & primo a qualitate morbi, ſecundo a temporibus, tertio a motu morbi, & hæc uidimus. Supererat quartum noſcere, uidelicet indicationem quæ ſumitur a materia faciente morbum. Dicit igitur Auicen. quòd ubi materia faciens morbum intumuerit & ebullierit, quòd non debemus expectare ſigna maturationis materiæ: ſi autem materia fuerit quieta, non debemus euacuare ante concoctionem. Materia igitur quæ facit morbum, uel eſt in motu, uel quieſcit. Si eſt in motu, uel ita eſt in motu, ut non tendat ad determinatum locum, ſed turgeat, ut nemo poßit perſpicere, quo nam tendat talis materia, quum modo huc modo illuc uergat. Vel ita mouetur materia, ut tendat ad determinatum locum, ut quando materia deſtillat ad pectus, uel ad aliam partem determinatam. Oportet igitur primo conſiderare, an mouetur materia, & quomodo mouetur, uel an quieſcat. Si igitur mouetur, ſed non eſt furio-*

riosa, non est stulta, sed mouetur ad locum determinatum, quid debemus agere? debemus ne expectare maturationem materiæ, uel euacuare ante tempus, quando materia mouetur? Debet aduerti: quia peccat ista materia, ex quo deberet exire extra corpus, tamen figitur in corpus: ideo medicus nō modo quærit euacuationem, sed etiam repreßionem, & principaliter quærit auertere: sed quia ad auersionem sequitur euacuatio, ideo simul auertit & euacuat. Sed si materia modo huc fluit, modo illuc, ita quòd sit furiosa, non debemus dimittere illam materiam furiosam, non debemus accedere & dicitur a Græcis illa materia ὀργᾷν *nos non habemus nomen quod exprimat hoc uocabulum; sed dicimus uel turgere, uel q. materia est furiosa, et forte melius; furiosi enim ne sciunt consistere in uno loco, & ita facit ista materia. Quando igitur materia illa turget, ita est furiosa, ut non poßit in uno loco permanere, neque habet determinatum locum, ad quem debet fluere: ideo statim debet euacuari. Ista enim materia est calida, quia furiosa: unde homines furiosi sunt cholerici. Omnis materia igitur quæ furit calida est, non econtrà: & cùm sit calida materia, est etiam subtilis. Vnde habemus commoditates multas. Igitur debemus euacuare primo coacta, quia est magnum periculū. Secundo est etiam euacuanda, quoniam est satis dispofita ad hoc quòd euacuetur, quoniam est subtilis & separata a bonis humoribus, facitq; seditionem, et propterea ubi materia est furiosa, habet omnes con-*

di-

ditiones,quod debet euacuari, ne scilicet aliquod malum magnum accidat. Et hoc est quod dicit Auicen. sed si materia fuerit quieta, dat Auicenna documentum, quod est difficile: SI multæ euacuationis materiæ. Ratione multitudinis debemus euacuare, & etiam magis, cum ebullit.

Modo dicit, ET SI mediocris fuerit, maturabimus eam & postea uacuabimus. Illud quod dicit, Mediocris opponitur tota regione illi, quod est multum & ebulliens. Quando erit materia mediocris in quantitate & qualitate, non erit multa, neq; furiosa. tunc in principio non debemus euacuare, sed est expectanda maturatio talis materiæ. Ratio est, quoniam si non est multa, si non est etiam ebulliens, non habemus aliquam causam qua moueamur ad eã euacuandam, quia non est multa materia. Multitudinem autem intelligimus in respectu ad uirtutẽ. Quòd si sit tanta, ut eam uirtus tolerare non poßit, ubi adest materia, quæ multa est, imminet periculũ ne natura, non poßit illam concoquere: & ideo bonũ est, ut pars euacuetur, ut natura sit fortior supra residuum. Et ideo quando est mediocris in quali & in quanto, non debemus euacuare in principio, quia est mediocris, poteritq́; a natura superari. igitur non est aliquo pacto mouenda, nisi perfecte concocta. In hoc igitur casu minoranda non est materia. Ob id dicit Hipp. concocta medicari &c. Sed si materia non sit mediocris (est enim hic breuis Auicen.) neque in quantitate, neque in qualitate, sed sit in quantitate multa

multa,& non sit furiosa,in hoc casu cùm multa sit,natura non poterit superare tantam quantitatem,& ideo oportet ut minoretur,ut natura sit fortior supra residuum:quare minoratiua sunt facienda. Et est uanum aliter dicere. Sunt nonnulli Galenastri,qui profitentur se intelligere Gal. & nihil intelligunt cùm minoratiua secundum Gal. sententiam exasperentur. nam quod debēt fieri minoratiua,ubi materia multa est,rationi maxime consentaneum est. Quoniam ubi materia est multa,est uel heterogenea, uel homogenea. Si heterogenea,sunt aliquæ partes, quæ melius concoqui possunt,& facilius euacuãtur. Si est homogenea,in ambitu est corporis,quare melius concoquitur materia in uenis minoribus,ut in primis uenis, in mesaraicis & hepatis,quàm materia quæ est in uenis remotioribus. Vnde quid obstat,etiam si uolo seruare regulam illam,concocta medicari, quòd non minorem materiam? quia traham solutiuo pharmaco in parua dosi materiã quæ est in illis uenis maiorib. quia trahet a propinquo,& trahet illud quod est cõcoctum, quoniam est calor circa illas partes maior, igitur materiam illam magis concoquit. Pharmacũ autem in pauca quantitate trahit solum a propinquo,& quanto datur in maiori quantitate,tanto magis trahit a remotis: Igitur ubi materia est multa, debemus minorare. Quod apparet etiam ratione causæ finalis:quoniam natura facilius concoquit, quod residuum est,ubi non habebit tantam materiã, facilius illum superabit. Igitur minoratio apparet a

apud

pud Gal.& Hippoc.Videatis Gal.in eo Apho. Circa initia morborum,si quid uidetur mouendum moue, dicit Gal.infine cõmentarij,quòd ubi materia multa est,minoranda est,ut natura sit fortior supra residuum.Etiam 12.Meth.cap.12. ubi curat hominem 40.annor.patientem dolorem colicum,dicit quòd ex hibuerit hieram,non tamen in maxima dosi, sed in parua,ut paulatim euacuaret materiam, & natura esset fortior supra residuum,quia medici tres habẽt euacuationes, lenitionem alui,subductionem,& purgationem:& quando purgant,eradicant materiam: quando autem subducunt,trahunt partem ipsius materiæ:quando leniunt,lubricas reddunt uias,ut fæces expellantur.Igitur ex his uidemus, quòd dantur minoratiua,quando materia multa est, sed non ebullit. Debemus autem expectare concoctionem perfectam, quando materia mediocris est & in quantitate & in quali. Auicen.posuit extrema, & statuit medium, ideo obscurus fuit. COGNITIO autem rerum quæ sua significant conuenientia,est ad sciendum tibi facilis. Scitis quot indicationes sint applicandorum medicamentorum,& quantum, & quando, & quomodo,& locum,& hæc docuit Auicen.primo a natura corporis,secundo a natura morbi. Sunt modo ea quæ cõsequuntur consideranda,aër,tempus anni. regio,consuetudo. Oportet igitur uidere, an ista consentiant,nec ne:quia si consentiunt,tutius operari poterimus.Igitur circa hæc discurrere oportet,et ob id uidetis,quomodo medicus debet esse in perpe-

tuo

tuo discursu. Oportet igitur non modo habere natu ram corporis, & morbi, sed etiam attendere oportet conditiones externas, & præcipue aerem. Ob id be ne dicit Gal. in lib. Therap. quòd a tribus sumitur in dicatio, a natura morbi, a natura corporis, & ab aëre, & per aërem reliquas conditiones intelligebat. Semper sumus in aëre, & ex hoc spiritus nutriuntur. Aër igitur concurrit ad corpora nostra, tanq̃ efficiens sanitatis & ægritudinis, qui indicat & curat & conseruat omnia. Ex quo dicit Hippo. 3. Aphor. Mutationes aëris potissimum causant morbos, & suum oppositum sanitatem. Quod etiam indicet aër ægritudinem, hoc sciunt medici practicantes, qui dicunt, Aër iste calidus indicat talem ægritudinem, aër frigidus talem. Quòd etiam aër curet, Galen. 1. Meth. ostendit. Vnde in omnibus operationibus medico aër est necessarius; igitur eius dispositiones sunt considerandæ, quæ omnes conditiones quia sunt annexæ, ideo istas postposuit Auic. quomodo etiam Hippoc. in primo & secundo Aphor. tradit, quæ faciunt ad naturam morbi & corporis, in tertio autem & quarto de annexis. Est hic quærendum, cur cùm uirtus sit, quæ maxime indicat, & sine qua non possumus facere, tamen istam tacuit Auic. et dicit quòd aër est principalior? Aduertatis, quia hic Auicen. ostendit ingenium: nam ut dicit Galen. 8. Meth. & si sit uirtus principalis, tamen uirtus non dat indicationem curatiuam, sed sui custodiam: & ita custodia uirtutis non attinet ad curationem, siue ad opus curatiuum,

uum, sed artem tuendæ sanitatis: nam quotiescunque attendimus uirtuti, potius conseruamus, ideo cùm hic Auic. loquatur de curatione, quæ fit per contraria, non oportuit quòd diceret de uirtute, quæ similia requirit. Iam modo *omnia sunt facilia.* ET AER *quidem qui ex eorum existit summa, est dignior.* *Quando aër assimilatur morbo, est aër inimicus, & tenet se ex parte ægritudinis: quando autem aër est contrarius morbo, tenet se ex parte curantis.* Igitur *si aër erit pro nobis, illũ conseruabimus; si minus, illũ alterabimus.* ET *dicemus, ꝙ in ægritudinib. in quib. est timor, & non sumus securi ex defectu uirtutis, à forti medicamine primo incipere debemus.* Hactenus *explicauimus* Methodum *diuisionis, quam fecit* Aui *cen. circa applicationem medicamentorum, indicatione ab illis omnibus sumpta.* Sed *quia in applicatione istorum contingunt multa, quæ quidem cum contingant, oportet quòd in illis habeatur aliqua regula, quæ haberi potest; nam in his quæ sunt immutabilia, contingunt infinita, quæ uariant scientiam.* Vnde Auic. *cùm dederit regulas uniuersales, posuit pro his quæ sunt pro praxi regulas quasdam, ut faciant nos cautos, propter multa, quæ possunt contingere, & dicit,* (Et *dicemus.*) Hoc *nomine,* Dicemus, *utitur, quoniam unum aliud uult dicere.* Videte *quomodo copulat subsequentia cum præcedentibus.* Quoniam *dixit, ubi materia est multa, & ebulliens, ꝙ non est expectanda concoctio: sin fuerit mediocris, ꝙ est expectanda concoctio.* Dicit *modo, si uideris ꝙ sit timor*

in principio,ne homo moriatur ante statum, q; tunc est minoranda materia cum forti medicamento: si autem materia non est talis, quòd debemus uti in principio leuioribus. Modo *diceret aliquis:* Nonne *dixisti, quòd ubi materia ebullit, est euacuanda in principio,si autem est quieta,expectanda concoctio?* Modo *non idem dicit.* Notetis,*quod uniuersalius hic loquitur:quia si materia aliquid minatur mali,debemus attenuare materiam,& minorare;sin minus,est expectanda concoctio.* Ob *id dicit* Gal. *q; si erit catarrhus descendens ad pectus, non debemus incipere a leuioribus, nam si catarrhus est subtilis, statim intercipiemus,ne descendat ad pulmones.* Ob *id* Gal. *in 5.* Meth.*in primis diebus iubet ut fiant exiccatoria circa caput,secundo ut euacuetur cum illis pilulis cochijs sæpissime,bis in septimana,tertio q; frigida applicentur pectori,ne recipiat destillationes.omnia ista facit in 5.* Meth.*& dicit,quòd si inceperis à leuioribus,parabis interitum longum ægro.* Quando *igitur erit talis materia, non debemus incipere a leuioribus,sed a fortissimis: si modo non uidemus esse periculum,tunc a leuioribus est incipiendum.* Hoc *est quod dicit* Auic.*q; dicit* Hipp.In *acutis ualde eidem die medicari expedit hæc est regula uniuersalis,quòd semper inter duo mala eligemus quod est minus malum,quamuis sit malum incipere a fortiorib. ex* Aphorismo,*plurimum & repente euacuare & replere periculosum. quoniam omne nimium est naturæ inimicum.* Neque *enim natura facit saltum,sed*

procedit ordinatè. Sed quando non possumus aliter facere, tunc cogimur ita facere, & sumus in cura co acta. Sed si nihil obstat, semper a leuioribus incipiendum. PRAETER *hoc quoque tibi caue ne a rectitudine recedas &c.* Audiuistis quæ supra diximus. Hac altera parte Auicēna (propter aliqua quæ solent contingere in modo practicandi, in quibus nō est dare regulam uniuersalem) proponit quosdam Aphorismos, qui sunt additi ad complendam scientiā eorum quæ pertinent ad ipsa medicamenta. Proponit igitur primo talem Aphorismum: Quotiescunq; nos semel direxerimus scopum naturæ operantis coæcta ratione, & applicamus medicamenta, etiam si nō succedit quod intendimus, non debemus tamen recedere a proprio instituto, & est 52. Aphorismus 2. particulæ, Omnia secundum rationem facienti, etsi nō secundum rationem res illi succedat non tamen oportet desistere ab eo, quod secundum rationem a principio institutū est, estq; Aphorismus simplex. Auic. autem posuit Aphorismum magis distinctum. dicit enim in hoc Aph. Auic. Cùm semel a principio institueris aliquod dare medicamentum secundum rationem, & non succedit quod intendis, caue ne discedas ab instituto. Addit postea, caue etiam cùm a principio non cognoueris ægritudinem, & uideas esse institutum præter rationem, nec uideas sequi aliquod impedimentum, tamen recedas a tali instituto. qui est Aphorismus oppositus primo. Primum autē solum interpretantur expositores, non Secundum, &

tamen circa secundum est frequens error, quoniam uidemus medicos mutare remedia, ut copiosi remediorum uideantur, & sunt qui etsi uideant se male fecisse, tamen pertinaciter illud tueri uolunt. De hoc *igitur admonet* Auic. *Fundatus est* Aphorismus *super hac ratione, quòd medicus qui secundum rationem operatur, nunq̃ debet discedere, a ratione, neque se submittere* Empiricæ, *etiam si non succedat quod cupit, quoniam non potest tam cito succedere, quod intendis, quoniam quandoque est ideo rebellis materia, ut longo tempore indigeat ad hoc quòd concoquatur.* Declarat *autem* Gal. *iu eodem* Aphorismo, *q̃ facile quidem nos pronunciamus hanc sententiam, tamen maxima scientia indiget ille, qui debet hoc facere, & qui melius iudicat, melior est in rebus agendis.* Igitur *medicina indiget maximo iudicio, quod cum ratione esse debet.* Est *igitur tale documentum* Auic. *iamiam declaratum, Caue ne a rectitudine recedas, hoc est, Caue ne recedas ab eo quod à principio institutum est secundum rationem, etiam si non succedit quod intendis, & iam hoc declarauimus. Secunda pars est.* Quòd *si non recta ratione procedit medicus, & non sequitur impedimentum, non debet desistere a tali operatione.* Quòd *autem non sequitur impedimentum, est, quia fortitudo naturæ regulat illos errores, & ideo oportet immutare remedia, cautè tamen, & clam, quantum poßibile est, minimè enim hoc ægro manifestare licet.* Et *hoc est quod dicit in secunda part.* Aphoris. *primi Auicenna.*

ET

ET CVM *hoc secundum unam medicationem, non cum una tibi standum est medicina.* Quoniam *a-liquis uel propter imbecillitatē ingenij, uel propter imperitiam potuisset decipi ab hoc* Aphorismo, *ideo docet quomodo sit obseruandum, & dicit,* Quando *dico quòd non debetis recedere ab eo quod instituistis secundum rationem, non intelligit, in instituto, sed in medicatione, quæ medici est operatio, quæ ab his, quæ indicat secundum rationem, sumitur, talis uero est mutanda.* Debet *esse simplex medicatio, sicut & indicatio simplex est, hoc enim dat modum, unde nullo modo recedas. Stantibus his, quæ a principio uisa sunt. s. dummodo non mutentur indicationes nunquàm recedamus ab instituto in principio.* Ideo *dicit* Auic. *quòd medicatio non est mutanda. quemadmodum, uos scribitis, semper intenditis scribere, & scribitis, sed tamen mutatis pennam, quia cum prima non potestis scribere.* Ob *id dicit* Auicenna *nolo quòd mutemus medicationem, sed bene est mutanda medicina, quæ tamen idem operatur.* Exempli *gratia, si dabis syrupum acetosum simplicem, ut concoquas materiam biliosam, qui habet uim refrigerandi in primo gradu, non succedit tibi, fortasse quia illis uir est assuetus illi syrupo, uel abhorret ab eo.* Igitur *mutabis medicinam, non intentionem, & exhibebis syrupum de endiuia.* Sit *alius, cui debet euacuari bilis, habemus rhabarbarū, ille autem non potest ferre rhabar. igitur exhibebimus syr. rosat. sol. uel mannā, quæ eandem medicationis intentionem assequuntur,*

cum eisdem sint moribus & gradibus, tantum mutatur species medicinarum. Vt dicit Auicenna, & uidetur ille Aphorismus, Quæ longo tempore afficiunt, etiam si sunt multa, tamen propter consuetudinem longam non afficiunt. Igitur ad alia transire oportet, quæ non sint consueta, & ratio est, quam hic aßignat Auicenna, quando dicit, ET CVM *hoc secundum unam medicationem &c. hoc est, quamuis sit uerum quod ego dico iam, quòd non est standum cum una medicatione, præcipue si medicatio longa sit, quoniam non fit paßio ab eo quod est consuetum. Quod enim est consuetum, est familiare, & potius conseruat quam alterat, sicut habemus a Galeno de illa puella, quæ comedebat uenenum, quod sibi cibus erat, propter consuetudinem, rationem cuius sibi familiare factum fuit, adeo ut uenenum alimentum esset, & in sanguinem uerteret. Ob id etiam uidemus homines pingues, qui tamen comedunt carnes bubulas, & hoc propter consuetudinem. Nos autem quia sumus in medicatione, ideo familiaribus non indigemus, sed contrariis, imo quandoque in uno corpore, in uno tempore, una medicina alterat, & alio tempore minime, & hoc propter uarias dispositiones corporis, quia in alio tempore erit dispositio contraria, illi medicinæ, & tunc medicina alterabit, quandoque autem erit in eodem gradu, & hũc non alterabit, quia non est contraria, & ideo non sequitur actio ex parte medicinæ, sed potius actio ex parte corporis expellentis illam medicinam, & ideo di-*

dicit, quod in una medicatione non est mutanda medicatio, sed medicina, quæ habet easdem, qualitates, & in eodem gradu.

CVM AVTEM *ignoras quæ sit ægritudo, relinque eam naturæ, & non properes.* Modo dicit Auicenna *cum indicatio applicandorum medicamentorum sumatur a morbo, & morbus non cognoscatur, quid faciendum?* Dicit Auicenna, Tunc *subtilia regimen in cura* putridarum. Hic *autem dicit*, Non *opereris sed expecta.* Vnde *moderni dubitant, cum dixerit in prima quarti esse subtiliandum regimen, hic autem nihil esse faciendum.* Sciendum *quòd* Auicenna *hic loquitur de medicamento, non de alimento, & ideo sibi non contradicit.* Dicit *hic non esse dandam medicinam, neque negat quòd subtiliemus regimen, sed quod demus uictum tenuiorem.* Hoc *autem non dicit, quia loquitur de medicinis applicandis.* Quando *igitur morbus non cognoscitur, non est danda medicina: nam si non cognoscimus ægritudinẽ, non habemus indicationẽ curandi: si non habemus indicationẽ nõ habemus medicinam: quo igitur uis uti medicina?* Quarè *nihil est faciendum, sed bene subtiliandum regimen, quia tunc aut natura uincet morbum, aut manifestabit.* CVMQVE *ægritudo cum dolore fuerit coniuncta, aut causæ doloris aut à quo prouenit dolor, sicut est percußio aut casus, incipies sedare dolorem.* Iste *est alius casus, & admonet nos de alio impedimento in applicanda medicina.* Quòd *si dolor sit coniunctus cum ægritu*-

 dine,

dine,uel ut causa,uel ut accidens ægritudinis, semp est sedandus:& hoc non repetit bis. Nam etsi superius dicit, esse prius sedandum dolorem, in hoc eodem cap. ibi tamen locutus est in particulari, quando est facienda auersio: hic autem loquitur uniuersaliter. Sed aduertendum, quòd dolor si est accidens, non debemus illum curare, nisi habeat rationem causæ quomodo Galen. 12. Therap. docet. Est aliquis, qui patitur dolorem colicum: dolor est accidens ægritudinis, causa est materia illa impacta intestinorum tunicis. Si dolor habet rationem causæ, cura dolorem, si symptomatis cura morbum. Dolor quando est magnus, primo facit deliquium animi, prosternit uirtutem, secundo excitat febrem, tertio trahit nouam materiam ad locum & auget morbum. Videtis quomodo dolor habet rationem causæ tripliciter. Præterea facit etiam uigilias, sitim, prosternit appetitum. Quòd si dolor non habebit rationem causæ, tunc nō est maximus dolor, et tunc morbus curetur, quia curato morbo curatur & dolor. Quòd si dolor habet rationem causæ, sedetur: talis est dolor capitis, ex quo sequitur alienatio, & febris. Igitur primo est curandus dolor, quo curato, cessat febris. & hoc est quod Auicen. uult declarare: quod optimè declarauit ante illum Gale. 12. Meth. Quandoq; dolor coniungitur ægritudini hoc modo, propter aliquod extrinsecus aduemiens, quòd uidelicet est aliquis, qui percutit membrum, & confundit, Vnde sequitur dolor. Iam in hoc casu prius

est sedandus dolor, quia aliter semper trahet materiam ad locum contusum. Igitur *dolor est sedandus, etiam si accidens sit, dummodo habeat rationem causæ.* Quinetiam *quando habet rationem causæ absolutè, etiam si prouenit a causa extrinseca.* Quoniã *autem docuit esse sedandum dolorem, non contingit multos esse modos sedandi dolorem, sed duos præcipue: uel enim sedatur dolor propter necessitatem cura coacta, cùm sumus coacti inducere stuporem, ut membrum non sentiat: dolor enim est tristis sensatio & iste modus sedandi est pessimus, & debet fieri solùm in maxima necessitate. Ob id dicit* Auicen. Non *transcendas quale est papauer album, quod est domesticum, quoniam etiam utimur eo in cibis, et isti* Tri*dentini faciunt placẽtas ex puris seminib. papaueris, & ego comedi, sine aliquo nocumẽto, & nõ inducebatur aliquis somnus superfluus.* Quòd *si cogeris uti philonio, uel opio, quæ sunt uenena mortifera, (ut uidi accipientem philonium, qui semper dormiuit) ut monet* Gal. 12. Meth. *statim debemus occurrere uitio, quod impressum est membro ex opio, & corrigere cũ calidioribus.* Maximè *igitur caueatis ab opiatis, exhibebitis enim cum maximo periculo uitæ.* Quando *igitur est necessarium sedare dolorem cum stupefacientibus, habeatis regulam* Auicen. Quando *uero non est tanta necessitas, est alia uia.* Est *ergo facienda epicrasis; ut si excitetur dolor aliquis acutissimus erodens, qualis excitatur a materia calida soluente continuum, & quæ facit maximam alteratio-*

nem,unde sequitur maximus dolor & acutißimus, oportet prius quærere epicrasin, ut aliàs docui, & iterum repeto,ex 12.Ther.Epicrasis est contemperantia alicuius excessus,et præcipue excessus calidi, & fit uel per applicationem illius quod crassefacit, quod tutius est,uel illius quod infrigidat, hæc sunt quæ faciunt epicrasim: ut dicit Gal. 12.Meth.a quo Auicen.accepit.*Et ob id dico,quòd sine* Auicenna *et* Galeno *non potestis esse medici.*Notetis *igitur,quomodo Auicenna faciat epicrasim. Cum est uehementia caloris,utere ex eo quod uehementer incrasset, cum frumento cocto.* Non *intelligit frumentum coctum,quia peßimum est,sed intelligit aliam Auicenna & hoc est præceptum Galeni, quādo habemus dolorem magnum in membro propter uehementiā caloris,est facienda epicrasis cū alica,quæ dicitur far.*

SCIAS *Prætera quòd ex congruis medicationibus est iuuamentum ex eo quod uirtutes confortat animales & uitales. Si rectè memoria tenetis, in principio cap.posuerat tria Auicenna, uidelicet rationem uictus, secundo medicamentum, tertio opus chirurgicum.Circa partem diætæ audiuistis quomodo proposuit de regimine se nihil esse dicturum, nisi in substantia,prout nutrit humanum corpus; ideo cum meminerit de medicamentis, agit de ratione uictus,cibo excepto,& agit de tribus,de animi accidētibus,de aere,& motu quatenus alterāt corpus humanum.*Et *dicit,quòd animi accidentia plurimum conferunt,si debitè applicētur humano corpori, ad mor*

bos

bos remouendos. Circa quod debemus ſcire, ex Gale. in ſecundo de cauſis ſymptomatum ſ. quòd ipſa anima mouetur diuerſis motibus, de animæ autem ſubſtantia dicit ſe non audere aliquid dicere, ſed expreſſe patet, quòd uarijs motibus mouetur, in ſpiritu ſanguine, & calore. Et primo ſunt quidam affectus qui conſtringunt ſpiritus, quidam qui dilatant, et in hoc motus ſunt diuerſi, & non modo motus, ſed etiã termini quietis. tamen timore contrahuntur ſpiritus, contrahitur calor, ad cor ſenſim: aliquando tamẽ adeo impetuosè; ut homo deueniat ad ſuffocationem, ſicut ſolet ſuffocari calor externus, quando non euentatur. & iſte eſt unus affectus contrahens ſpiritus. Alius eſt affectus oppoſitus, gaudium ſcilicet, & animi lætitia, quæ ita dilatat ſpiritus, & repẽte, ut per nimiam delectationem ſpiritus digerãtur, diſsiliant, difflentur per halitum, & reſoluantur, & inde homines moriantur. Mœſtitia uerò comprimitur ſpiritus, ſed non ita repente, ut timor, ſed paulatim, & in tempore paulatim homo poteſt conſumi, non autem ſubitò mori. Lætitia uerò (intelligendo lætitiã pro alacritate animi) eſt motus oppoſitus triſtitiæ, in hac omnes operationes fiunt optimæ, quia calor paulatim dilatatur, ita ut non diſsiliat. Ira uerò eſt quidam animi affectus, qui eſt cum robore, unde qui habet iram, non eſt ſicut is qui timet, neque deſperat, ſed eſt cum robore animi: deuenit enim ſpiritus ad cor, quando in primo impetu timet honorem, & poſtea ſubito cum robore animi incipit cogitare de uindicta.

dictæ. Ideo spiritus quia neque permanet hîc neque ibi, ideo concitatur animus ad uarios motus. Ob id dicit Gale. quòd ex ira nemo moritur. Verecundia habet quandam similitudinem cum ira, sed non est ita intensa. In uerecundia est timor, quia quando primo uidet hominem reuerendum timet; sed quoniam hominem illum non odit, ideo tunc sperat, & spiritus dilatantur: Dicit modo Auicenna, quod sæpe cõfert ad uirtutes animales & uitales lætari, & intelligit de lætitia, in qua dilatantur spiritus, moderatè tamẽ per corpus, ex quo partes habent debitum calorem & spiritum. Vbi igitur spiritus & calor naturalis moderatè dilatatur, uirtutes illæ bene se habẽt, uelutì si quis esset mœstus, ita quòd extremæ partes essent frigidæ, propter spiritus concentratos, tunc debemus facere quòd iste sit in lætitia uel cum amicis, ostendendo illi quæ placent, ut lætetur. Plurimum igitur facit lætitia, quando spiritus sunt constricti. Etiam uerecundari plurimum confert: unde quando melãcholici immodestè loquũtur & operantur, præsentia hominis quem reuerentur sunt coercendi, quẽ uel quia timẽt uel quia sperãt aliquid ab illo boni cõsequi, reuerentur: uerecundia autem illa ualde componit animos, ut hîc dicit Auicen. EX *ijs præterea quæ huic modo medicationis sunt propinquæ, est mutatio de terra in terram.* Modò docet, quomodo mutatio aeris hoc idem poßit præstare. Et quandoque mutatio aeris tollit maximas ægritudines. Ideo in ægritudinibus chronicis bonum est ut aer

mutetur.

mutetur. ut Ex. g. si quis laboret catarrho, debet per mutari ad aerem siccum, sicut præcepit Gal. quinto Meth. qui ad Tabias dimittebat catarrho laborātes, & hoc est quod dicit hic Auicen. Et de formis ad formas &c. Quid per hoc uult dicere? Mutare situm membrorum, confert ad sanitatem, & hoc attinet ad motum & exercitium. Dum enim mutamus membrum de uno loco ad alium, consulimus cōplexioni, quia caliditas acquiritur: confert etiam quandoque compositioni, ut si aliquod membrum est tortum, dirigitur illud membrum ad partem oppositam & hoc fit præcipue quando homines sunt iuniores. Docet igitur Auicenna formas mutare, hoc est mutare situm membri de una parte ad aliam, & dat exemplum, & dicit. QVEMADMODVM puero lusco præcipitur. Notetis, quoniam isti nostri moderni non intelligunt. Dicunt quòd luscus est qui debiliter uidet, ideo oportet quòd intueatur scintillas ignis, quia sic calefit oculus, & trahit spiritus, & fit uisio. Et sic exponunt rem suo modo. Quia luscus est, qui non debiliter uidet, sed qui tortè uidet: imò si quis esset debilis uisus, dissolueretur ex scintillarum splendore spiritus. Et ideo nescio quomodo isti doctores magni delirent, & incidant in magnas nugas. Luscus igitur dicitur ille, qui obliquè intuetur. Et ideo præcipit Auicenna, q̃ debet intueri scintillas, & res quæ illi apparent. Primo intueri scintillas, quia scintillæ sunt illæ partes ignis uix perceptibiles, quæ statim resoluuntur, &

alie

aliæ statim succedunt, ideo uisus acriter intuetur, et intentè, & ideo rectificatur uisus: quare dum uolumus illas uidere & numerare, dirigimus uisionem.

AVT *rem, quæ ei apparet*. Per *hoc uult dicere* Auicenna, *multa sunt quæ uobis apparent, & tamen nescimus quid sint.* Ita *etiā hic debet luscus intueri quod apparet, ut certificetur ita esse quemadmodū sibi apparet, & tandem luscus persistat in loco fixe; & acriter, ut uideat an ita sit*. Deinde *ponit aliud exemplum, quòd ille qui habet torturam oris, spasmum cynicum, inspiciat speculum ex chalibe, in quo cùm uidebimus torturam ex una parte, dirigemus ad aliam partem. quare confert in mutatione de forma ad formam intueri speculum.* Et *dicit, quòd quandoque ex hoc inuiti sanantur, quia scilicet uident quæ nollent uidere, & tum redeunt ad speculum, ut meliorētur.* EX *regulis præterea quas obseruare debes, est fortes dimittere medicationes in temporibus fortibus.* Quoniā *loquebatur de ratione applicandorum medicamentorum, & quomodo uariet secundum anni tempora, nunc subiungit*. Aduertas, *quamuis habemus indicationem quòd debemus euacuare corpus, considera tamen in quo tempore hoc facis. nam in hyeme & in æstate non debemus applicare.* In *æstate est manifestum ex* Hippo. *in* Aphori. *in* Cane & *ante* Canem *medicari est periculosum.* Ratio *triplex ex* Galeno *ibidem aßignatur, primo, quoniam corpora sunt exiccata, & hoc idem medicina præstat, quare poßet inducere febrem, ubi non est febris.*

febris. Secũda ratio est, quoniam uires corporis sunt resolutæ, & medicina resoluit. Tertio, quoniam deducimus humorem in contrarium ipsi tempori: quia tempus trahit humorem ad circumferentiam, medicina ad centrum. propter quas rationes melius esset euacuare in hyeme. Et tamen dicit Auicenna hîc, q́ malum est, cùm tamen in hyeme corpus non sit exiccatum: Secundo omnia intrinseca sunt ualidißima. Tertio humores trahuntur ad centrũ suapte natura. Igitur in hyeme debemus euacuare per rationes oppositas & ita uidetur esse ratio contra Auicennam. Quod tamen non est affirmandum: nam Auicenna recte dicit sicut & Gale. in 3. apho. 12. Quare uidēdum quomodo hoc sit uerum. Debemus scire, q́ indicationes euacuandi corpus non tantum a corpore sumuntur, sed etiam a natura morbi. Modò si consideremus naturam corporis in æstate, debemus euacuare, ratione humorum, idq́; poßumus, quia sunt parati ad expulsionem. In hyeme est oppositum, ratione corporis possetis euacuare, at ratione humoris minime, quoniam humores tempore hyemis latitant, & natura non mouet, igitur neque medicus mouere debet: insuper ēt in tempore hyemis multiplicãtur humores crudi & pituitosi ut testatur in lib. de natura hum. ubi dubitabat Gal. quomodo hoc esse poßit cùm in hyeme uentres sint calidißimi & ideo fiunt optimæ concoctiones. rationem affert, quoniam quãuis uentriculus sit calidißimus, tamē frigiditas aeris penetrat per corpus ad uenas, & facit quòd hepar

generet humores crudos: ut ideo quãuis uentres sint calidißimi, tamen aer frigidißimus intrat præterea in hyeme plura comedimus. Vide͂tur igitur, *q̃uo in hyeme est peßimũ moderari, indicatione sũpta ab humoribus.* Et *uicißim, in æstate sumpta indicatione a corpore, malum est euacuare.* Eſt *modo etiam alius aphoriſ. quare dicit,* Debetis *ſubtiliare in hoc quando concurrunt duo contraria, quæ contrarias dant indicationes, ſicuti paralyſis & febris, illa indiget calefactione, hæc refrigerantibus: etiam in colica dolor accidens indiget frigidis, cauſa calidis.* Quare *ſunt indicationes contrariæ quandoque.* Ga. 11. Meth. *& tertio cap. xi. docet quid debemus facere, & præcipue unum proponit.* Debemus, *inquit, uidere quid magis urget & indicatio ſemper ſumetur ab eo quod magis urget: ut ſi habeamus colicam contrariam dolori, quoniam dolor habet rationem cauſæ, incipiatis a dolore, quia inducit ſyncopem.* Vel *ſecũdo ſumitur indicatio a cauſa ſine qua non; uerbi gratia in ulcere eſt ſolutio continui, adeſt ſordes, & cauitas: licet illa ſordicies & cauitas non urgeat magis, quàm ulcus, tamen illis attendimus, quia non poſſumus curare ulcus, niſi mundificauerimus, deinde cauitatẽ impleuerimus.* Et *ideo bene dicit* Auicenna, *quòd debemus ſubtiliare, quando habemus indicationes contrarias, & debemus incipere ab eo quod urget, uel ab eo ſine quo non poſſumus curare.*

AMPLIVS *ſcire debes, quòd non omnis repletio, neque omnis complexionis malitia ſuo medicatur*

tur contrario ex euacuatione. Quoniam erat una maxima, contraria contrarijs curari ut tollat sophisticas quasdam molestias, unico uerbo explicat, quod in 11. Meth. ab 11. usq; in finem declarat Galenus. Dicit Auicenna, quòd non semper contraria contrarijs curentur ex euacuatione & oppositione. Exemplo illustremus. Ut si est plenitudo in corpore a pituita, non semper tollitur cum aliquo euacuante pituitam; etsi sit complexio calida, non semper refrigeramus. Nam quandoque procedimus sola ratione uictus; & tunc si damus modicum cibum, euacuamus quoniam calor digerit pituitam, & sic procedimus per contrarium, sed latēter. Pariter quando temperies in corpore calida fuerit, præcipimus illi quietē; etsi enim quies nō est opposita calori, tamē ex quiete augetur frigiditas, quæ postea tollit caliditatem. Et sic uidetis quomodo contraria contrarijs curantur semper, sed modo manifeste, modo magis occulte. Quod si uultis apertius cognoscere, uideatis Galenum qui diffuse hoc declarat, ab xv. cap. usque in finem, quomodo scilicet semper contraria contrarijs curantur. & tunc quæstiones modernorum uanæ omnes uobis apparebunt.

Caput secundum de medicationibus ægritudinum malitia complexionis.

QVAE ex eis quidem sine materia existit complexio tantum permutatur. Quòd in tota

hac Fen debeatis semp præ oculis habere, est ut sciatis nil aliud facere Auicennam nisi ut doceat quomodo sint curandæ ægritudines. Hic est scopus, ad quē debetis dirigere intētionem uestram. Debetis igitur etiam scire illud, quod consequitur, nihil posse nos operari secundum rationem, nisi dirigamur ad aliquem scopum, qui pendet ex eo quod indicat nobis rectam actionem: indicatio autem sumitur a cognitione rei quam tractamus: Ideo Auicēna in primo cap. huius libri, cum doceret quomodo debeant applicari medicamenta, statim proposuit indicationes, quæ dirigerent nos, & sunt tres, sed una erat præcipua. Au diuistis etiam annexa quæ has indicationes circumscribebant. Ideo hactenus istæ indicationes fuerunt uniuersales. Sed cum indicatio sit illa, quæ dirigit actionem nostram, si indicatio est uniuersalis, actio ēt erit uniuersalis, & nihil habebimus particularis. Ideo tertio Meth. primo dicit Gale. quòd uniuersalis indicatio est nobis communis ēt cū brutis. uerbi gratia nascitur indicatio uniuersalis, quòd cum habemus aliquid præter naturam, quòd ad contrarium debemus recurrere: quemadmodum qui sunt calefacti, ad frigidam refugiunt. & propterea non est aliquid artificiosum cognoscere illas indicationes uniuersales. ideo oportet distinguere indicationes uniuersales. Nam medicina est quoddam insitum animalibus; sed distinguere indicationes singulas, solius est medici. Cùm igitur hactenus tradiderit indicationes uniuersales, quæ sumuntur a summo genere nihil ul

tra

tra scimus, nisi quòd debemus contraria contrariis applicare, quoniam uolumus reducere id, quod est præter naturam, ad id quod est secundum naturam. Ideo hoc uniuersali cognito & supposito, oportet ad magis particularia descendere. Quocirca non audiatis eos, qui docent mederi per intentiones: quinimo nisi habeatis indicationes, nunquam eritis medici. Itaque semper quæretis, quãdo aliquid cogitatis circa curationem, quid sit illud quod indicat ita & ita esse agendum. Ob id doctrina Mesuæ, quæ est per præcepta & per intentiones, etsi uerum dicat, tamen non est doctrina arte prædita, quoniam intentiones præsupponunt indicationes. Debetis igitur hæc supponere, et scire quòd intentiones non docent, sed tantum illis ducemini, sicut ducitur cæcus. Primo igitur oportet quòd habeamus unum quod indicet nobis quid sit agendum. His sic suppositis, cùm Auicenna tradiderit indicationes uniuersales, (quia illud quod indicabat erat uniuersale; natura scilicet corporis, & natura morbi) & quoniam audiuistis esse tria morborũ genera; intemperiem, malã compositionem & continui solutionem: hîc incepit a genere morbi, & cum eo deuenit ad species: quia hîc docetur ars, in uniuersali, quam in speciebus habebimus postea in alijs libris, ut exerceatis eam in particularibus. Cùm igitur hîc doceat artem, tradit genera morbi, primo autem incipit ab intemperatura, & descendit ad eas species, quæ non sunt specialißimæ, sed sunt in aliquo genere. Primo igitur incipit a complexione,

in uniuersum. Circa hoc quia Auicenna est obscurus & confusus, ideo oportet scire, quòd complexio potest in suo genere tripliciter considerari: uel prout generatur, uel prout dependet a suis causis, uel ut consideratur ratione sua formali: secundum tres istos modos docebit sumere indicationes curandi. Primo igitur modo considerata complexio, uel genita est, uel partim genita est, partim generatur, uel non incepit adhuc generari, est tamen proxima ut generetur. Accipiamus igitur temperaturam sequestratam a suis causis, & ponamus ipsam in terminis, ut melius intelligatur, uerbi gratia sit febris hectica, quæ seperetur ab omnibus suis causis, hectica enim & ephemera habent hoc proprium, quòd non dependent a causis. Ob id aliqui dicunt ex Galeno, quòd febris ephemera & hectica sunt morbi facti, tamen male intelligunt Galenum qui uolunt quòd hectica & ephemera non pendent a causa, ad differentiam putridarum, quæ pendent a causa. Vnde oportet dicere, quòd febris hectica est independens, non tamen tollitur, quin sit febris hectica fiens, ut uidebitis. Sit igitur quòd febris hectica uel est facta, uel fit, uel fieri debet. Quando itaque est iã facta, & quando deuenit ad suum terminum, postquam scilicet calor deuenit ad hoc quòd consumat glutem continens membra solida, tunc dicitur facta. Scitis enim quòd tria sunt humiditates: una quæ continuat membra, & dicitur Humidum radicale: alia nutrimentalis, quæ dicitur Ros, iam iam transitura

in substantiam nutribilis. Tertia *est in uenarum extremis capitibus. Quando igitur est febris, in qua sit calor cõsumens primam humiditatem est in principio, & tunc fit febris Quando est in humido nutrimentali, partim est facta, sed adhuc fit. Quando autem calor consumit gluten, tunc est penitus facta.*
Est alia febris hectica, quæ est futura: ut sit aliquis calidæ & siccæ temperaturæ, in æstate, & laboret ephemera uel tertiana, periculum est ne transeat in hecticam, hectica non est adhuc, tamen est proxima ut fiat. Modo *ex his tribus gradibus nascuntur tres indicationes curandi.* Nam *ipsi morbo facto propriè tribuitur curatio; quæ fit per suum contrariũ. Sed quando ægritudo partim fit, partim facta est, pro eo quod factum est semper debetur curatio per contraria: quantum uerò ad illud quod fit, debemus considerare an illa causa quæ facit, sit materialis, uel immaterialis. si est materialis, ut humor, nascitur indicatio per contrarium* ꝙ *debemus euacuare. si est res immaterialis, alterari debet.* Hectica *enim febris necessario est ab aliqua causa, tamen est immaterialis, nimirum calor in corpore feruens in ipsa temperatura, uel calor aeris uehementißimus, uel motiones animales exiccantes spiritus.* In *illo igitur, qui iam incidit in hecticam, id quod factum est, debet curari suo contrario.* Id *quod fit, habet suã causam, cuius curatio est causæ remotio, quicquid est immaterialis, quomodo remouebitur? eodem remedio, quo tollebatur morbus factus, quia causa est*

calor ille feruens, unde hic mutamus tantum nomẽ, non genus instrumentorum, quia præseruamus. Quãdo autem febris hectica est futura, idem facimus non mutantes indicationes: quia id quod indicat, non mutatur, ipsa nimirum caliditas & siccitas: ob id contraria requirit. Videmus igitur, quòd morbus in curatione quando pendet a causa materiali non mutat indicationes in genere medicinarum, sed mutat tantum genus operationum nostrarum; quoniã morbo facto debetur curatio, causæ autem præseruatio. Quando enim morbus est factus, solum curamus; quando uerò partim fit, partim factus est, miscemus præseruationem cum curatione. Quando autem est futurus morbus, solùm præseruamus. Considerando modo complexionem secundum suas causas, sciendum ex secunda Fen tria esse genera causarum, quarum prima procatarctica, nostris primitiua dicitur. Melius dicimus, causarum duplex eße genus, quoddam internum, quoddam externum. Externum, sunt causæ procatarcticæ. Internum sunt causæ antecedentes & coniunctæ, igitur sunt tres causæ. Primitiua, antecedens, & coniuncta. Antecedẽs est, quæ actu separatur a morbo. Coniuncta actu est cum morbo. Modo si causa est primitiua, nulla sumitur indicatio ab ea, quia sumeretur indicatio a re quæ non adest: sed solùm sumitur indicatio a causa quæ intrinsecus est, quæ uel est antecedens, uel coniuncta. Si est coniuncta, tum morbo ipsi absolute debetur curatio, secundum mentem Auicen. Nam hic alias esset dubitatio.

tatio. Exem.gra. est febris putrida, quæ dependet a putredine; causa igitur proxima & coniuncta faciens febrem, est causa materialis, nimirum humor putridus actu calefaciens membrum, ab qua sumitur indicatio curandi absolute; sicut a causa antecedente sumitur indicatio præseruandi absolute. Vt sit aliquis tertiana continua laborans, quæ dependet a bile, bilis duplex est, alia quæ actu facit febrẽ, alia quæ est factura febrem: quando tollitis materiã quæ actu facit febrem, tunc absolute curatis, secundum mentem Auicen. quando uero euacuamus bilem, quæ facit febrem utimur tantummodo præseruatione absolute. Quando igitur in febre ardente, ubi illa bilis actu putrescit, damus frigidam in magna copia, curamus absolute, quoniam extinguimus calorem facientem febrem: sed quando curamus per pharmacum bilem euacuans, præseruamus. Dat etiã exemplum in quartana: quãdo in principio paroxysmi datur theriaca uel gingiber cum maluatico, tunc curamus absolute intemperiem, tollendo causam proximam facientem morbum, quæ est humor iste melancholicus, quia theriaca calida tollit putredinem, & rectificat melancholiam (hoc enim est faciendum, ne decipiamini, apparentibus signis concoctionis.) Et ideo Gale. in lib. prognost. dicit, quòd medici curantes Eudemum quartanam patientem, non habentes methodum, in principio quartanæ, inconcocta materia, dabant theriacam cum Falerno uino, & statim ex una quartana factæ sunt duæ, deinde tres, & ob

id Eudemus transtulit se ad curationem Galeni, qui facta concoctione dedit theriacam, & curauit illas quartanas. hoc igitur est faciendum, quando materia est concocta, & hoc est curare. Quando autem curamus quartanam helleboro, tunc utimur præseruatione. Et hæc de complexione duobus modis considerata scilicet secundum generationem & causas. Nunc audiatis literam quæ difficillima est.

SED si cum materia fuerit, ipsa uacuabitur. Hoc est, si consideretur ægritudo cum sua causa materiali, debetur illi euacuatio. Nihil penitus suo loco dicit. Sed iam hæc sunt manifestata ex ijs quæ diximus.

CVM autem in aliqua ægritudine dubitaueris, an sit eius causa caliditas uel frigiditas, & si experiri uolueris, non experiare cum superfluo &c. Diximus supra quomodo quando temperatura curari debet secundum rectam rationem, oporteat habere rectas indicationes, easq; distinguere. Et ideo optime fecit Auic. cùm distinxerit tripliciter temperaturam, uidelicet penes generationem, secundo penes causam, tertio formaliter. De primis duobus uidimus. Reliquum est tertium uidere, prout scilicet temperatura est uel calida, uel sicca, frigida uel humida. Docet igitur Auicen. quomodo sumitur indicatio curandi, a complexione formaliter cõsiderata. Sed quoniam in actu operandi sæpe contingunt nonnulli errores, qui solent parere dubitationes, ideo illas dubitationes tollit, & dicit, cùm dubitamus, utrum reuera

ra illa ægritudo sit calida uel frigida, & uelis facere aliquod tentatiuum, caue ne tentes cum aliquo quod sit maximæ facultatis. Præterea cum uis experiri, caue ne te decipiat impreßio accidentalis. Circa hanc partem tria sunt consideranda. primum quomodo decipiamur, credentes ægritudinem esse calidam, cum sit frigida, uel econuerso. Secundo debemus declarare, quid est istud tentare modo superfluo uel non superfluo: deinde quid sit impreßio per accidens, & quæ dicit circa hæc. Primo igitur debetis scire, quod medici decipiuntur, nescientes an ægritudo sit frigida uel calida, et hoc propter accidentia. Docet Hippoc. primo de natura hum. quando est aliquis dolor pungitiuus in latere, & nescimus an sit a materia calida uel frigida, quia etiam potest fieri ex aliquo flatu incluso in illa membrana, potest insuper fieri per inflammationem, & apostemata calida, quoniam igitur dolor posset nos decipere, ut & plurimos decipit medicos, quia est res cognitu difficilis, ideo oportet quod prudentißimus medicus idipsum tentet. Quocirca docet nunc esse tentandum, insuper & modum tentandi, proponens quædam fomenta humida, quib. debemus uti, & tentare. Nam si fuerit apostema calidum, & exhibeamus fomentum calidum, exacerbabitur inflammatio: fomentum autem humidum non nocebit inflammationi, nec flatui. Quare utemur aliquo in extremis quod sit temperatum, quale est calidum & humidum in primo gradu, uel frigidum in primo, quod citò rem calefacit, respectu frigidi in

quarto gradu. Et *hoc fuit* Hipp.*præceptum, cùm in dolore lateris tentari iubet moderata, & fieri fomẽ ta ex aqua calida,& chamæmeli & maluæ decoctis.* Hoc idem Gal. 12. Meth.*docuit, ubi dicit, se curasse dolorẽ colicũ, dubitans an esset dolor colicus, a materia frig. ideo tentauit, & exhibuit tẽpata, ex quib. deinde certior factus exhibuit fortiora.* Vnde *apparet, quomodo poßit error & dubium tolli an morbus sit a materia calida uel frigida, & quomodo sit tentandum, cum tẽperatis scilicet: ex his enim reuelabitur ægritudo.* Idẽm *dicendum de humido & sicco, & eadem ratione, cum temperatis scilicet tentãdo, est procedendum.* Postea *dicit,* CAVE *etiam ne decipiaris in impreßione. Sciendum est* ꝙ *hoc tertiũ non se tenet ex parte ægritudinis, sed ex parte medicamenti, respectũ instrumenti, quoniam reuera contingit, ut ea quæ sunt calida, refrigerentur, quæ frigida, calefiant: sunt enim in medicamento partes diuersæ, ut cõmodo satis exẽplo de coriandro ostendit* Gal. *in de simpl. med. id enim resoluit scrophulas, cùm tamẽ sit frigidum in primo gradu, resoluere autem actus est caloris.* Ob *id dicit* Gal. *hoc esse, quia partes frigidas cum calidis habeat.* Quandoque *contingit id propter uerum accidens.* Exempli *gratia quando res calida applicatur corpori, facit euaporationem; faciẽdo euaporationem, dißipatur, & sic refrigeratur, dispersо hoc ipso calore.* Quandoque *econtra frigidũ calefacit: ut si tempore æstatis hominem calidum in frigidam demergamus, principio quidem refrigerabitur*

bitur,postea reuocato calore,qui intrò propter aquæ frigiditatẽ recesserat,uehementius feras rursum erũpit,& sic calefacit,ut quandoque accidit in febrib. malignis: si igitur frigidum calefacit,& calidum refrigerat,dicit Auicen.caue ne hoc te decipiat:quia si hoc uidebis,scias q, hoc est per accidens, non per se. Gal.4.& 3.simpl.hoc declarat,& ibi dat regulas, quibus hæc dignosci poßint.Itaque de his satis.

ET debetis scire quòd tempus. Quoniam ut inquit Celsus & Gal.medicus in omni operatione debet studere ut citò sanet,ut facile,ac tuto, ideo anteq̃ accedat ad ipsum actum calefaciendi aut refrigerandi,dat documentum,quo sciamus quænam hoc facilè,citò,& tutò faciant. Nam differentia est inter calidũ,frig.hum.& sicc.propterea documenta necessaria sunt,quæ dat Auicẽ.& ante eum Gal.7. Meth. 5.& 6.Habet enim ibidem Gal.q, citò tutò, & facilè æger uenit sanandus. Auicen.dimisit facilè, & nõ male,quia quæ citò fiunt,etiam facile fiunt,quia facile fit aliquid, propter fortitudinem agentis, & debilem resistentiam patientis:& hoc est agere citò. Vnde cùm uideret Auic. citò & facilè sit coincidere,tacuit facile,& dicit,q, tempus refrigerationis et calefactionis est æquale,sed non ita tutò refrigeramus,sicuti calefacimus,quia maior timor est in refrigerando,q̃ in calefaciendo. Circa hoc uidetur esse difficultas.Cùm scilicet dicit,q, sit tempus æquale infrigidandi & calefaciendi,cùm caliditas sit magis actiua,quàm frigiditas.Sed hoc iam supponamus, postea

stea declaraturi. SED *in infrigidando est plus timoris, quia caliditas est amica naturæ.* Non est *adeo tuta refrigeratio quàm calefactio; calor enim naturæ amicus & familiaris, frigiditas, morti simillima. Frigida enim sunt corpora mortuorum, calor autem uitalis calido & humido continetur & conseruatur. Ob id tutius est calefacere quam refrigerare.* IN *humectando quidem & exiccando est timor æqualis, sed humectandi tempus est longius.* Modò *agit de paßiuis, & dicit, quòd opposito modo se habent.* Nam *quantum attinet ad tempus, longè facilius exiccamus id quod est humectatum, quàm quod est exiccatum humectemus, siue substantialiter siue accidentaliter: nam loquimur nunc de corpore humano, non de luteo, quod debet humidum reddi.* In *corpore igitur sicco, pori stringuntur, & debilitantur: igitur si applicamus humida, calor non põt cõcoquere.* Nam *quia pori sunt adstricti, & humidum non potest penetrare, ideo est difficile humectare corpora senum, imo impoßibile, quando sunt exiccata penitus, quia tunc inueniremus modum conseruandi uitam in infinitum. Præterea ubi est corpus exiccatum, non potest amplius humectari, quia agens non agit ultra propriam naturam, ut contingit in hectica tertiæ speciei. Sed exiccare qđ humidũ est, est facile, quoniam humidum obedit, non resistit. Præterea humiditas exiccabitur a calore, qui calor est, et extremæ actiuitatis, ideo facit cito quod intendit.* Ob *id facilius exiccamus, q̃ humectamus. Quantum attinet*

net ad securitatem, æquali modo se habet: neque enim maius est periculum in exiccando, quàm in humectando. Sed hic est magna dubitatio: si enim siccũ humectari non potest, quomodo non est maius periculum in exiccando, quàm in humectando? Præterea quod est siccum, habet qualitatem, unã quæ ducit ad mortem: insuper quando curamus scyrrhos, semper cauemus ne exiccemus plusquam oportet, sed magis humectamus, quare melius restauratur error humectationis, quàm siccitatis. Igitur sciendum, ꝙ Gal. dicit æqualem esse securitatem, Auicen. uerò æqualem esse timorem. Pro quo notandum, quod exiccatio & humectatio primo considerantur quoad terminum, usque quo uolumus exiccare, uerbi gratia, ad talem uel talem gradum: & tunc dico, quòd quũ poßimus magis errare in termino exiccationis, ideo plus debemus deficere in termino exiccationis, q̃ humectationis. Sed si considerentur exiccatio & humectatio quoad actum operãdi, in nullo sequitur uitiũ. Et si bene notetis, Gal. dicit, quòd minus nocumentũ est in refrigeratione, q̃ in calefactione, quoniam potest frigiditas inducere maius nocumentum, q̃ caliditas, & sic non considerat terminum, sed actum operandi, & dicit, si erit uentriculus alicuius, qui non sit solitus bibere frigidam, & bibat, statim primo occursu maxime patitur. Hinc apparet, quomodo loquitur de applicatione frigidi, non autem de termino, & dicit, quòd est maius nocumentum in applicatione rei frigidæ, q̃ calidæ, ut si accidat febris ex calidi-

liditate, frigiditas poßit statim extinguere. At in applicatione humidi & sicci non sequitur maior error in uno, quàm in alio, quia non sunt qualitates tātæ actiuitatis, ut inferant nocumentum. Ob id dicit Gal. est æqualis securitas, & melius dicit, quàm Auicen. qui dicit quòd est æqualis timor, bene in termino exiccationis est maior timor, quàm in termino humectationis, sed in primo occursu est æqualis securitas. Modò declarandum restat, an æquale sit tēpus refrigerationis & calefactionis. Moderni hanc quæstionem medicamentis implicant, sed paucis uerbis expediam. Est argumentum tale, Longe citius calefit refrigeratum, quàm calidum frigefiat: actus calefaciendi & actus frigefaciendi sunt fortiores & debiliores propter ualiditatem, & debilitatem agentis in passum Hoc stante, arguo, Quando calefit refrigeratū est fortior uirtus ex parte agentis, & minor resistētia ex parte paßi, quàm quando calidum frigefit: ergo citius calefit refrigeratum. Probatur antececedens, quòd scilicet ex parte agentis sit maior uirtus, quàm in frigiditate: quoniam caliditas est summa inter omnia actiua; omnes philosophi id concedunt et omnes id fatentur. Quòd sit minor resistentia ex parte paßi probatur: nam illud quod est refrigeratum, (loquimur de corpore uiuente) semper habet de caliditate, & ita ex parte paßi non erit tanta resistentia, quia in Symbolum habentibus est facilior trāsitus: ideo non uidetur esse comparandum tempus calefactionis & refrigerationis. Dicimus adbuc cum

Gal.

Gal.& Auic.quòd æquale eſt tempus refrigerationis & calefactionis, & intelligimus de æqualitate temporis,quæ conſideratur à medico: nam medicus limitat omnes gradus ægritudinis & omnes ſuas actiones penes ipſum ſenſum.Supponimus igitur iſtã æqualitatem eſſe temporis,non obſtante illa ratione. Quo ad argumentum primo de ſuppoſito, concedo, quia eſt Ariſt.& Auic.& Gal.quòd uelocitas actionis debet attendi ex parte uirtutis agentis, & reſiſtentiæ debilis paſſi. Quando pariter dicis, quòd in corpore uiuente frigido eſt maior uis ex parte calidi agentis:concedo.Ad ſecundam partem,quando dicis,ex parte paſſi minor eſt reſiſtẽtia, hoc negatur, quoniam cum dicis,ex parte paſſi eſſe minimam reſiſtentiam,conſiderasne paſſum formaliter,ut ſic conſideremus formam facultatum? nam ſi hoc modo conſideras,dico quòd corpus refrigeratum ſeu frigidum facit omnes actiones debiles. Quanto igitur calor membri eſt debilior,tanto minus adiuuat medicamentum ut operetur:quanto autem eſt maior calor,tanto magis adiuuat medicamentum ad hoc ut agat.Ob id dico,quòd ſi applicetur medicamentum potentia calidum,oportet quòd prius actuetur. Recentiores autem iſti confundunt calidum actum cum eo quod eſt tale potentia. Medicamentum igitur potentia calidum non poteſt calefacere, niſi deducatur ad actum:debiliter autem deducitur ad actum in corpore frigido,quia in eo calor eſt debilis.Quantum attinet ad conſiderationem ſubſtantiæ formaliter,cum

fri-

frigidum corpus habeat debilem calorem, ideo medicamentum calidum tardius reducitur ad actum; at si corpori calido applicetur medicina frigida, quæ & si sit minus actiua, tamen cum inueniat ex parte paßi calorem fortem, deducitur citò ad actum. Et sic non est uerum, quòd sit ex paſſo frigido maior resistentia. Ob id dicit Gal. quòd ubi daretur opium corpori calido, facilius illum interficeret, q̃ si daretur corpori frigido, non alia de causa, nisi quia corpus calidum citò deducit opium ad actum, & habet uias latas, ut statim opium poßit deuenire ad cor, & ita interficere. At in corpore frigido secus est. Ob id isti, quando componunt philonium, miscent multa calida, ut longe plura sint calida, quæ citò deducant ad actum, reliqua frigida. Si igitur consideremus corpus uel membrum ex parte formæ, non est minor resistentia in paſſo frigido: si autem cõsideretis membrũ ex parte materiæ, dico quòd est maior resistentia in membro frigido, quia illa materia est densa & constipata, adest maxima cruditas, & ita tardè penetrat ipse calor. Ideo non est uerum, quòd sit maior resistẽtia ex parte paßi. Quando obijcitis paſſum frigidũ, quod habet caliditatem, dico quòd illa caliditas etiã se tenet ex parte fomæ, & est debilis, & tardè deducit ad actum medicamentum, & ideo illud facit contra te. Igitur ex his uidemus, quomodo est æquale tempus refrigerationis & calefactionis, & licet maior actiuitas sit ex parte agentis calidi, est tamen minor resistentia ex parte paßi frigidi, propter rationes

tiones iam adductas, quas audiuistis.

VNAQVAEQVE *praeterea humiditas & siccitas conseruatur propter suarum causarum cõfortationem.* Traditurus Auic. medicationes, quae secundum rationem sumitur ab ipsis temporibus praeter naturam existentibus. Audiuistis queadmodum proposuerat duo documenta, quorum alterum erat, quando occurrimus alicui intemperiei cum suo contrario quòd debeamus cauere, ne redundemus in superfluis, et praecipue quando non satis nobis constat de aegritudine. Docuit praeterea, quando cognoscitur id quod aliquid facit per se, quando per accidens. Nunc uero deuenit ad rem, quam principaliter intendebat, uidelicet quomodo debemus occurrere temperiei cũ suis contrarijs. Et quoniam in principio capitis proposuit intẽperaturas quae sunt factae, nec habent aliquã causam materialem, à qua dependeant, ut contingit in hectica, ideo incepit ab illa intemperie facta, in qua propria est curatio. Incipiens a qualitatibus passiuis, dicit quòd ubi est corpus uel humefactum uel exiccatum, ita quòd actu aegrotet, debemus occurrere suo contrario, quoniam similia similibus conseruantur, & contraria contrarijs tollantur. Haec est propositio illa uulgatissima apud medicos, ideo non oportet in ista immorari. si igitur nos uolumus tollere humectationem in corpore, tollimus cum suo contrario, & conseruamus suo simili. Sed quae sunt ista contraria quae humectant & exiccant? Auic. in secũda primi, doctrina secunda, summa secunda, hoc

docet, & Gal. 2. de causis morbor. à principio libri usque ad medium docet causas calefacientes, refrigerantes, humectantes, & exiccantes: & ideò non oportet omnia hic dicere, sed oportet dicere secundã primi, quæ correspondet libris de causis morborum & symptomatum. Hic tamen duo tantùm uerba dicemus, ut sciatis hæc in genere. Ea ergo quæ humectare debent, per se debent appropinquare rebus humectantibus: ut aëri humido, et balneæ aquæ temperatæ, comedere cibos humectantes. Humectant autem postea per accidens otium multum, tum corporis tũ animi, sicut opposita horum exiccant, ut balneare in aquis thermarum exiccantibus motum corporis & animi. Sed circa hæc non est insistendum. ET CALIDITAS quidem fit fortior causis quarum iam expleuimus sermonem. Hic erit aduertendum, nam quod dicit de paßiuis, idem dicit de actiuis. Calefit, quod appropinquat calefacientibus causis, ut aëri calido. Sed Auic. præter illa quæ docet in secunda primi, dicit hic quædam quæ sunt notanda. Pro quo sciendum, quòd Auic. hic confundit caliditatem præter naturam, quæ est ignea destruens, & caliditatem naturalem, quæ correspondet elemento stellarum ut dicit Arist. secundo de generatione animalium. Cùm igitur hæc confundat, ideo debetis notare circa hoc, quòd calor naturalis non augetur propter constipationem pororum & uenarum, & propter putredinẽ, imò debilis redditur, & augetur calor præter naturam, sicut econtra, mundificare corpus auget calorẽ

natura-

naturalem, & diminuit calorem præter naturam. *Ob id optime Arist. quarto Metheor. dicit, quòd ea quæ igniunt præter naturam, & putrescũt, in ijs calor naturalis diminuitur, & augetur præter naturalis.* DEINDE *per mundificantia. Hoc non est augere calorem absolute, sed calorem innatum, non eum qui est præter naturam: cõstipatio autem meatuũ auget calorem igneum non naturalem, & ideo non oportet confundere istos calores.* DEINDE *ex eo qđ ipsam conseruat, & est humiditas naturalis. Humiditas propria, quæ est obiectum caloris, auget calorem, non igneum, sed naturalem: humiditas enim est efficacißima ad cõtemperandum calorem igneum, et conseruandum calorem naturalem. Ob id dicit, propria humiditas, quia intelligit humiditatem temperatam, non excedentem. Mundificatio, igitur corporis & humiditas conseruant calorem naturalem.* FRIGIDITAS *uero fit fortior ex eo, quod ipsius confortat causas. Adfert modo alias causas, quæ diminuunt calorem: & dicit, quòd frigiditas fit fortis uel per causas, quas dixit in secunda primi, uel fit fortior per quædam alia, ut per resolutionem natiui caloris, aut per eiusdem extinctionem. Suffocatur autem calor & resoluitur cum his, quæ prohibent euẽtationem, quæ coarctat in altum istum calorem, ut non poßit habere illos motus oppositos, alterum a cẽtro ad circumferentiam, alterum a circumferentia ad centrum ut aliàs declarauimus. Quotiescunque igitur calor innatus suffocatur, ut isti duo motus*

prohibentur, perit animal. Resoluitur autem calor naturalis dupliciter uel per accidẽs a calore maiori qui trahit ad se minorem calorem, & illum attractũ resoluit, sicuti maior flamma obruit minorem. Vel per se, quando consumitur humidum radicale, in quo fundatur calor naturalis, & tunc habet causam intrinsecam suæ resolutionis. Hoc est quod dicit Auic. QVI *autem caliditatis superfluitatem cum oppilationibus medicatur, caueat a nimia infrigidatione.* Nunc modo postq̃ docuit, contraria contrarijs intemperaturis esse adhibenda, calida scilicet frigidis, frigida calidis &c. dat alia documenta, & primum. Quãdo contingit ut sit caliditas superflua simul cum oppilatione (sicut contingit in ipsis febribus ex oppilatione,) & uolueris aperire obstructionem, & extinguere calorem igneum, caue ne nimis infrigides, & ne nimis calefacias. Magis autem caueatis, ne nimiũ refrigeretis, imo dat documentum, quòd hoc casu potius accedendum sit ad calida. Statim dicet hic aliquis, Tu dicis, quòd debeo cauere ab his quæ nimium infrigidant, in apertione obstructionis calidæ: sed uidetur hoc esse superfluum, quoniam nimia frigiditas potius facit constrictionem, non autem aperit, caliditas autem aperit. suntne fugienda, quæ aperiunt? sunt. Sciendum autem, aperientia esse duplicia, uel calida, uel frigida, illa calidis, hæc frigidis oppilationib. prosunt, frigida autem aperiẽtia sunt uerbi gratia semen cucurbitæ, & denique semina illa magna, ut anguriæ, & similia, quæ licet sint admodum frigi-

da,

da, tamen ualde prouocant urinam, & aperiunt stre nuè, ob id dat frigida, & intensè frigida: fit autem apertio propter partium subtilitatem, non propter frigiditatem. Ob id dicit Auicē.q. *debemus cauere a maxime refrigerantibus, quoniam materiam indurabimus, & augebimus humores pituitosos & quo magis augebitur materia, eo magis intumescit, quia frigiditas illa materiam exprimit , & facit duram. Quamuis igitur sit oppilatio cum caliditate ignea, quæ indicat, esse refrigerandum, tamen istæ indicationes decipiunt: quia oportet inuenire non tantùm essentiam medicamenti, sed etiam quantitatem, & modum agendi.* In *hoc casu modo, ubi habemus obstructiones, & materiam quæ obstruit, dum obstruit est materia crassa (nam quia permanet, necessariò arguit esse crassam,) sed si est materia crassa, & exhibebimus frigida quæ aperiunt, primo augetis crassitudinē, quia illa non habēt uim incidendi, igitur cùm penetrent ratione subtilium partium sua frigiditate magis condensabunt illam materiam, & faciēt lapidem.* Præterea *non poterit penetrare, quare facile hæc alterantur, & ideo facile putrescunt, ideo augebunt putredinem, & calorem præter naturam. Secundo refrigerabunt illum locum, & exprimendo humiditatem faciet materiam illam ueluti lapidem, & hoc est quod in litera dicit* Auicenna, IMO *paulatim primo medicari debet cum eo quod abstergit. Sed si uis remouere caliditatem illam cum oppilatione.* Et *hic loquitur contra* Rasim, *etsi illum non di-*

gnetur nominare. Dicit *in hoc casu oportet abſterge re,cum his quæ ſunt temperata ,ſicut aqua hordei.* Diximus *enim quòd hordeum mediocriter abſtergit & refrigerat,ſicut etiam ſyrupus de endiuia, & de ſucco ſcariolæ.Caueatis ab* Aui.*a* Serapione,Raſi,& *omnibus* Arabibus *in materia ſimplicium.* Scariolæ *ſpecies eſt endiuiæ,*Græcis *eſt* σέρις *nomen commune ad omnia cichoracea.*Seris *enim alia* Syluestris, *alia domeſtica.*Syluestris *cichorium domeſticum,endiuiã appellamus.*Cuius *duæ ſpecies ſunt:altera latioribus folijs,quæ dulcior eſt,& lactucæ ſimilis: altera anguſtioribus,& magis amara.* Et *hoc uolui dicere, propter iſtos* Arabes,*qui omnia confundunt,& commiſcent ea quæ a cichorio ſeparantur toto genere.* Itaque *ſuccus ſcariolæ eſt ſuccus endiuiæ, quo utimur,ad faciendam apertionem,quia ratione amaritudinis abſtergit, ratione partium aquoſarum refrigerat;& ideo maxime facit in iſtis febribus:ex oppilatione.*Ob *id iſta debent eſſe frigida in primo gradu.*Quod *ſi iſta non ſufficiant, exhibebimus calida in principio ut radices apij,& abſinthium, quoniam longe maior erit utilitas in eo calore ut aperiat oppilationes,quàm nocumentum ratione intemperiei calidæ,ſcilicet febris.* Apertionem *autem uocat* Auicen.*diaphoreſim,quoniam apertio oppilationum diminuit calorem igneum per accidens, quoniã ex apertione calor ille igneus difflatur.* EST *etiam cum acutorum morborum digeſtio extinguendi ſuperfluitatem prohibet.* Pro *intelligentia præſentis*

lectionis ot præcedentiū,oportet breuibus discursum facere,& præcipue quia isti moderni sunt maxime intricati:sed illorum ineptias iam dimittamus. Debetis igitur scire,et rememorare,quomodo Aui.proposuerat malam temperaturam esse remouendam, & tres quidē intemperaturas inprincipio cap.proposuit, scilicet quòd quædā quæ debet curari est facta,quædam fit,quædam dependet à causa materiali, quædā non dependet a causa materiali:& hæc curari debēt secundum propriam naturam.Curatur igitur intemperies iam facta curatione absoluta cum suo contrario:quæ autem fit,curatur quidem suo contrario,sed ista est præseruatio. His propositis docuit postea Auic.quomodo sit tollenda intemperies facta,& quæ fit,& dependens,& non dependens.Postq̄ ista docuit quoniam in ipsa actione possunt multi contingere errores,ideo Auic.nos monere uoluit de his erroribus & primum de ijs,qui occurrunt in intemperie quæ pendet a materia,deinde de ijs, qui cōtingunt in tollenda intemperie sine materia. Circa primum autem proposuit duos errores,et tollit illos errores,quoniā est maius nocumentum infrigidare, quàm calefacere,& dicit,quòd calefit corpus ex obstructionibus, ex qua sequitur putredo & calor præter naturam, & hoc præstāt applicatiōes,q̄ inducūt calorē præter naturā in corpus pēdētē a materia. Alius error est, quando quis redundat plurimis humoribus acribus, uel uno tantum,& præcipue si putruerunt isti humores,his duobus modis inducitur calor in corpore

humano præter naturã, qui depẽdet à materia. In fi*ne præcedentis lectionis audiuistis, quomodo* Auic. *docuerit esse cauendum à forti refrigeratione, & à forti calefactione quando est calor ex oppilatione, modo dat modum, quomodo euitemus errores, quando scilicet in corpore sunt humores acres redundantes.* Et *dicit, quòd hic quoq; debemus cauere à refrigeratione superflua, in hoc casu est causa calida, humores illi acres, est & febris ardẽs, igitur non debemus adeo timere refrigerationẽ, sicut timebamus quando erat caliditas ex oppilatione, ubi.n. sunt humores acres, et intempies frigida, quid prohibet refrigerare? quia hoc non nocet causæ, humoribus scilicet acribus, neq; ipsi affectui.s. febri.* Ideo *dicit* Auic. Etiam *si hoc sit,* Caue *tamen à superflua refrigeratione:* Nec *aspicias proteruos, qui uolunt esse maximæ refrigerandum.* Proteruos *autem uoluit nominare, propter modestiam, quia intelligit* Rasim; *qui uoluit esse refrigerandum cum summa refrigeratione, cum succo.s. anguriæ.* Igitur Caue, *inquit* Auic. *ne hoc facias, quoniam sæpe deduces hominem in contrarium habitum & pessimum, qui postea fiet incurabilis.* Et *ob id dicebat* Gale. *q̃ in ephemeris bibentes aquam frigidam deueniũt ad paralysim; & in morbos insanabiles.* Ob *id docet,* Caute *in refrigerantibus esse procedendum.* Non *credendum tamen, q̃ quia ubi sunt humores acres, & febris ardens, non uelit esse adhibendam frigidam refrigeratam niue, quia ipse tali aqua curat; sed*

consi-

cōſiderat quaſcunque indicationes, quæ ſumuntur à corpore, à conſuetudine, anni tempore, quæ ſi contra indicabunt, frigida non erit adhibenda. Quòd *ſi fuerit febris ardens ab humoribus acribus, & ſit uentriculus debilis, anni tempus frigidum non debemus exhibere frigidā. Sed ſi non obſtant indicationes, poſſumus.* Ea *propter in* Aegypto *omnes curantur potu frigidæ, quod in alijs climatibus tutò fieri nō poſſet.* Igitur *debemus ſumere indicationes non tantū à morbo, ſed omnia etiam adiuncta conſideranda ſunt.* Indicatio *ſumitur à natura morbi, ſumamus etiā à natura corporis, & à uirtute, et à circunſtantijs, ac ſic non errabimus.* Et hoc *eſt quod dicebat* Auice. *q, ſcilicet etiam ſi ſint humores et febris ardens, tamē ſtatim non debemus deuenire ad frigidam, niſi omnibus conſideratis. Sciendum præterea; aliud eſſe cōcoquere, aliud præparare.* Concoctio *ſemper fit a calore naturali, & medicus ſemper concoquit cum moderatè calidis. quod etiam obſeruāt chirurgi, quoniā ſciūt q, moderate calida concoquunt. Sed præparare aliud eſt: ut cum materia in uenis eſt craſſa attenuatur, ut poßit expelli, & quandoque etiam diſſlari.* Igitur *præparamus cum contrarijs, ſi humor fuerit acris, cum incraſſantibus ſi calidus cum frigidis.* Bene *uerum eſt, q, quandoq; coincidunt præparatio et cōcoctio.* Igitur *præparamus materiā cū modice calidis & temperatis.* Hic *autem intelligit* Auic. *concoctionēpro præparatiōe.* Dicit *igitur, quòd eſt timēda exhibitio frigidæ, præcipue in quibus non eſt ſan*

guis, & uirtus. quia fortis refrigeratio extinguit uirtutem etiam insanis; quod cum esse poßit in corporibus sanis, quid igitur erit in corporibus ægris? Dicit igitur Auic. si corpus est calidum temperatū, poßumus exhibere frigidam: sed si corpora debilia fuerint, præsertim propter ægritudinē nullo pacto est infrigidandum. Diceret aliquis: Gal. dat in hectica frigidam. Imo dicit Gal. bene scio, quòd cū do frigidam seni priuo illum omni calore, tamen minus malum est hoc facere, quàm permittere hominē statim mori. Et ob id dicit Auic. hoc esse faciendum in casibus nonnullis, & hoc conuenit solum in uno casu. In quo autem casu, nunc audistis in quo scilicet, licet maxime refrigerare, & reducere hominem ad habitum contrarium scilicet ad intemperiem frigidam. Postquàm autem Auic. tradidit errores, qui possunt contingere in refrigerando hominem calefactū, ratione materiæ, nunc modo docet errores, à quibus caueatis ubi est intemperies non habens materiam. Quia intemperies est duplex, uel est facta, ut hectica tertiæ speciei, uel fit, & docet quomodo debemus procedere. Dicit igitur, quòd ea quæ sunt extreme refrigerata, idest quando est intemperies frigida, & iam facta, quòd non debemus immodicè calefacere, quoniā sic calefacere maxime nocet. Si est autem in extremo caliditatis, tutißimè poßumus extreme refrigerare; uel saltem cum longe minori periculo possumus extreme refrigerare extreme calefactum, quàm extreme calefacere extreme refrigeratum.

Ergo ista erit solida conclusio quòd longe minus est periculum refrigerare extreme calefactum, quàm extreme calefacere quod est extreme refrigeratũ. Sed quando illæ intemperies non sunt factæ, sed fiũt. est ratio opposita, scilicet quòd longe minori periculo & facilius frigidatum calefacimus, quàm refrigeremus calefactum. Hoc est quod dicit Auic. et hæc sunt declaranda. Quantum igitur ad primum, dicimus, quando est aliquod corpus maxime calefactũ, ut qui hecticam patitur in extremo, estq; febris independens, facta in ultima specie, dico q; huic corpori debetur extrema refrigeratio, et quod lõge minori periculo & difficultate summopere refrigeramus. contradicat quis, Vos refrigeratis extreme, & cũ damno, quia illa extrema refrigeratio debilitat uirtutem, immo posset extinguere. Hoc etiam concedo, imo addo, quòd deducetur æger ad habitũ contrarium incurabilem. Sed si non exhibebitur frigida, fit homo aridus, & statim interit. Igitur extreme refrigerare est minus malum, quia sic potest æger adhuc superuiuere. Exẽ. gratia, est lignũ in igne ardens, et est quasi cinis, quod si permittamus in igne, plane comburetur & fiet cinis, at si frigidã super iniecerimus, nõ fiet cinis, sed carbo, qui esse poterit ad aliquem usum. A simili ubi est habens hecticam in tertia specie, statim fiet cinis, nisi refrigeretur; quòd si refrigeretur, fiet ueluti carbo. itaq; non curabitur, sed tantum ad meliorem statum deducetur. Oppositum uerò est, si fuerit corpus refrigeratum extreme.

me. Habet suum calorem exiguum, aliter non esset refrigeratum estreme, ideo habet operationes diminutas. Si igitur applicamus extremè calida, extinguimus illum calorem, quia calor iste resistere non poterit calori maiori resoluenti & absorbēti in se omne alimentum. Magna.n. flāma minorem extinguit; et ob id quando corpus est nimis refrigeratum uel uultis calefacere cum medicamentis, uel cum cibo, quoquo modo applicemus extreme calefacientia, interficiemus. Igitur si exhibebis cibum repēte calefaciētem, statim extinguemus paucum illum calorem: Si uerò exhibebis medicinā potentia calidā, si debet deuenire ad actum, scitis quòd quicquid opponitur corpori refrigerato, id debet deduci ad actum; quomodo deducetur ad actum? imo si deducetur ad actū ēt calor extinguetur qa maior flāma extinguit minorē. Quòd si corpus hoc approximetur aēri calido ualde, uel igni, tūc exhalat calor ille paucus, et perit animal. Igitur q̄uocunq; calefiat extremè, qđ extremè refrigeratum est, maximum periculum & ultima pernicies imminet. Diximus iam supra quēadmodum intemperies, quæ non dependet à materia tollatur, & errores qui erant tollendi in euentatione harum malarum temperierū, & locuti fuimus de ægritudinibus factis, & ostendimus, quòd longe minori periculo refrigeramus extremè calefactum, quàm calefaciamus extreme refrigeratum. Quando autē ægritudo fit in fieri, est aliud indicium: nam quando aliquod corpus moderate refrigeratum fuerit, longe

minori periculo calefacimus, quàm refrigeramus quod est moderate calefactum. Nam si contraria cõtrarijs in gradu curantur, quando est intemperies frigida moderate, debemus procedere moderate calidis; sed moderatè calida confortãt calorem innatũ & sunt ei familiaria. Etiam ex parte paßi, quod est moderate frigidum, si debet calefieri, & calor sit amicus naturæ, ideo facile recipit. Sed si accipiamus oppositum, licet non sit extremum periculum, tamẽ quando applicamus calefacto frigidum, etiam moderatum, & si non poßit facere magnum nocumentum tamen aliquid nocebit. Istud fuit declarandum. Sed quando præter caliditatem et frigiditatem, est etiã humiditas & siccitas de his etiam dicendum, et quãuis nihil dicat Auic. uidendum tamen de istis & factis, & quæ fiunt. Quando igitur corpus humectatum sit præter naturam in extremo, & iam sit facta ægritudo sine materia, & si sit facta exiccatio in extremo, uidendum in quo sit maior error, an in extreme humectando uel exsiccando. Sciatis autem quòd raro fit humidum corpus in extremo sine materia. Tamen in pueris recenter natis hoc esse potest, in toto ambitu corporis puerorum, ut non posint loqui, sed balbutiant, nec poßint erigi, quod contingit propter humiditatem, quæ non dependet in eo casu à materia. Siccitas econtra in omni ætate, & in omni corpore esse potest, & non dependens ab aliqua materia. Sed supponamus, quòd humiditas extrema sit in puero sine materia; ex alia parte, quòd siccitas sit

in ex-

in extremo. Quæritur*, in quo maiori periculo uel tutius ſit extremè exſiccare uel humectare.* Dico*,q. tutius eſt, humectare extreme exiccatum, quàm extreme exſiccare quod eſt extreme humefactum.* Humiditas*.n.eſt,in qua ſtat uita.* Vnde *& ſi excedi-tis cũ exſiccatione reſoluetur humidum, in quo ſtat calor.* Nam *ubi corpus eſt extremè exſiccatum, eſt etiam neceſſarium quòd ſit extreme refrigeratũ:nõ eſt autem ita de humido, quia cum humido ſemp eſt aliquis calor,neq; poteſt eſſe calor ſine humore,neq; humor ſine calore,imo neq; calor ignis.* Vbi *uerò eſt extrema ſiccitas,ibi uel nihil caloris,uel parum ſupereſt:ideo ubi eſt extrema ſiccitas, ibi etiam eſt extrema frigiditas:quoniam ubi exſiccatur humor ex corporibus,eſt neceſſarium quod corpus fregefi-at,quare cum ſiccitate in corpore non ſtat calor.* Ob *id ſi fuerit extrema ſiccitas,et adhibeatur extrēma humiditas,repente peribit animal, quia paucus ille calor extinguetur,et ideo quoniã iſtæ qualitates paſ ſiuæ procedunt eo modo ſicut actiuæ,ideo fortaſſe ni hil dixit* Auic*.*Sequitur *ex hoc, quòd in caliditate; & humiditate ſtat uita,in frigiditate, & ſiccitate mors.* Hæc *igitur quatuor hoc modo ſe habent.*

ET DEBES *ſcire,quòd infrigidatio quandoq; ſic citati coniungitur,quandoq; humiditati, & quan-doq; ab utriſq; ſeparatur.* Quoniam docuit Auic. *quomodo tollerentur extremæ intemperies ſim-plices,cum ſint etiam extremæ intemperies compoſi tæ ſecundum* Gal.*(& ſi* Auer.*non uelit quòd detur*

extre-

extrema frigiditas, sine extrema siccitate uel humiditate, & sic de caliditate, & fortasse quòd hoc dicit non sine ratione ut apparebit in declarat. sententiæ Auic.) nunc porrò illas explicare pergit, & dicit, q; frigiditas quandoq; poßit esse sine humiditate, quandoq; sine siccitate, quandoq; cum his. Quòd frigiditas poßit esse seorsum a siccitate in aliquo gradu, nō est dubium, nec etiam quòd coniungatur cum humiditate et siccitate neq;.n. sūt istæ qualitates impoßibiles. Addit autem Auic. & dicit quòd frigiditas antiqua magis permanet cum siccitate, noua uerò est magis cum humiditate. Pro hoc debemus supponere duas esse qualitates actiuas, caliditatem & frigiditatem: duas paßiuas, humiditatem, & frigiditatem. Sciendum quinetiā, quòd humidum & siccum se habent ut subiectū caloris & frigiditatis. Cum igitur ita se habeant, est insuper aliud tenendum, quòd prima actio frigiditatis est, ut trahat ad centrum, constipet, & crassefaciat, caliditas ut contraria faciat. Sciendum illud, quòd humidū rarū est, habensq; partes inter se distantes, siccū simul existentes. His stantibus, si coniungitur frigidum cum sicco, est cum proprio subiecto. Nanq; frigiditas habet ad centrū trahere; ut quæ semper intendit exsiccare, exprimendo: (quod quidē apparet ex Alex. in quæstio. 4. primi lib.) quando enim frigiditas accedit ad aquam, illam condensat, & congelat, tandemq; illam uertit in terram, & propterea terra ut est maxime sicca, ita est maxime frigida, neque hoc est paradoxum, quòd

terra

terra ſit primum frigidorum. Nam *etſi etiam aqua ſit primum frigidorum,non tamen maximum : quoniam ſi eſſet aqua extremè frigida , non poſſet ulteriorem frigiditatem accipere , quod tamen eſt falſum,quia aqua,cùm ſit glacies , accipit intenſiorem frigiditatem,& cùm ſit terra,ſit adhuc frigidior.* Igitur *ſubiectum frigiditatis eſt ſiccitas.* Modò *nonne ſiccitas competit igni?* Dico *quòd ſiccitas in igne nõ eſt homogenea cum ſiccitate, quæ eſt in terra.* Sicci*tas enim in igne eſt ſubtiliata,& tenuis reddita , & cum aliquo humore,quia aliter non eſſet actu ignis: unde ignis eſſe non poteſt ſine humore, ſecundum eſſentiam poterit dici ignis calidus ſine humore, tamẽ ſine humido ignis eſſe non poteſt,ut uoluit* Theophra*ſtus.* Dico *igitur,ꝙ ſiccitas in igne non eſt homogenea,unde illa quæ ſunt aëris , habent maiorem humiditatem,quàm quæ ſunt frigida .* Dico *igitur, quòd uerum ſubiectum frigiditatis eſt ſiccitas.* Sed *cùm frigiditas accedit aëri,facit aquam:ob id dicitur aqua primum frigidorum,nam per frigiditatem habet eſſentiam aqua, non tamen frigiditas illa eſt in ſummo,quia frigiditas craſſefacit aquam, & illam facit glaciem,poſtea ex ipſa glacie tandem ſit terra,& ideo, ipſa frigiditas ſemp exprimit,& exiccat.* Ob *id* Ariſt. *5.de generatione dicit,quòd dum frigiditas accedit alicui rei,expellit caliditatem,& condenſat,& dum trahit calorem,trahit cum calore humidum, & ita exiccat,& uult manere tandem in ſubiecto ſicco, ſemper eſt inimica humido,ſicut calor ſemper trahit humidum.*

humidum.Et ideo caliditas per se trahit humorem, per accidens autem exiccat,quando est tantæ actiui tatis,& oportet quòd tueatur se ipsam, & ideo con sumit maximam quantitatem pabuli, & ideo sem- per trahit humidum.Frigiditas autem semper expri mit humidum,& ideo semper exiccat per se,per ac- cidens autem humectat.Ob id dicit Auicē. quòd quā do frigiditas est cum siccitate,est cum qualitate per se:quando autem est cum humiditate, est per acci- dens.i.cum qualitate quæ non est sibi propria: si au- tem est cum siccitate,est cum qualitate propria, & tunc est summa frigiditas cum extrema siccitate. Quandoque autem accidit,quòd frigiditas compri- mat excrementa corporis,quæ non possunt diffiari: & ideo per accidens humectantur corpora,sicut cor pora senum,quæ etsi sicca sunt,quia sunt rugosa,ta- men sunt repleta humiditate,non quidem naturali, sed accidentali.In senibus enim propter frigiditatē aggregantur excrementa,tum quia uirtus est debi- lis,ut non poßit expellere,tum etiam quia pori con- stricti sunt propter frigiditatem. Dicit modo Auic. *quoniam loquebatur de causis exiccantibus & re- frigerantibus quòd omnis calor superfluus exiccat, & omne frigidum superfluum humectat*. De ca- *liditate constat,quia caliditas trahit plurimum ali- mentum humidum,& ideo derelinquitur siccum su- biectum.Sed frigiditas in extremo humefacit*. Hoc *autem intelligimus in corpore humano:quia quanto corpus magis frigesit, tanto fiunt maiores crudita-*

tes, et minor difflatio, & inde sequitur humiditas, non quidem naturalis sed accidentalis, sicut in senibus contingere uidemus. Modo dicit, q balneum humefacit, aqua dulcis, & uinum; uinum autem intelligit non quoduis, quia uinum nouum humefacit, pariter dilutum, sed antiquum & uinosum exiccat, pariter id quod habet saporem acidum: uinum dulce, humefacit, humiditate semper substantifica. Sin intelligas de humiditate accidentali, dico quòd etiam exiccat. Postea ostendemus, quomodo æqualia in gradu applicentur, & fateor me in hoc non intelligere Galenum.

AMPLIVS *scire debemus, q cùm senex infrigidatione indiget & humectatione, non sufficit ad hoc illud quod ipsum ad æqualitatem reducit. Iã sciuistis, quemadmodum in toto capite non aliud intendit, nisi docere quomodo remoueamus intemperies cum materia, & sine materia, sed magis agit de intemperaturis, quæ à materia non dependent, et circa istud propositum ostendit multas regulas, multasq; cautiones: tandem docet, quomodo debemus in operationibus sistere, et quãdo ultra progredi: maxime .n. refert scire, quousque actio progredi debeat. Et docet exemplo senum, qui cùm frigidæ & humidæ sint temperaturæ, si incidant in calidam & siccã temperiem, non sunt deducendi ad æqualem temperaturã, sed ad frigidam, & humidam. In istis uerbis potest esse dubitatio: quia Gale. 6. de sanit. tuend. studet reducere senem ad temperaturam calidam et humidam*

midam,ad ueram æqualitatem, & hoc facit balneo, cibo,somno,citatq; Homerum,qui hoc idem faciebat. Sed præter hoc est dubium,Quoniam dictum est, q, ubicunque est intemperies,illam,si uolumus curare, oportet opponere & adhibere contraria æqualia in gradu.In processu huius dubitationis, illam soluemus sine sophismate,deueniemusq; ad punctum, non sequentes modernos,qui nihil docent.Gale.fuit primus inuentor huius opinionis,a qua nō discedit Auicen.Gal.n.3.Meth.cap.13.ostendit quomodo sumantur indicationes curandi intemperies sine materia a lapsu,& dicit,quòd ubi fuerit corpus complexione calidum & siccum, quod deuenerit in contrariam temperiem,uidelicet in frigidam & humidam, quòd incidit in magnum lapsum, & quòd est magna mutatio in hoc corpore. Iste igitur homo frigidus & humidus dicetur respectu temperati, sicuti calidus & siccus dicebatur respectu corporis temperati.Cū igitur membrum sit factum ex intenso calido frigidum,oportet quòd deueniat ad medium, ad caliditatem temperatam, deinde ad frigidum. igitur facta est magna mutatio. Sed si hoc idem membrum incidat in dispositionem calidam,fit hoc membrum quidem calidißimum,& magnus est calor, tamen paruus est lapsus,ut si erat calidum in secundo,nunc factum est calidum in tertio.Si autem deuenit ad frigidam intemperiem & humidam, est magnus lapsus. Ob id ista particula non debet reduci ad temperiē, quia non reduceretur ad suam naturalem temperiē

fuit enim sua naturalis temperies calida in secundo gradu respectu temperati, igitur indiget maxime refrigerantibus. Hoc est fundamentum Galeni, quod sequitur Auicen. Tamen si consideremus Galeni dicta, oriuntur multæ difficultates. Ob id Auer. in secundo cap. lib. 7. Colliget arguit & dicit, Medici tenēt hoc, ego uero aliter sentio, quia experientia est in contrarium: quinimo si tentaremus id quod medici dicunt, interficeremus homines. Accipiatis enim aliquem calidæ & siccæ complexionis, qui ardente febre laboret, hic est paruus lapsus, tamen est maximus calor, per tuum fundamentum, ò Gale. oporteret exhibere frigida temperata, & tunc uerteretur illud in bilem igitur oportet potius refrigerare summa refrigeratione. Sed si senes incidāt in febrem ardentem, & detis maxime frigida, ut debetis dare per fundamentū Galeni tunc interficietis. Postea dicit Auer. & docte. Medici decepti sunt, propter parologismum, & commiserunt fallaciam a secundū quid ad id quod simpliciter. Cùm enim uident in sene frigido & humido febrem ardentem, dicunt, in hoc est magna mutatio, est magnus lapsus, quia deuenit ad caliditatem per medias qualitates. Sed dicit Auer. in hoc decipiuntur, quoniam senex est frigidus & humidus, habet suum proprium calorem naturalem quando alterat senem ad calidum intemperies ramificat a calore illo senis, et ita quando acquisiuit gradum unum caloris, excandescit, quia est senex extra proprium naturam. Quòd si ille calor est in iuuene

recrearetur. Vnde quando senes habent febrem ardentem, tunc habent calorem paucum: qui in iuuene faceret, quidem febrem. In oppositum, iuuenis quia est feruentißimæ naturæ, feruescit per unum gradum, & ardet, tamen non est magnus lapsus: nam quando tangitur etsi uidetur calor ille igneus, tamē id fit quia habebat ēt calorem naturalem magnum. Et ita dicit Auer. tu deciperis in hoc: quia etsi in sene sit calor ardens, tamen non est magnus lapsus absolutè, sed est magnus lapsus illi seni, quoniam tum calor ille ardens in febre in sene est maior respectu caloris temperati in iuuene. Et si nos consideremus, dicit Auer. operationes medicinarum hoc clarius indicabunt. Nam medicamenta dicitur frigida respectu corporis temperati, cui medicinæ calor non potest dominari, neque illam potest deducere ad actū. Modò si calor in corpore temperato non potest reducere ad actum medicinam frigidam, multo minus hoc poterit calor senis, quia extinguetur. At si detur ista medicina frigida in secundo gradu corpori iuuenis calido in secundo gradu cùm habeat febrem ardentem, etsi daretur frigida in tertio statim tamen deducet ad actum, & statim inflammabit & calefaciet illa medicina. Ob id dicit Auicen. quòd si in febre ardente datur aqua frigida in parua quantitate, & rarò, quod statim uertitur in bilem & in ignem. Quare oportet quòd iuueni detur frigida in maxima quantitate: quod tamen est oppositum nostræ regulæ, quod scilicet in maiori lapsu debemus

 mus

mus dare, q̃ magis extrema sunt. Ista uidetur esse ratio, quæ habeat maximam apparentiam. Non *possumus negare, dicit* Auer. *quòd senes etiamsi habent febrem ardentem, tamen non percipiunt febrem.* Ob *id febres senum sunt sepultæ.* Pro Auerroe *est alia ratio: quia quando dicitur, quòd corpus senis, qui deuenit ad calidum secundi gradus, oportet deduci ad temperiem primam primo per æquale, hoc est ridiculum, quia oporteret, quòd corpus senis quod est prope mortem transeat per optimam dispositionem, & per æqualitatem, quæ potest esse in humano corpore: esset igitur pauci ingenij ille æger, si transiens per illam æqualitatem, nollet ibi permanere: nam æqualitas illa est optima, igitur uidetur quòd* Galenus *&* Auicen. *delirent. Sed quoniam hoc non est fas dicere, ideo oportet ostendere quòd* Auerroes *fuit* Sophista. *circa hoc debetis scire, non obstantibus rõnibus* Auer. *dicimus* Gale. *&* Auicen. *optime defendi posse.* Et *quantum ad primum attinet, quãdo* Auer. *citat illam experientiam, quòd in corporibus calidis damus aquam frigidam, nõ autem senibus, quod etiã facit* Gale. *dico ad discipulum illum, qui dicit quòd* Gale. *fuit deceptus, quodq; unaquæq; intemperies existens in quocunque indiuiduo, ramificatur a sua naturali temperie, dico inquam quòd est falsissimum, & mala est fabrica tua.* Nam *non est uerum quòd febris ramificatur a calore innato.* Decipiun*tur autem propter uerbum* Hippo. *quòd febris est calor innatus mutatus ad igneum.* Nos *profecto uidemus,*

demus, quòd febris sit ardentißima in senibus, non respectu hominis tangentis, sed respectu sui ipsius: et primo uidemus in senibus erysipelata, quæ tangi non possunt, & uidemus contingere alia apostemata in senibus decrepitis tanti ardoris, ut nulla refrigeratione poßit refrigerari ardor ille, ut hisce diebus uidimus in Franciscano quodam, in quo calor ille erat feruor separatus ibi existens, non ramificatus a calore naturali. Ob id ista intemperies non est respectu senis feruida tantum, sed etiam respectu ignis: habet enim effectum ignis, & urit, & fortasse ille ignis est maior in sene intensiue, quàm sit in iuuene, quia caro senis est siccior & frigidior, duriorq́; ideo magis resistit calori, & iam uidimus, q; est calor urens consumens totam illam carnem & loquitur de intensione respectu caliditatis absolute. Quare falsum est, quòd sit in sene minor calor, quã in iuuene, imò in sene est maior calor intensiue. Sed instet quis febris senum sunt sepultæ. Dico quòd hoc est, quia senes plerunque laborant febre pendente a pituita, ideo dicuntur sepultæ: sed quando sunt febres ardentes in senibus illæ non sunt sepultæ, sed hoc rarò accidit, et ferè nunquam curantur, propter maximum lapsum. Et ideo negamus quòd calor febrilis ramificetur a calore naturali, Quãdo autem dicit Hippo. quòd febris est calor naturalis mutatus ad igneum, sano modo intelligi debet: sicut enim dicimus, quòd ira est feruor sanguinis, quæ definitio non est uera, sed est per causam efficientem; ita etiã

febris propriè non est calor naturalis, quia tunc esset substantia. Ob id illa non est perfecta difinitio. Itaq; ratio illa Auerrois nō ualet. Quādo rursus instant. Si esset hoc uerū, quādo senes habent caliditatē & siccitatē igneā, & q̃ debent deduci p̃ æqualitatē, quæ debet esse oportuna, q̃ ibi permanere deberent. Respōdeo q̃ æqualitas dicitur dupliciter; uel dicitur in ipso calore accidētali, prout dicimus esse aliquā catatem remissam, in qua non sit acrimonia, neque frigiditas, ut si esset aqua tepida. Corpus igitur quodcunque ad hoc potest deduci, & tamen ille calor est præter naturam, uel dicitur æqualitas, quando deuenit ad talem mixtionem, ut omnia sint essentialiter simul contemperata, & resultet calor temperatus tactu, qui occurrit, tanq̃ signum illius æqualitatis substantificæ. Modo dicimus, quòd senes non reducuntur ad hanc æqualitatem substantificā, sed dicimus quòd ille calor igneus transit per medium, & deuenit ad æqualitatem, quæ tamen est præter naturam. Ideo dicit Auic. quādo deuenit ad hāc æqualitatē, ut ibidē p̃cipias calorem temperatum, est signum quòd non est deductus calor ad temperiem innatam, nec corpus ad naturalem statum, ob id ultrà progredi debemus. Sic Auic. loquitur de illa æqualitate non naturali. Ob id dicit, Non sis contentus illa æqualitate quia illa æqualitas non est illi naturalis. Dicit modo Auic. in calce capitis hoc, quòd quandoque cùm uolumus emendare temperaturam frigidam cum calido, admiscemus aliquid quod auget illam intemperiem, ut medi-

dicamentum penetret, uel corroboret: ut si aliqs habet siccitatem aliquam in renibus, damus ea quæ humectant, sed admiscemus acetum, quod etiam exiccat hoc autem facimus, ut medicamentum penetret. Similiter etiam quando est cor calidum superflue, & uolumus refrigerare cor, admiscemus crocum, quod tamen est calidum, admiscemus autem, ut penetret uis medicamenti ad ipsum cor. Quandoque in oleo balsamino resoluente admiscemus cerã, quæ tamen crassefacit, non resoluit; hoc autem facimus, ut medicamẽtum permaneat in loco, & poßit operari, & medicum consequatur id quod intendit.

Caput tertium, ad sciendum qualiter & quando oportet euacuari.

RES QVAE demonstrant rectitudinem iudicij in euacuando sunt decem. Vnum supponere oportet, tanq̃ scopum necessarium in hac quarta Fen, quòd nihil aliud agit Auic. quàm docere, quo artificio adhibenda sit curatio in quocunque morbo. Quo supposito debetis scire, quòd nihil aliud curatur, quàm morbus: causa enim non curatur, sed præseruatur. Cùm igitur solùm morbus curatur, oportebat etiam scire quot essent genera morborum: & ideo in secunda Fen sciuistis, quomodo morborum sunt tria genera. De curatione horum trium agit in hac quarta Fen, & incipit a temperatura, quæ duplex est, alia cum materia, alia sine. Quæ autem si-

ne materia, est prior natura, ideo prius de illa egit, ut audiuistis. Reliquum modo est, ut tractaremus de intemperaturis pendentibus, ab ipsa materia. Nam materia est proximum subiectum malæ temperaturæ; quoniam istæ temperaturæ dependent à materia, in esse & conseruari, & materia est causa coniuncta, & ideo curatur per euacuationem materiæ coniunctæ actu facientis ipsas intemperies, & de hoc agit in hoc cap. Et quoniam materia facit repletionem, repletio autẽ est duplex, alia quo ad uasa, alia quoad uirtutem, (repletio quoad uasa, est solùm in quantitate, cum bona qualitate; Repletio quoad uirtutem est, quando non adest multa quãtitas materiæ, sed mala qualitas, ut natura illam male ferat) idcirco indicat euacuationem. Sed euacuatio non eadem esse debet: quia ubi est repletio quoad uasa, debetur euacuatio per uenæ sectionem, & de hac agit cap. de phlebotomia. Sed ubi fuerit repletio quoad uirtutem, debetur euacuatio ꝑ pharmacum: & de hac agit in hoc cap. usque ad caput illud de phlebotomia. Repletio igitur est, quæ immediatè indicat euacuationem. Quod enim repletum est, nihil aliud indicat nisi euacuationem. Sed hæc indicatio in se est admodum uulgaris; nemo enim est, qui nesciat, quòd illud quod est repletum, non indigeat euacuatione, etiam sensus hoc cognoscit, et in hac prima indicatione, nullum fit artificium, sed in ijs, quæ ab hac uniuersali indicatione nascuntur indicationes, quæ magis sunt artificiosæ & particulares: neq; enim solùm

fat est scire, quòd est euacuandum, sed etiam qui homines sint euacuandi, qui non: deinde sciendum est, quantum, qui termini sint euacuationis: tandem etiã quomodo euacuandum, quando, per quæ loca commoda, nam inquit Hipp. *per conuenientes regiones ducere oportet.* Et *sic uidetis, quomodo ex illa uniuersali indicatione oriuntur illæ quinque toties dictæ, quæ non solùm in arte medica, sed in quacunque etiam actione obseruari debent.* De *istis quinque conditionibus diligenter* Auic. *in hoc cap.* Sed *modo istæ conditiones ita se habent, quòd semper eodem modo se habẽt, quædam autem uariantur, uidelicet uirtus, complexio, figura corporis, ætas, consuetudo, ars, accidentia; tempus anni, regio, constitutio, & istæ sunt tã quàm regulæ, imo tyranni, qui iubent & cogunt nos facere, quod non deberemus.* Primo *autem considerãdæ sunt illæ 5. conditiones, deinde isti tyranni, & uidere oportet an ipsi hoc concedant, necne.* Primo *igitur illæ conditiones sunt inuariabiles, & si uariantur, uariantur ab istis tyrannis* 10. *Auic. autem hic utitur ordine præpostero.* Cur *hoc fecit?* Dico, *ꝙ* Auic. *in suis libris seruat optimum ordinem, sed in proprijs capitibus est confusißimus, unde aliqui dixerunt, quòd non potuit emendare suos libros, forte morte præuentus.* Ideo *mirum non est si confuse procedens, incepit ab illis x. tyrannis potius, q̃ ab illis 5. conditionibus.* Tamen *doctrina nostra erit ordinata.* Animaduertatis *igitur cùm dicit,* PRIMO *sciendum, non dicit,* At *sciendum euacuationem, quia in*

hoc

& ad casiam, a quibus proponitur quidem hæc difficultas, sed non soluitur. Proponitur igitur quæstio utrum fluente aluo, uel existente uomitu, debeamus curare huiusmodi fluxum alio fluxu, & est quidem notatu digna quæstio. Proponunt moderni argumenta pro parte affirmatiua, & dicunt, quòd primo est auctoritas illa detorta Auic. in sexta tertij, ubi dicit ibi Auic. quòd quandoque fluxus, fluxu curatur, & uomitus uomitu, quem locũ plane nõ intelligũt. Præterea habent auctoritatem Gal. 1. Aph. Quæ relinquũtur in morbis, recidiuas facere cõsueuerunt. Præterea ubi fluit sanguis è naribus, curatur mittendo sanguinem per uenas, igitur fluxus fluxu curatur. Insuper Auic. dicit, fluxum fluxu curari est timorosum, & hoc confirmatur a Gal. primo ad Glauc. ubi dicit, quòd ubi in febre contingat fluor alui, nõ debemus moliri aliquam euacuationem, neque pharmaco neque sanguinis mißione, & addit etiam, quod fluxus ille non sit sufficiens pro repletione. In istis difficultatibus quæritur quæ sit ueritas. Pro resolutione, ut appareat ueritas, unum distinguendum est, ubicunque fluxus aliquis superuenit in corpore humano, uidendum est an dependeat a materia existente in corpore etiam sano existente, uel in corpore ægroto, ut febriente, uel aliam ægritudinem patiente. Vnde si fuerit fluxus in corpore, in quo non sit alia ægritudo, sed sit solùm illa materia, & ille cognoscat, quòd fluore alui sentiat se melius habere, in hoc casu hoc opus naturæ dimittere debemus. Sed si æger

ille

ille dicit se egerere quidem, nihilominus percipere, q. dum fluit, uellet adhuc aliquid fluere, tunc non est omnino permittendum naturæ, quòd ipsa sit pigra: ideo in hoc casu dico, quòd debet adiuuari natura, & tunc fluxus fluxui addi. Et hoc est quod dicebat A-*uic. loco allegato, non loquebatur uniuersaliter, sed dicit, & quandoque fluxus fluxu curatur, & uomitus uomitu.* Et *bene dixit,* Quandoque, *scilicet quando non est fluxus debitus, quantum oportet & hoc est etiam qđ dicebat* Gal. 1. Aph. Q*uæ relinquũtur &c. nam quando natura non potuit euacuare, medicus supplere debet, & hoc quando non adest aliqua ægritudo: secus est procedendum si sit aliqua ægritudo, & sit fluxus: & inquit* Gale. 1. *ad* Glauc. *si est fluor alui, non tamen quantum sufficit, debemus adiuuare naturam, quare hoc non facit? dico q.* Galen. *nõ solùm considerat præsentia, sed futura, natura.n. paulatim euacuat, medicus autem repẽte, & euacuat medicina calida, quæ calefacit corpus, exiccat, & uires debilitat, & intestina, non retinent proprium alimentum & tollimus locum intestinorum & uentriculi.* Igitur *ubi est aliqua ægritudo, non est fluxus fluxui addendus.* Et *ideo* Gal. 11. Meth. *ubi erat febris cum putredine, non euacuat quantum oportet: ubi autem non est putredo, euacuat usque ad animi defectum.* Et *ideo ubi fuerit febris, uel aliqua inflammatio in corpore, & fluat aluus, non tamen quantũ oportet, non debemus naturam adiuuare, .s. fluxum fluxui addendo, sed debemus naturam confortare.*

re. Igitur constat, quomodo fluxus fluxu curatur, et quando non.

HAEC nanque cùm fuerint contraria significationi, propter quam euacuatio faciēda erit, prohibebūt euacuationem. Vt omnia quæ tradentur in hoc capite, sint distincta, & clara, quoniam ualde confusa sunt, ideo oportet nos esse diligentißimos, tum in explicando, tum in ordinando ea quæ sunt confusa. Debebitis igitur scire, cùm simus tractaturi de modo euacuandi corpus humanum, neque fere aliud faciant medici, nisi quòd euacuent, q. fundamentum uniuersale euacuationis est repletio. Nam indicatio euacuādi non ab alia re quàm a repletione sumitur. Sed quoniam illa indicatio est sine aliqua arte, ideo oportet scire, quid sit euacuandum, quantum, quando, quomodo, & ubi. Quid euacuandum, indicatur ab humore, qui peccat, & in hoc incipit artificium, & consistit in indagatione humoris euacuandi. Quando autem sit euacuandus, indicatur a maturatione humoris. Quantum, a quantitate. Quando a commoditate corporis. Locus, a commoditate loci. Igitur uidetur, quòd repletio est fundamentum uniuersale euacuationis, in qua tamen non est aliqua ars, sed in illis quinque iam dictis: & ita nihil aliud deest, nisi operari: & operaremur, nisi superuenirent tyranni, qui imperant penitus, & prohibent quandoque ne operemur, quandoque ut operemur, sed minus quàm oportet. Habemus igitur illa quinque indicantia a suis indicationibus, & habemus illa 10. iam enumerata

prohibendo, nullo pacto esset euacuandum, si aliquod horum fuerit contrarium, aliquod non, tunc illi attendendum, quod nobilius est, & singula sunt ponderanda: & his adhærere debemus, quæ magis possunt. unde illi erunt optimi medici, qui melius discurrere scient, & discernere, quid magis, quidq; minus potest. VACVITAS *itaque sine dubio euacuationem fieri prohibet.* Modo *postq̄ in uniuersali decem illa limitantia prohibere uel limitare dixit, incipit prosequi de singulis seorsum, & quoniam sermo est de euacuatione, ideo incepit a uacuitate, & dicit, quòd uacuitas maxime prohibet uacuationem; (& hoc dedit occasionem modernis errandi,) igitur cùm simus in principijs, est maxime animaduertendum.* Dicit Auic. *quòd uacuitas est una ex illis, quæ prohibent euacuationem.* Quare *uidetur quòd euacuatio ponitur inter indicantia, & non inter indicata: tamen uidebimus, quòd non uult dicere hoc.* Nam *si dixisset,* Vacuitas *tollit indicationem prohibendi, non esset aliquod dubium; nam ubi corpus est euacuandum, indicat potius repletionem, non autem euacuationem. Sed cùm dicit* Auic. *uacuitas prohibet indicationem euacuandi, non facit difficultatem quia aliud est prohibere, aliud remouere.* Verbi *gratia est pauper scholaris, qui uidet quòd bonum sit studere, tamen prohibetur a tyranna & pessima paupertate, illud quòd prohibet non tollit indicationem, quando uero tollit indicationem, nulla ratio est quæ dictet hoc esse faciendum.* Aliud *igitur est prohibere,*

bibere, aliud indicantia tollere; ut uerbi gratia est corpus euacuandum, uirtus debilis est, quæ non tollit indicationem euacuandi, sed prohibet: & uacuitas non prohibet euacuationem, sed tollit indicationem & cogitationem uacuandi, quia ubi est uacuitas, indicat esse replendum. Igitur aliud est prohibere, aliud tollere indicationem. Et ideo isti moderni hoc non intelligentes decepti sunt. Moderni isti etiam monent in illo sensu; uacuitas prohibet euacuationem: dubitant, quoniam uidebant nonnullos casus, qui confundebant ipsos, & in errores incidebāt. Dicunt igitur, q corpore existente euacuato stat indicatio euacuandi. Vt uerbi gratia est aliquis qui patitur fluxum sanguinis, tale corpus est uacuum sanguine, & tamē curatur euacuatione per sang. missionem, ergo non est uerum, q uacuitas semper prohibeat euacuationem. Vnde quidā dixit, q corpus quoad repletionem ita se habet, quòd est maxime & insigniter repletum, uel hoc corpus est insigniter euacuatum, uel mediocriter se habens, tunc inquit, si est repletum insigniter, debet euacuari: si uerò est summe euacuatum, prohibetur euacuatio, & de hac intelligit Auic. hoc in loco. Si uero mediocriter se habet corpus, tunc quandoque euacuamus, quandoque non euacuamus. Quando ægritudo urget, non euacuamus, quando natura dat inducias. Sed dictum hoc maxime peccat: primo quia non distinguit indicationem a limitatione, secundo quia respectu uirtutis dicitur repletio, quomodo igitur potest

test esse humor mediocris, qui impediat operationẽ, & faciat hominem iacere? quare hic non potest esse repletio mediocris, ex quo offendit omnes actiones materiales. Quòd si dicas esse mediocritatem respectu humoris, in maiori copia existentis, modo hoc uerum dicis in se, sed non facit ad propositum, tamen hoc indicat de quantitate euacuandi, non de euacuatione, quia quantitas humoris indicat quantitatem uacuationis, nam si mediocris est quantitas, indiget mediocriter euacuante, & ideò non facit ad propositum, quia dicit Auic. *q̃ uacuitas prohibet euacuationem. Quod si dicas, intelligo de mediocritate, quòd sit aliquis humor mediocris existens in corpore, non impediens operationem, ut si uerbi gratia quis habeat mediocritatem sanguinis in uenis, & non læduntur operationes, hoc stante, contingat q̃ iste expuat sanguinem, tunc mittimus sanguinem.* Ecce *igitur, quòd hic est mediocritas in quantitate & qualitate, & dat indicationem, & non prohibet euacuationem.* Dico, *quòd tunc sanguis est mediocris & mittimus sanguinem, sed non mittimus sanguinẽ, ut sumatur indicatio ab illa mediocritate.* Sed *medicus solùm uult aliò auertere, ne sanguis ad pulmonem tendat; & ita oritur indicatio non euacuandi, sed retrahendi sanguinem ad partes oppositas.* At *nos loquimur de euacuantibus, non de diuertentib.* Quoquomodo *igitur non euadit sua conclusio, quæ etiam* Hugoni *displicebat, tamen meliorem non posuit, sed longe deteriorem. Satis igitur est pro hac*

re,ab ætate,a tempore, & quoniam inquam hoc posſet uobis parere difficultatem,ideo hac de re aliquid eſt dicendum,& uidendum,quid intelligat per indicationem,quæ ſumitur a uirtute:quia non intelligit ueram indicationem,ſed limitationem, ut patet ex 8.Meth.a x.uſque ad xi.caput.Sciendum, quòd praxis artis medicæ cõmuniſſimo ſuo genere, habet unum cõmuniſſimũ ſcopum,a quo ſumuntur indicationes uniuerſaliſſimæ,talis ſcopus eſt uita,uel cõſeruatio uitæ.Conſeruatio ſtat in duobus, uidelicet in cuſtodia ſanitatis & uitæ,(nam uita nõ eſt uiuere,ſed ualere,)et remotione morbi.Hinc naſcũtur hæc duo, conſeruare ſanitatem,& auferre ægritudinem. Prima pars,ars tuendæ ſanitatis appellatur :ſecunda, ars curatiua.Iſtæ ſunt primæ duæ differentiæ, cuſtodire ſanitatem,& morbum auferre.Cuſtodire et auferre,motus ſunt oppoſiti.Conſeruatio autem ſanitatis in quo conſiſtit? In eo, quòd ſanæ actiones & inculpatæ cuſtodiuntur,& fiant,quæ ſunt actus ſecundi,quorum actus primus eſt ipſa uirtus. Igitur uirtute ipſa cuſtodienda;ob id conſeruatio ſanitatis,eſt cuſtodia uirtutis. Ars autem curandi, finem habet,remouere morbum per ſuum contrarium : & hoc eſt primum, unde omnes naſcuntur indicationes.At uerò huiuſmodi differentiæ, quæ dependent ab uno genere,conueniunt utrique ſpeciei; ita eſt iſta practica,hoc genus habet ſuum finem proprium, uidelicet ſeruare uitam hominis: quòd cùm ſit proprium genus, conuenit utrique ſpeciei:unde & qui

curat, & qui seruat sanitatem, hoc facit ut uitam conseruet, & hoc est utrique cōe. Vlterius qui remouet morbum, debet habere custodiam de uita semper; unde si quis V.gra. uolet euacuare, debet considerare an euacuatio custodiat uitam & uirtutem: uita enim in sanitate, & sanitas in uirtute consistit. Igitur qui curat, semper uitam custodit, & uirtutem, in qua stat uita. Sed directus scopus tendit ad remouendam ægritudinem: & quoniam, sicut dixi, remouetur ægritudo, ut custodiatur uita, & uirtus, ideo dirigendus est oculus ad uirtutem, tanquàm ad dominum, & si posset hoc fieri sine damno, hoc debet fieri: sin minus, non: quia uita custodiri debet. Et ita ista indicatio limitatur ab ipsa uirtute. Cùm dico igitur, quòd indicatio sumitur a uirtute, indicationis nomine abutor: quia ista indicatio curādi non sumitur a uirtute, sed ab ipso morbo. Sed uirtus est quæ circumscribit & imperat an hoc sit moderatè faciendum, uel non faciendum. Quoticscunque uidemus uirtutem ualidam, & copiam materiæ, quæ nō opprimit uirtutem, dicit Gal. quòd nulla habita cura uirtutis, debemus euacuare materiam: quòd si uirtus aggrauatur, non tamen opprimitur, sed superat uirtus, in eo casu attendendum nō est uirtuti, sed est euacuandum, sine aliqua limitatione. Si uerò contingat, quòd uirtus sit uel debilis, uel oppressa, quid agendum? Si uirtus est resoluta, & humores cum hoc sint in corpore, dicit primo Meth. Gal. quod indigemus in hoc casu præstanti medico: ratione humorū de-

deberemus euacuare, sed quia uirtus non tolerat, debemus (inquit Galen.) facere epicrasim, qua Galen. utitur, quandoque in uno, quandoque in duobus; fit uerò epicrasis, contẽperando ipsos humores præter naturam existentes, ut quando sunt humores acres mixti cum sanguine, & non poßimus illos euacuare, contemperamus, nutriendo ægrum cum temperatis, cum frigidis, uiscidis: sin fuerint humores uiscidi, contemperamus per contrarium uictum, scilicet attenuantem. Tamen præter istam epicrasim cum aliquo leniente debemus aliquid subtrahere & minuere de materia, cum modica caßia, uel rhabarbaro, uel syrupo rosato solutiuo, & sic paulatim euacuare materiam, sic enim non offendemus uirtutem, & contemperabimus, cum illis, cum contrariis scilicet & hac leui subductione. Igitur hoc modo procedemus, sumpta indicatione uel potius limitatione a uirtute. Sed si fuerit uirtus non resoluta, sed oppressa dabat Gal. documentum, ad cognoscendum uirtutem oppressam a resoluta ipso pulsu, nam pulsus resolutus & oppreßus uix percipitur. Sed si manu comprimas arteriam, & uirtus sit resoluta, eo minus sentietur pulsus, sin fuerit oppressa, uno impetu manum feriet, & statim quiescet. Hæc est differentia inter uirtutem oppressam, & resolutam, sit autem hoc aliter dictum. Si igitur erit uirtus oppressa, uel oppressa erit a materia replente quoad uirtutem, uel quoad uasa. Si a materia replente quoad uasa, tunc considerare debet medicus, putrescat ne, illa ma-

*ad uirtutem,(Hæc autem repletio quoad uirtutem nunquam esse potest,quin sit uirtus debilis, & oppressa ab humorum malitia) tunc quandiu uirtus est resoluta,cauendum ab euacuatione, & utendum epicrasi.*Et *ita habemus totum discursum, quomodo uirtus sit illa,quæ circumscribit & limitat; morbus uerò est ille,qui indicat.*Et *hoc idem in alijs limitantibus ostendetur.Audiamus literam.* ET *similiter cùm debilitas cuiuscunque trium uirtutum fuerit.Verumtamen quandoque eligimus plus alicuius uirtutis debilitatem,quam impedimentum relinquendi euacuationem.* Hic *moderni se implicant de uirtutibus,de motiua,de sensitiua, & quòd sit habenda cura de uitali.Tamen hìc dic, quòd est custodienda unaquæque trium uirtutum, & si uirtus cordis est illa,quæ citius interficit,quando oppressa est,tamen ubi sensus intercepti sunt,nullam medicationem potest medicus recte administrare, quia excretio indiget sensu,præterea remoto motu quomodo fiet attractio? At dicet quis,* Nonne *in apoplexia exhibemus medicamenta etiam ualidissima? ego pilulas cochias exhibui homini dum moreretur, qui conualuit:quia ibi uirtus est quidem oppressa,adest tamen sensus,licet obtusus, & ideo casus iste non ualet.*Et *constat,quòd debemus habere magnam custodiam uirtutis animalis.Virtus etiam naturalis non negligenda est:quoniam ubi non nutritur corpus,necessario interit animal,& resoluitur.* Pariter *uitalis,qua resoluta similiter statim quoque interit ani-*

 mal

mal.constat igitur custodiendas esse uirtutes. Et si uitalis nullas det inducias, aliæ tamen non sunt negligendæ.

COMPLEXIO quoque calida & sicca, ad hoc prohibet. Hactenus egimus de uirtute, quæ est una ex.x. illis limitantibus & ostendimus quæ & quot essent uere limitantia, unde textus Auicē. clarus, est enim facilis.

SECVNDVM caput, quod limitat, est complexio. Dicit igitur Auicen. quòd complexio est unum ex his quæ limitant & circumscribunt curationem. Ista omnia sunt clara. Gale. tamen in istis non posuit ultimam manum, imò confundit, quod ego fundamētis Galeni ostendam. Is enim cōmotus proponit tres indicationes principalissimas, quas curatiuas appellat, a quibus cæteræ oriuntur, prima est & principalis a morbo, secunda a temperatura, tertia ab aere. Nos autem diximus, indicationes a complexione & ab aere non esse curatiuas, igitur est discordia. Dico quòd confuse loquutus est Galenus, & quòd alijs det occasionem errandi. Itaque supponendum primo quòd solum morbus est, qui curatur, & ideo dicit, q̄ causa etiam proxima, quæ facit morbum, non faciat aliquam indicationem curatiuam, sed conseruatiuā. Si igitur non curatur, nisi morbus, non sumentur indicationes nisi a morbo. Quando autem indicatur mihi, quòd debeo præseruare, illæ indicationes dicētur præseruatiuæ, & hoc est quod Gale. nono Meth. ait, indicationem quæ sumitur a uirtute non esse curati-

ratiuam,cùm tamen paulo ante per unum caput appellauerit ipsam indicationem principalem & curatiuam. Vnde patet in Galeno confusio. Præterea quoniam dicit, principales indicationes sumi a morbo, a temperatura, & ab aere; a morbo quidem sumi curatiuas indicationes, est clarißimum. At quòd non sumantur a temperatura ostendo. Quando uolumus curare, consideramus temperamentum, primo prout est causa proxima efficiens morbum, uel prout est causa remouens morbum, uel prout est fundamentum morbi, & subiectum, quo modo solemus dicere complexionẽ esse causam proximam morbi si uerbi gratia aliquis propter calidam & siccam hepatis cõplexionem icteritiam inciderit, causa proxima huius morbi est ipsa hepatis caliditas, siue cõplexio calida & sicca. Hæc intemperies calida & sicca quam indicationem dabit? sumetur ne indicatio curandi ictericiam a caliditate hepatis? Minime: nam Gale. 4. Meth. & 9. & 10. dicit quòd ubi sumitur indicatio a causa proxima faciente morbum, illa est indicatio præseruatiua, & non curatiua. Hoc igitur modo, prout complexio concurrit cum causa morbi, natura dat indicationem curandi. Sed dicat aliquis, Nonne curabo intemperiem per contraria, per frigida scilicet & humida? Hoc quidem uerum est, sed tunc curabis aliam ægritudinem, non ipsam ictericiam, & curabis morbum a quo talis indicatio sumetur. Si uerò temperamentum concurrit, ut causa faciens sanitatem, ut uerbi gratia quis laboret fe-

bre

medicina, a qua non sumitur curandi indicatio. Si concurrit ut aer perniciosus, tunc limitat curationem: & ob id dicit Hippo. In Cane *& ante* Canem *&c. ibi indicatio curandi manet per euacuationem, sed prohibetur uel limitatur ab aere.* Itaque *apparet, quod neque ab aere, neque a complexione sumatur indicatio curandi.* Quando *autem dicit* Gal. *quòd ab aere, temperatura & morbo sumantur indicationes, uerū dicit: quoniam si debemus curare hominem, debemus considerare morbum et corpus recipiens ipsum morbum: & quoniam corpus est in aere, ideo aerem considerabimus.* Aeri *autem annexa sunt, tempus anni, constitutio præsens, regio &c.* A *temperatura pendent corporis habitus, ars, uirtus, & reliqua.* Igitur *illa tria sunt ueluti fontes reliquorum: morbus enim est fons, a quo sumitur curatiua indicatio.* Tempera*tura & aer sunt etiam fontes: temperatura quidem subiectiue, aer uerò causaliter, uirtus autem formaliter, ut apparebit.* Et *ab istis non sumuntur curatiuæ indicationes, sed limitant, & quandoque prohibent.* Et *hæc* Gale. *confuse declarauit, simul confundens indicationem curatiuam cum limitatione, quæ tamē confundendæ non erant; sic enim dedit alijs occasionem errandi.* His *sic se habentibus, dicit* Auicen. *Cōplexio etiam indicat uel prohibet uel limitat curationem, uel ipsam euacuationem: quia loquimur in hoc cap. de curatione, quæ fit per euacuationem materiæ, & dicit, quòd complexio calida & sicca est una ex ijs, quæ prohibent euacuationem.* Pro *quo scien-*

sciendum, quod dicit Gale. lib. quos & quando purg. oportet quòd euacuatio duo facit, (loquimur enim de euacuatione quæ fit per pharmacum solutiuum) primo quòd calefacit & exiccat, secundo quòd exoluit uirtutem, quia medicina solutiua est uenenosa, et si non esset uenenosa, non solueret. Et dicit Gale. *secundo facult. naturalium, medicamentum dum ingreditur uentriculum, esse contrarium ipsi uentriculo contrarietate formaliter.* Vnde dicit Gale. *medicina quæ contrariatur formæ, contrariatur omnibus ijs quæ ipsam formam consequuntur.* Habet *uentriculus, quòd attrahat sibi familiare, nedum pharmacũ inimicum, quod cogit ipsum attrahere etiam quæ sibi sunt inimica, & expellere quæ sunt familiaria, & quæ sibi conueniret: & si perseueraret, nec surgeret natura ad expulsionẽ, animal statim interiret, sed insurgit natura contra pharmacum, & ipsum expellit.* Constat *igitur, quomodo pharmacum dicitur esse uenenum, & contrarium ipsi formæ & essentiæ.* Vnde *omnia pharmaca destruunt ipsas uirtutes, et faciunt corpus senescere.* Cùm *igitur medicina, habeat hæc duo corpora calida & sicca, facile resoluuntur, facile exiccantur & inflammantur, ideoq; illa intemperies limitat tibi, ne in tali corpore offeras pharmacum adeo solutiuum.* Ecce *igitur quomodo complexio est quoddam limitans & circunscribens, & si complexio est nimis calida & sicca, non tantum circumscribit, sed penitus prohibet euacuationem. Quare secundum gradum temperaturæ debemus augere,*

uel

uel minuere euacuationem. Si uerò complexio fuerit frigida & humida, non tolerat euacuationem, quia contraria contrarias debent habere operationes. Dico, *quòd debemus etiam considerare, an uirtus toleret: in hac enim stat uita; uita autem in calore. Cùm modo complexio sit frigida, ideo ibi est parum caloris, & ideo non debemus dissoluere illum paruum calorem, quia non poterit corpus ægrum subsistere.* Eadem *est ratio de corpore frigido & sicco. Sed dicit* Auicen. *quòd corpus calidum & humidum tolerat euacuationem, quoniam in calido & humido stat uita, & multus calor naturalis, quādo uirtus est fortis, ob id facile tolerat euacuationem.* Ad*uertendum tamen, quòd hîc solùm intelligimus temperaturam calidam & humidam, non considerando alia quæ contra indicant: quia si esset temperatura calida & humida, & ætas pueritiæ, tunc ratione ætatis prohiberetur euacuatio: sed nunc loquimur de limitantibus simpliciter.* Vnum *autem est, quod debemus probare, quòd uirtus est fons omnium limitantium.* Igitur *complexio calida & sicca prohibet: quia timemus resolutionem uirtutum.* Frig. *& humida, frigida & sicca pariter propter debilem uirtutem.* Calida *uero & humida tolerat, quia uirtus est fortis.* Igitur *uirtus est fons & regina omnium limitantium, formaliter tamen intelligendo: quia subiectiuè temperatura est, effectiuè autē aër, ut declarabimus.* FIGVRA *autem scilicet superfluitas maciei aut raritas, ab ea prohibet, propter*

pter timorem ne spiritus resoluatur. Secundum ordinem Auic. hoc est quartum limitans, scilicet figura. Sed si dimittamus repletionem, esset tertiũ limitãs; primum uirtus, secundum complexio, tertium figura. Ostendimus autem, quomodo uirtus est fons omnium. Modo consideremus figuram. Hic appellat figuram impropriè, cùm deberet appellare habitum corporis, ut est raritas, uel densitas texturæ, gracilitas, pinguitudo, neque abs re ista sunt consideranda cum omnes istæ limitationes, ut dixi, oriantur a uirtute; uirtus autem, ut notat Gale. 11. Meth. in tribus consistit, in solidis, in humoribus, & spiritibus. Vbi solida sunt, qualia esse oportet, non nimis rara, non nimis dẽsa, non nimis gracilia, non nimis pinguia, sed mediocria, faciunt uirtutem fortem: & ideo considerat Auicen. tum solida, tum humores, tum spiritus. Membra solida autem fundamentum sunt uirtutis, humores tãquam origo & soboles, spiritus domicilium animæ, uel ipsa anima, (hic enim semper reliquit dubium Galenus) Igitur alio modo se habent spiritus ad uirtutem, quàm humores ad solida. Dicit igitur Auicen. Si quis est repente euacuatus, habet faciem Hippocraticam si raræ fuerit texturæ, quoniam humores mutat, & habitum corporis. Videmus etiam, quomodo ex spiritibus mutetur habitus corporis, ut ex gaudio, mœrore, aut tristitia, aut alijs. Optime igitur Auicẽ. discurrit circa ista tria, & incepit a gracilitate, sed peruertit ordinem, statim enim debebat loqui de suo opposito, scilicet de pingue-

pinguedine. Quoniam igitur dicit, Quòd corpora quæcunque fuerint gracilia, etsi corpus indigeat euacuatione, &c. Habitus *tamen corporis limitat euacuationem, imò quandoque prohibet.* Nam *si uerum est, quòd uirtus stet in membris solidis mediocriter se habentibus si eadem nimis gracilia & exiccata fuerint, ipsa quoque uirtus minus exiccatur et exhauritur, redditurq; debilior: et ideo nō debemus tale corpus quantum oportet euacuare, sed secundū gradum maciei erit limitanda euacuatio, ita quòd quādoque etiam omnino ipsa euacuatio prohibetur, ut in corporibus tabefaciētibus, uel si corpus fuerit rarū potest enim esse raræ texturæ, sed nō statim tamē gracile, ut in pueris apparet, qui pingues sunt.* Cognoscitur *autem raritas texturæ tactu maxime, quoniam caro mollis percipitur.* Tales *igitur minime sunt euacuandi tantum, quantum morbus indicarit.*

Totum *autem ad uirtutem dirigitur.* Accedit *modo* Auicen. *ad humores, cùm debuisset accedere ad pinguedinem, ad quam nos ordinatè procedentes accedimus. Si igitur fuerit corpus pingue, quod contrarium est gracili, uideretur quòd corpori pingui debeatur euacuatio: sed notetis, quòd gracile pingui non est uerè contrarium, quia non est secundum omnes partes contrarium: nam licet gracile contrarietur secundum humiditatem, non tamen contrariatur secundum qualitatem actiuam, quoniam pinguedo semper stat cum frigiditate, gracilitas autem cum caliditate & frigiditate.* Ob *id pingui gracile non*

est omnifariam contrarium. Et *ideo animalia humida in hyeme magis pinguescunt, quoniam dominatur frigiditas.* Nunc *autem loquimur secundum medicos: quia aliter uoluit* Aristo.*qui uoluit pinguedinem a calore moderato fieri. Corpora igitur quæ sunt pinguia, non tolerant multam euacuationem, non quia uereamur exiccare, sed propter paucam caliditatem, quæ una cum humoribus a pharmaco exhauritur.* Ex *quacunque enim euacuatione calor naturalis & spiritus debilitantur, & euacuantur una cum materia mala. Sicut in patiente hydropem, inquit* Hippo.*euacuata repente aqua, hominem mori conspicimus.* Dicit *igitur* Auicen.*quod in euacuatione humoris primo remanet corpus pingue frigidius. Secundo cùm humores sunt in uenis, & uenæ sint coarctatæ propter pinguedinem, uenæ illæ concidunt, suffocantur corpora, quoniam calor & spiritus non possunt transire.* Tertium *damnum est, quòd dum uenæ comprimuntur, exprimunt eiam aliquid humoris, qui cũ non poßit transire, facit inflationes intrinsecas, & apostemata. Est etiam aliud.* Nam Galenus *in eo aphorismo,* Corpora *ubi uacuare uolueris &c. dicit, quòd in istis corporibus est uenarum cõstrictio.* Euacuatio *autem fieri non potest, nisi calidißimis medicamentis, quæ maxime calorẽ naturalẽ debilitant: igitur maxime ab euacuatione cauendũ est in corpore pingui, hoc autem est propter ipsam, uirtutem. Si uero humores fuerint præter naturam & mali, corpusq́; fuerit gracile, in illis non potest*

esse

esse uirtus, maximè uerò si fuerit bilis flaua aut atra hæ enim maxime uirtutem prosternunt. Quapropter, inquit Auicen. Caue ne in hoc casu euacues quātum oportet, præsertim cùm sit corpus gracile. Quid igitur agendum? Dicit Auicen. Oportet blandiri. Appellat, Blandiri, quod Gale. uocat, facere epicrasim, in tertio Meth. ubi erat copia malorum humorum, cum resolutione uirtutis, de qua superius locuti sumus. Epicrasis fit cum contrarijs. Erant humores acres, ideo mutauit uictum ad frigidum & humidum delicatè. Modo audiuistis, cùm uirtus constat in humoribus, si humores non sunt apti ad nutritionem, si non sunt boni, deficiet spiritus, quia non adest sanguis propter malos humores. Ideo dicit Auic. aduerte etiam ad istum defectum sanguinis: quando aliquis parum comedit, caue ne euacues quantum tibi morbus indicat: quia ille non habet multum sanguinem, cùm parum comedat: cùm non habet multum sanguinem, non habet multam uirtutem, igitur non tolerat multam euacuationem. Ad uirtutem igitur semper, tanquam ad reginam, omnia reducuntur. Accedamus modo ad accidentia. Accidentia sunt nonnulla, quæ debent a medicis cōsiderari, Cùm euacuatio, quæ fit per pharmacum perturbet humores, uirtutem, & exiccet corpus, Oportet aduertere accidentia, quibus homo est obnoxius. Exem. gra. sunt nonnulli, qui a quacunque leui agitatione humorum incidunt in podagram, nonnulli in tremorem in conuulsionem. Et ego uidi quendam medicum qui cum uel-

let præseruare aliquem a podagra, euacuauit homi nem, & statim incidit in magnos dolores podagricos. Ideo oportet esse prudentem. Nam antiqui dicabunt templa medicis, tanquam dijs, medicis inquam non quibusuis, sed qui non errabant. Oportet ergo q medicus sit homo diuinus. Nolite igitur euacuare eum, qui sit similibus accidentibus subiectus. Et ista limitatio etiam sumitur a uirtute, quæ non tolerat. Sed cùm loquitur de spasmo, quoniam medicamenta calida facile propter acrimoniam inducũt spasmum, nisi spasmus fuerit ex repletione, quia si epilepticos non euacuabis, fiet apoplexia: igitur in hoc casu debetis euacuare, quia est longè maius nocumentum ex permißione illius materiæ, quàm in euacuatione illius materiæ ratione trãsitus per ipsos neruos: quia si permitteretur illa materia, fieret apoplexia. De ætatibus illud obseruandum, quòd ætas pueritiæ & ætas decrementi non admittunt pharmaca, propter casum uirtutis. Pueri non tolerant euacuationem, quoniam calor puerorum fundatur in humiditate: unde corpora puerorum sunt maxime euaporabilia, & pueri longè sunt humidiores quam calidi. Cùm igitur plurimum euaporent corpora puerorũ, statim incidunt in debilitatem uirtutis, & ideo non tolerant fortem euacuationem, præsertim cùm indigent calore & pro concoquendo nutrimento, & pro augmento, & materia, quæ ista præstat. Senes contrario modo, ratione frigiditatis non tolerant euacuationem, quia exhauriretur calor & spiritus per medi-

medicamēta, et ratione habitus, quia senes sicci sunt. Igitur habemus hactenus quinque, scilicet uirtutē, complexionem, figuram, accidentia, & ætatem. De*sunt alia quinque limitantia, de quibus in his quæ sequuntur.* HORA *quoque multum calida aut multum frigida ab ea probibet.* Q*uando omnes istæ conditiones limitantes eodem cursu currunt, ideo erimus breuissimi in istis quinque reliquis, ut ad nobiliora & utiliora accedamus.* Eodem *modo quo illa quinque dicta limitant, ita quoque & tempus anni, quod* Auicē.Horam *uocat.*Limitant *igitur, uel quia permittunt uel quia prohibent euacuationem: nam ut corpus ualde calidum aut frigidum limitat euacuationem, sit tempore ualde calido aut frigido non debemus euacuare: quoniam cum tempus sit calidissimum, & corpora exiccarit & excalefecerit, si demus pharmacum calefaciens insigniter, resoluetur uirtus, & concident iam prius a uehementi calore satis resoluta.*Præterea *tunc temporis calor trahit humorem ad circunferentiam: si demus autem pharmacum, trahet ad centrum, sicq; motum faciemus cōtrarium ei, quem intendit, natura, & per consequens uires deijcimus.* In *hyeme est totum oppositum nam humores tunc crudi sunt, & tardè concoquuntur, & uiæ strictæ sunt: concocta autem oportet medicari & fluida facere, quæ purgare uoles corpora.* Igitur *omnia contraria in tēpore hyemis. ideo abstinendum ab euacuatione est.* In *uere & autumno magis conueniet.*Regio *eandem habet rationem, cū*

tempore anni. Est & ipsa anni constitutio, quæ idem prorsus est, sicut tempus anni: unde sicut & in illis, nimis calida uel frigida probibet euacuationem propter easdem rationes.

Tandem est consuetudo, de qua lib. de consuetudinibus Gal. et primo de ratione uict. Secunda apho. 48. 49. & 50. in illis aphorismis docet quæ consueta sunt, & non consueta. Certum est, quòd quando uolumus repente immutare corpus ad aliquid inconsuetum, tunc facimus magnum saltum sine medio quod maxime est naturæ contrarium. Itaq; ægrum non consuetum euacuari, repente non debemus euacuare. Postremò est Ars. decimum inter limitantia, quam maxime debemus considerare. Nam si uersatur in balneo, talis perpetuo sudat, semp est tale corpus inanitũ. Si sunt. n. uerbi gra. pistores, nautæ, milites, agricolæ, & maximis exhausti laboribus, non debent euacuari, quantum morbus indicarit. Et sic apparet, quomodo hæc omnia limitantia dirigantur ad uirtutem, tanquam ueram reginam. Dicit Auicen.

SCIAS *præterea q, intentio in omni euacuatione est una quinque rerum.* Accedit *ad illas quinque indicationes, & non potuit melius dicere, quam q, intentio est ea quæ desumitur ex quinque rebus. Quãdo enim uolumus curare, intentionem nostram dirigimus ad morbum, quem uolumus curare. Decẽ uerò illa limitantia non faciunt intentiones nostras dirigere ad morbum, sed solùm istas intentiones limitant. Notetis modo, quam primum medicus accedit*

ad ægrum, statim dirigit intentionem ad hoc, ut curet morbum. Sed quoniam ipse morbus potest curari, neque ista intentio curandi potest deuenire ad actum, nisi distinguantur, quoniam actiones hominũ sunt circa particulare, ideo non oportet quòd sit aliquod commune dirigens actionem medici. Intendit igitur curare morbum. Hoc autem est quoddam commune, igitur oportet q, indicet, quis sit ille morbus, qui debet curari, & ita sumẽtur indicationes a particulari morbo. Indicatio igitur distinguit intentionem, quæ de se est indistincta & confusa, & quanto istæ indicationes sunt magis distinctæ, tanto intentio agendi quoque magis erit distincta. Indicatio enim est posterior ipsa intentione. Intentio autem est principaliter consideranda a medico. Sed modo quid est quod distinguit indicationes? Est methodus diuisiua. Videmus hoc in discursu. Intendo curare morbũ: oportet igitur quòd indicetur mihi, quis nam sit iste morbus. Quid erit illud, quod mihi distinguet morbum? Non erit aliud, quàm methodus diuisiua, quæ distinguit indicationem, & postea distinguit intentionem. Intendo igitur curare morbum. Morbi autẽ quia sunt multiplices, ideo debeo eos diuidere. Itaque dico, quòd morbus est uitium humani corporis, & est uitium in aliquo principio humani corporis. Principium primum est contemperantia primarum qualitatum, secũdum compositio, tertium unitas partium. Et in istis potest esse uitium. Igitur uel erit morbus in complexione, uel in compositione, uel

in soluta unitate. Sunt igitur illa tria genera. Habemus per signa, quòd sit in complexione: si in complexione, uel cum materia, uel sine materia. His *suppositis habeo quòd est complexio cum materia: sed quæ sit materia, habebo per sua signa, uerbi gratia quòd est materia biliosa.* Igitur *acquiritur intentio euacuandi materiam biliosam.* Sed *si debeo euacuare materiam cholericam, habeo solùm quid agẽdum, uerùm oportet insuper scire, quantum huius humoris sit euacuandum, quando, quomodo, & ex quo loco.* Ideo *quinque sunt istæ conditiones, quæ dirigunt medicam actionem.* Primo *igitur habeo quid agendum, scilicet esse euacuandam materiam biliosam: quando, indicabit mihi tempus, quando nimirum facilis erit materia ut expellatur.* Hoc *autem erit, quã do materia est concocta.* Volo *itaque eligere tempus idoneum euacuandi, quando materia est concocta.* Hoc *me docebit concoctio, quæ separat bonum a malo. & ita cùm concoctio semper habeat hunc finem, tunc quando materia erit concocta, erit separatum inutile ab utili: & quando est separatũ, natura quærit expulsionem illius, quod est uerè excrementum.* Quando *igitur natura quærit expulsionẽ, si natura potest permitte hoc opus naturæ: si uerò natura non potest, & natura nõ mouet, moue tu hora motus eius, inquit* Auicen. Quæ *est hora motus eius?* Quando *natura separauit bonum a malo, tunc enim habemus omnia parata, & si naturam adiuuabimus facile euacuabimus.* Habemus *igitur iam secundam intentionem*

tionem distinctam, eligendi.s.tempus idoneum.

Quantitatem autem euacuandi sumimus a quantitate humoris peccantis. Si materia sit multa, multũ euacuamus: si pauca, parum. Igitur intentio euacuãdi talem quantitatem dirigitur ab indicatione sumpta a quantitate materiæ.

Quomodo sit euacuandum, scimus a natura materiæ, quæ consistit in duob. Vel enim ab ipsa qualitate sumitur, uel ab ipso motu materiæ. Ab ipsa qualitate, uel enim replet quoad uasa, & tunc eligimus modum euacuandi per phlebotomiã: uel quoad uirtutem, & tunc cum pharmaco fit euacuatio talis materiæ. A motu materiæ: quo enim motu natura mouet, etiam medicus mouere debet, inquit Hipp. & per cõueniẽtes regiones ducere: uerbi gratia, si natura mouet deorsum, per inferius euacuamus: si sursum, p uomitum: si per sudorem, per sudorem. et in uniuersum quò natura rapit, medicus per eas regiones euacuare debet. Alia intentio dirigitur ad locum, per quem debet euacuari illa materia. Considerandum igitur, per quem locum, & quis sit iste locus, per quem euacuatio facienda est. Verbi gratia si fuerit materia in gibbo hepatis, cùm uideas, quòd coniungitur cum ramo uenæ cauæ, quæ est in gibbo, & extenditur uersus uasa urinaria, cum ibi patens sit uia, & proxima non poteris cõmodius euacuare, q̃ p urinas. Si fuerit materia in concauo, euacuabis p intestina commodè. Et ideo situs horum locorum, & affinitas quæ per diuisionem habetur, distinguit intentiones. Et ideo ex

bis oriuntur quinque illæ indicationes, quæ dirigũt illas intẽtiones, quæ sunt primo, & p se curatiuæ, & quantum est in seipsis, nunquàm uariantur. Quando iam habeo, quòd debeo euacuare talem materiam, uel tantam, per pharmacum, in tali tempore, & per talem locum: nihil aliud restat, nisi euacuare. Sed tamẽ oportet accedere ad illos tyrannos, qui quandoque limitant actionem nostram, quandoque prohibent. Et *ista decem sunt, quæ faciunt artem longam; quia inter reliqua oportet cognoscere terminum cõplexionis, quem dicit* Gal. *si scire posset, putaret se Aesculapium esse. Quis enim est ille, qui cognoscit gradum uirtutis? Quocirca ista decem limitantia sunt, quæ artem medicam coniecturatiuam faciunt.* Nemo *enim potest attingere illam metam, ut sciat limitare, sed tamẽ scimus, quòd uulgus superamus.* Et *ista sunt in causa, quod* Auerroes *noluit medicam artem exercere.* Inde *etiam est, quòd dicit* Hippoc. Ars *longa, uita breuis, quoniam est difficillimum iudicare quando sit euacuandum, quantum, & quomodo, propter illa dicta limitantia.* Et *ideo experimentum periculosum, quia possumus errare, & occasio est præceps, nam dant medici consilium quid agendum, & interim ægri moriuntur.* Attamen *si non essent ista decẽ limitantia, essent asini etiam medici.*

Videbamus *hesterna lectione, quemadmodũ* Auicen. *proposuit intentiones, quæ uerè dicuntur intentiones curatiuæ: & uidimus quomodo distinguantur ab istis indicationibus, quæ indicationes, à* Methodo

diuisiua distinguuntur. Modo prosequitur Auicen. quod proposuerat. Cùm enim sint quinque illæ intentiones, prima est in essentia rei, quid agendum: reliquæ postea analogicè referuntur ad illam. s. quantitas, quando, quomodo, & ubi. principaliter igitur indicatio sumitur a rei substantia, & est euacuatio materiæ: quoniam talis morbus est complexio depẽdens a materia. Repletio *igitur primo indicat euacuandum, et cùm repletio sit materiæ biliosæ, oritur indicatio distincta euacuandi materiam biliosam.* Ad *cuius euacuationem, dicit* Auic. *sequitur tranquillitas.* Hic *moderni nesciunt quid dicant: propterea ut sciatis, quomodo euacuatio, quando bene fit, inducit tranquillitatem in humano corpore, primo sciendum est, quòd quando euacuatur illud, quod euacuari debet, tunc sequitur tranquillitas.* Sed *quid est illud, qđ euacuari debet?* Est *illud superfluum quod lædit actu, uel quod læsurum est operationes.* Superfluum *autem est in triplici differentia.* Dicitur *superfluũ, quod est uerè excrementum in corpore: dicitur superfluum, quod in quantitate peccat: dicitur etiam superfluum, quod qualitate uitiosum est.* Superfluum, *qđ uerè excrementum est, ueluti repletio urinæ & fæcum in uentre inferiori, id in quacunque sit quantitate, melius est ut expellatur.* Superfluum *secundo mõ est, cùm uenæ sunt repletæ sanguine, ut sit periculum suffocationis uel ruptionis uenarum. hæc etiam superfluitas ubi educitur, semper facit tranquillitatem, & quocunque tempore fiat, semper est oportuna,*

na, neque est expectanda concoctio, semper est commodum tempus, quia natura semper facit, & expellit; quocunque tempore, igitur & medici debent idẽ facere. Et *ita ad harum superfluitatum euacuationẽ, sequitur tranquillitas, dummodo illa decem limitantia permiserint, hoc enim semper debemus supponere.* Est *tertia superfluitas, quæ peccat malitia, siue mala qualitate impressa in illo humore, ratione cuius malæ qualitatis natura non potest illam tolerare & ideo est necessarium quòd expellatur: & dicitur ista repletio quoad uirtutem, ex qua spiritus offenduntur, & calor naturalis.* Ista *tertia superfluitas, quotiescunque euacuatur, non semper sequitur tranquillitas.* Igitur *oportet q. expectetur concoctio, ut scilicet natura utile ab inutili separet.* Nam *ista materia cum est cruda, est cum bono mixta: & concoqui dicitur, non quoniam uertatur ad benignum, sed solum quia a bono malum separatur.* Et *ideo si talis superfluitas euacuatur ante maturationem, iuuatiuũ simul euacuatur cum nocitiuo, quocirca dicitur euacuatio symptomatica, unde uirtus debilitatur.* Secundo *cùm ille humor uiolenter expellatur, in illo uiolento motu facit excoriationem, & non fit expulsio ad debitum terminum, & materiam illam cùm non potest expellere natura, adhæret alicui membro, & sequuntur maxima accidentia.* Et *ideo quando medicus euacuat ante concoctionem, magis adhuc errat, quàm natura: nam natura facit coacta; sed medicus facit, quando deberet aliud facere.* Et *ideo sequuntur*

maiora incommoda, quàm quando natura expellit symptomaticè. Et in tali euacuatione non sequitur tranquillitas. Quando autem talis materia est concocta, a bono separata, si euacuatur, sequitur proculdubio tranquillitas. Et hoc est quod hic dicit Auic. Sciendum autem, quòd quando dico, humorem peccantem in qualitate, intelligo peccare in qualitate secunda; non autem intelligo de qualitatibus primis. Quando uerò peccat in qualitatibus primis, tunc est complexio sine materia. Si igitur materia est calefacta; debet refrigerari, si adest putredo, tolle putredinem, et illam euacua. Notetis uerò, quoniam posset esse dubium, quod quarto Aphor. 11. & in secundo Aph. primæ particulæ, Gal. aduertit, quomodo nimirum cognoscamus a priori & a posteriori humorem qui debet euacuari. A priori, non ut Logici, sed a priori, hoc est quando cognoscimus rem antequàm fiat. A posteriori, quando cognoscimus rem quæ est facta. Dicit Gal. quòd cognoscimus humorem a priori, a colore citrino, tempore calido & sicco, similibus cibis, pulsu frequenti, ex istis omnib. cognoscitur bilis. Et quid dico de bile, idem de reliquis dico. A posteriori cognoscimus, quia sequitur tranquillitas: magnum enim signum erit quòd id quod debebat euacuari est euacuatum, quando sequitur tranquillitas, & est signum firmum. Et ideo dicit Auic. quando est euacuatum, quod debet euacuari, sequitur tranquillitas semper, nisi aliquid superueniat, ut uerbi gratia propter motum materiæ, sequitur excoriatio, dolor intestino
rum

rum,& quia spiritus commoueantur,& etiam sequitur febris ephemera. Et *quando tale aliquid consequitur, nō pōt sequi tranquillitas tam cito:tamen sedato dolore,sequitur postea tranquillitas.* Nam *quā do materia euacuatur,cùm fuerit concocta, & in debita quantitate euacuetur,&secundum omnes alias conditiones,& nullus sequatur error, tunc necessario sequitur tranquillitas.* Nunc *in seq.proponit errores,qui circa euacuationem accidere poßunt.* Non *credatis,quod doceamus ista, quia debeamus assequi exquisitißimum scopum harum rerum, semper est aliquid in quo erretis.* Ista *ars est magna ex parte coniecturalis,& ideo contingit,quòd medici errent. Sed boni medici leuiter errant,& non in eodem errore errant:mali autem medici grauiter errant, & in eodem semper errant.* Solus *Deus scit exquisite hanc artem.* Dicit *Gal.nos esse bonos medicos quantum homini conuenit:& ideo supponit* Auic.*q, etsi utamini omni diligentia,quòd sequetur aliquis error,sed tamen postea apparebit tranquillitas cito.*

ET *secunda est consideratio partis suæ declinationis,sicut nausea & mordicatio in uentre.* Propo*sita fuerat supra illa intentio,quæ spectat ad morbū curandum,& ad ipsam euacuationem materiæ faciē dam.* Modo *prosequitur intentum, ipsum scilicet modum euacuandi.* Intentio *igitur nostra est non tantū euacuare,sed habere conuenientem modum euacuandi,qui modus ab aliqua pendet indicatione.* Modum *igitur indicat declinatio humoris, siue declinet ad*

partem

partem superiorem, siue inferiorem, siue in dextram uel sinistram, ante uel retro. Oportet modo, ut distinguat aliquid, quoniam est indicatio simplex, quò scilicet declinat humor. Sed in 21. Aphor. primæ part. Gal. non solum considerat declinationem humoris, sed etiam conuenientiam loci. Ob id dicit, quo natura uergit eò ducere, per conuenientes regiones oportet. Auic. autem tacuit unam conditionem, & causam ui debitis, quoniam ponet hanc conditionem in indicatione, quæ sumitur a loco: quia distinguit Auic. has duas intentiones, Hipp. autem & Galen. commiscent. QVA descendit humor, eò ducere oportet. Qua descendit, si est mordicans in parte inferiori, est signũ ꝙ declinat humor ad partes inferiores: igitur per illas partes debet fieri euacuatio. Si autẽ percipit nauseam, signum est quòd materia declinat ad partem superiorem, & tunc per superiora facienda est euacuatio. Quod alibi dicit Hipp. quòd ubi fuerit dolor supra septum transuersum, est facienda euacuatio per superius: at si infra septum transuersum, facienda est per inferius. Sed dubium est, ex 68. Aphoris. quintæ particulæ, ubi dicit, Dolenti circa posteriorem partem capitis, secanda uena frontis. Vbi Gal. dicit, quòd fit reuulsio per diametrum oppositum. Igitur non uidetur uerum, quòd ubi inclinat humor, ibi facienda sit euacuatio, igitur uidetur ista regula falsa. Debetis scire, quòd Gal. 4. Meth. 6. dicit, euacuationem fieri tripliciter: quædam enim fit reuellendo, quæ Reuulsiua dicitur: quædam deriuando, & dicitur De-

riuatiua: quædam est euacuatio simplex, quæ simplex euacuatio indicatur nobis, quotiescunque humor ita se habet, quod non figatur in certo quodam loco, ut faciat abscessum & dolorem, sed tentet exitũ & ideo quando tentat exitum, & ille locus sit conueniens, indicatur nobis, quòd debet euacuari per illam regionem. Ob id bene dicit Auic. *quòd si fuerit nausea, uel mordicatio, non dicit ibi esse materiam firmam, ita quòd sit dolor, quoniam quando humor figitur in loco, ut fiat abscessus, ut in pleuresi contingit, & quando in capite figitur dolor certus, tunc est conueniens, inquit* Gal. *quòd pro eo humore, qui figitur in loco, nos debemus retrahere humorem ad partem oppositam in hoc enim casu non inclinat, sed figitur, & ideo debetur illi euacuatio per partem oppositã. Si autem humor fixus est iam in ista parte, debetur ille deriuatio, hoc est euacuatio in parte propinqua, scarificanda loca circumiacentia. Est igitur hic deriuatio, reuulsio, & euacuatio simplex: hæc indicatur nobis, quando humor inclinat ad aliquam partẽ, non ut figatur, sed ut educatur, & expellatur. Et ita uidentur omnia facilia circa istam partem.* TERTIA *est membrum egreßionis eius a parte declinationis eius, sicuti basilica dextra in affectu hepatis, & non sinistra. Nunc modo distinguit indicationes, quæ sumuntur a loco, quæ dant locum commodum, per quẽ poßimus euacuare, quod proposuit in illo* Aphoris. *Quò natura rapit, eo ducere oportet p conuenientes regiones. Oportet declarare illud, per conuenientes*

regiones

regiones. Igitur indicatio quæ sumitur a loco, non solum indicat nobis an sit euacuanda materia per superius uel inferius, sed indicant etiam nobis locum determinatum. Vbicunque igitur materia est euacuanda, & uolumus habere indicationem a loco, dicit Auic. primo debemus eligere, qui habeat rectitudinem situs cum loco, ubi est materia euacuanda, aliud tamen est secundum rectum, aliud secundum rectitudinem & κατ' ἴξιν. Diximus autem de hac inferius. Supponamus nunc, quòd debemus seruare rectitudinem situs in euacuatione; si materia est in parte dextra, debet euacuari in parte dextra. Sunt enim tres diametri. s. a dextro, a sinistro, secundum latus: a superiori & inferiori secundum longitudinem: ab ante & retro, secundum profunditatem. Igitur rectitudo erit uno horum trium modorum, & oportet ad hoc quòd seruetur rectitudo, ne trãscẽdatur unus diameter, ut uidebitis. Igitur in euacuatione materiæ est seruanda rectitudo. Et adfert exemplum de longitudine, & si fuerit inflammatio in hepate, debemus secare basilicam dextri lateris, & non debemus eligere cephalicam. Cur hoc? Supponimus nos, quòd debemus seruare rectitudinem, eligitur basilica, cur nõ cephalica? non ne seruatur rectitudo etiam in cephalica? Sciendum, quòd rectitudo debet etiam esse secundum debitum terminum, quia non solùm debet seruari rectitudo situs, sed etiam popinquitas loci, ubi educitur materia. Quando igitur sanguinem a cephalica mittimus, seruamus rectitudinem secundum

ſitum,ſed non ſeruamus rectitudinem ſecundum omnes conditiones,quoniam uena caua aſcendit, & facit baſilicam,poſtea deuenit ad caput per multos ramos,& protenditur cephalica, & ideo ſi ſecaretur cephalica,non ſeruaretur rectitudo, quoad primum non ſeruatur i?is & commodus acceſſus, quoniam quod timere euacuatur,commodius euacuatur, ſicut contingit in baſilica,quod non eſt in cephalica,habet enim cephalica communitatem,magis cum cerebro, & ideo ſi trahatur materia a cephalica,trahetur ſanguis ad caput,& poſſet facere in capite inflammationem,& ob id in inflammatione hepatis ſecanda eſt baſilica,quia tunc ſeruatur rectitudo uiarum. ET locus conueniens. Secunda conditio eſt, quòd locus ad quem trahitur materia non ſit nobilis, & hoc eſt quod dicebat Gal.quod ducere materiam oportet per conueniẽtes regiones,quia oportet ducere materiam per locum non nobilem,ſed conuenientem:quia ſi traheretur materia,quæ eſt in uentriculo, per pulmonem,non eſſet ducere materiam per locum conueniẽtem. Quando igitur locus ad quem inclinat materia ſit nobilior,per illum non debet fieri euacuatio.

TERTIA conditio eſt,ut ſit affinitas ad inuicem locorum,qui communes habent uias, ut quando in concauo hepatis eſt aliqua materia, commodiſsimè educitur per inteſtina, quia contrarietas eſt per uenas meſaraicas, habet enim hepar maximã affinitatem cum inteſtinis.Si materia fuerit in capite, commodiſſimè educitur per nares;ſi in pulmone, per tuſsim p

tracheam arteriam. Hæ ſunt tres conditiones, quæ ſemper ſunt ueræ, niſi in duabus exceptionibus: habet ſolum duas exceptiones. conditiones ſunt tres, & exceptiones ſunt duæ, ut dicit Auicenna. *Illa particula Nam, eſt notans exceptionem, & ideo ponit* Auicen. *duas exceptiones, licet ſint illæ tres cõditiones tamẽ ſi primo membrum illud, ad qđ debemus trahere, ſit ægrum, uel diſpoſitum naturaliter ad aliquam ægritudinem, non debemus euacuare: ut ſi uerbi gratia ſit materia in concauo hepatis, deberemus trahere per inteſtina; quòd ſi inteſtina ſunt debilia, gracilia, & ſoleant pati dolores maximos, in hoc caſu non eſt euacuandum. Sit etiam aliquis, qui habeat nauſeam, et ſit euacuanda materia per ſuperius, aut ſi uentriculus ſit ſolitus pati a leui cauſa ſyncopim, tunc non debemus euacuare per ſuperius. Secunda exceptio eſt, quoniam ſæpe contingit, ꝙ ſit tanta materia in corpore, aut repletio, ut in capite, aut in oculo, ſi forte ſit inflammatio, tu uis deducere illam materiam per gargariſmata, tu ſeruas omnes illas tres conditiones, ſunt uiæ conuenientes, deducis a nobili ad minus nobile: ſeruatur rectitudo, tamen non eſt euacuanda materia illa plurima, nam trahes materiam illam, quæ plurima eſt, ad fauces, & facies ſynanchem, imo poteris interficere hominem. Et ideo ubi locus fuerit naturaliter debilis, & anguſtus, non debemus trahere ad illum locum, etiamſi plurima fuerit materia.*

NATVRA *quoque plerunque taliter operatur, & euacuat, non per partem qua conſueuit, ideo ut mem-*

brum custodiat cum debile fuerit. Quando Auicen. posuit hæc duo impedimenta, scilicet debilitatem loci, & multitudinem materiæ, dicit modo quòd debemus imitari naturam. Nam sæpe ubi in capite est multa materia, quæ alioqui deberet euacuari p nares & palatũ, tamen sæpißime natura expellit ad pedes, uel ad intestina, uel per hæmorrhoides. Videmus nos sæpe fieri per catarrhum descendentem, podagram, alui fluorem, quando non uidetur nimium nocumentum facere, trahere ad partes longinquas, q̃ si traheret ad partes propinquas, quia est periculũ suffocationis. Igitur cùm natura hoc agat, medicus etiam naturam imitando idem facere debet. Anteq̃ aliud dicamus, primo declarabo textum Aui. deinde discurremus, & dubitabimus circa materiam hanc difficillimam, & maxime necessariam. Nunc igitur aginus de hora euacuandi, & in hoc Auic. est confusus, diminutus, & obscurus, desunt uerba, deest sensus textus est maxime deprauatus, igitur attendatis. ET *quarta quidem est hora euacuationis eius. Audiuistis tres intentiones, quæ sumuntur ab essentia humoris euacuandi, & intentio illa prima dirigitur ab humore euacuando, secunda fuit eligendi modum, tertia intentio est eligere locum conuenientem, & audiuistis quomodo a tribus indicatur, a rectitudine loci. Secundo aduertendum erat, quòd materia trahatur ad partem ignobilem, 3. ut seruetur locorum affinitas. Quarto modo oportet eligere tempus commodum euacuationis. Tale tempus indicatur a conco*

ctione

ctione materiæ. Primo *igitur sciendum, quòd euacua tio quæ fit ante concoctionem, sit pessima. Quod ap paret primo a signo: quoniam quotiescũque natura cogitur euacuare ante concoctionem, semper sequun tur maxima pericula, & quasi mors.* Hoc *ostendit* Gal.4. *Aphor. ubi habet,* Inclinantibus *morbis, si bi-lis atra suprà uel infrà &c.* Igitur *natura euacuat nunquàm, nisi cogatur ante concoctionem materia: cogitur autem propter malitiam aut acrimoniam humoris. Quando autem humores sunt corrupti, & euacuetur ante concoctionem, sicut contingit in fe-bribus pestiferis, ut in 3. epid. dicit* Hippoc. *quòd flu xus colliquatiuus est signum inseparabile febrium pestiferarum, in quibus est materia maligna, unde cogitur natura ad euacuationem illius materiæ.* Hoc *idem à causa ostendit: quia ubi materia euacuatur ante concoctionem, materia non est æquata, unde hu mores acuti si euacuentur, erodunt, & fiunt dysente-riæ, & cùm uiæ etiam non sint per uiæ, non fit expul sio, sicut deberet fieri: & ideo materia hæret alicui membro, & facit inflammationẽ, & sequitur mors.* Et *ob id dicit* Gal. *sæpissime, quòd non est ante con-coctionem euacuandum, præsertim in eo* Aphorismo, *Concocta medicari &c. & in lib. Quos & quando purg. Ob id dicit* Auic. *quòd tempus euacuandi sumi tur a maturatione humoris, sed est expectanda con-coctio, quia in concoctione adæquantur humores, & contemperantur, & ideo non lædunt, cùm expellun-tur. secundo bonum à malo est separatum.* Tertio

quando bonum a malo est separatum, natura insurgit ad expulsionem, & quia ipsa non potest, adiuuat medicus naturam, & sic facillimè materia illa expellitur, & propterea est expectanda concoctio. Dicit igitur Auic. quòd tempus euacuationis sumitur a maturatione. NAM dicit Gal. penitus, quòd in chronicis ægritudinibus maturatio tantum & nihil plus est expectanda. Notetis uerba, quia sunt difficilia, nam si uellet Auicen. quòd Gal. uellet, quòd in chronicis tantum esset expectanda concoctio, non in acutis, esset signum Galenum nõ intellexisse, uel fuisse malignum, quod tamen non est dicendum. Expressè autem Gal. dicit, quòd etiam in acutis est expectãda concoctio: id quod expresse asseruit eo Aphoris. In acutis morbis cum præmeditatione procedendum. Quid igitur uult Auicenna? Dicit, quòd uult per Gal. quòd in morbis chronicis absque alia conditione semper est expectanda concoctio, nulla est exceptio: sed in morbis acutis non semper, tamen ubi materia fuerit furiosa, non expectatur concoctio. Igitur sensus est, quòd in chronicis semper est expectanda concoctio, in acutis non semper. Et ideo dicit textus antiquus, quod dicit Gal. penitus tamen in chronicis expectandam esse concoctionem. Sed textus ille est corruptus. Sed Andreas ille Bellunensis, non posuit illud Tãtũ, sed dicit, quòd in ægritudinib. chronicis est expectanda concoctio, & nihil aliud, hoc est semper, sine aliquo alio requisito, sine aliqua exceptione: quia quæ est ratio, q in chronicis non expe-

ctes euacuationem? Igitur absolutè hoc uerum est, ꝙ in chronicis est expectanda concoctio: & ob id debemus illam dictionem delere, quæ in textu illo antiquo reperitur, scilicet Tantum, nam in textu Andreæ de Alphango non reperitur. Hic autem unum sciendum ꝙ omnes moderni maturationem & confectionem confundunt cum præparatione, & quando materia est subtilis, crassefaciunt, quando crassa subtiliant. Hoc totum ipsi appellant concoctionem. Vnde deuenerunt in hunc errorem, cùm non assequuntur hoc quòd posuerunt, concoctionem apud philosophos aliam esse a concoctione apud medicos. Volebat enim Arist. in quarto Mete. concoctionem semper fieri in crassando, quotiescunque scilicet calor naturalis dominetur humido & sicco, ut reddat humidum & sic cum ad temperiem naturalem illi mixto conuenientem. Et dicit ibidem Auicenna quòd maturatio metaphoricè dicitur concoctio, quæ est in ipsis fructib. Et ideo est species concoctionis, quæ maturatio etiã apud Galenum in apostematibus concoctio non est, quæ dicta est ibi & definita ab Arist. & maturatio eius est species, diciturq; per metaphoram, per quandam similitudinem, uel analogiam dicitur concoctio. Illa igitur est maturatio, quæ a medicis aliter non intelligitur, q̃ ab Arist. Sed isti moderni iam non intellexerunt hoc: ideo in hunc errorem deuenerunt, ꝙ pro certo haberent, concoctionẽ non aliud esse quàm adæquationem humorum, hoc est ut quod est crassum subtilietur, quod subtile incrassetur. Et ideo cũ

uiderent apud Arist.q. concoctio semper incrassando procedit, ideo confugerunt ad hoc & dubitarunt, an concoctio semper fieret incrassando. Derideo au*tem ipsorum barbariem, & quòd non aduertant, se laborare in æquiuoco, de qua scilicet concoctione loquantur.* Dico igitur, *quòd concoctio humorum & præparatio longe diuersa sunt, sicut aliud est præparatio cibi, quæ fit in ore, ab ea concoctione, quæ fit in uentriculo, uel in iecore.* Igitur *maturatio diuersa est à præparatione: nam maturatio semper præsupponit calorem naturalem agentem. secundo subiectum humidum cum sicco, in quod agit.* Tertio *adæquationem, quæ conueniat termino & fini, & rationi formali rei quæ concoquitur.* Sed *præparatio diuersimodè fit, nam quod est subtile, crassefit; crassum subtiliat, si uiscidum, incidit.* Sed *hîc est una difficultas.* Dicimus, *quòd præparatio hoc facit, quòd id quod crassum est subtiliat, subtile crassefit.* Hic *uidetur esse dubium, quomodo quod tenue & subtile est indigeat crassefactione, nam quod est subtile, facile trahitur & educitur.* Quia *si materia fluit p se, facilius educitur, quod autem per se fluit, ut euacuetur non indiget crassefactione: & ob id* Gal. Apho. 24. *primæ part.* In *morbis acutis in principio &c. dicit, quòd ubi illa materia est crassa, tamē non debeat euacuari, nisi attenuetur.* Sed *quia posset aliquis dicere, quòd ibi hoc facit, & dat hyssopum, thymum &c.* Dicetis, *non dare propter attenuationem materiæ, sed propter apertionem uiarum, quia opor-*

Maturationis conditiones 3.

præparatio quō fiat

dubium

*oportet fluida corpora reddere. hoc tollite à Gale. quia ibi dicit,*Hoc *autem fit propter attenuátionem materiæ.*Ergo *uidetur, quòd semper materia debet reduci ad subtilitatem; quia quanto subtilior est, tanto facilius euacuatur, præsertim & Gale. ubi materia est furiosa, & subtilis, ipsam tamen attenuat magis.*Et *ideo non debemus præparare materiam subtilem, sed bene concoquenda est, propter illas rationes, quas adduxit* Gal. *in aph. 22. primæ particulæ: quoniam in concoctione separatur utile ab inutili. Secũdo si materia subtilis sit antequam sit concocta, natura non surgit ad illam expellendam, nisi sit furiosa & maligna, quia tunc cogetur, & ideo materia subtilis concoquitur, non ut præparetur, sed ut maturetur, & bonum a malo separetur, & natura insurgat ad eius expulsionem.*Igitur *argumentum concludit, quòd materia subtilis non debeat præparari, debeat tamen concoqui, quod non negaret* Galenus. *Sed dicet aliquis: uidemus, quòd materia subtilis est crassefacienda, aliter sequitur interitus.*Exem. gra. *est catarrhus subtilis, descendens in pulmones, nunquam excernetur a pulmonibus nisi crassefiat; quia si aer inuenit materiam subtilem, illa materia non resistit, sed diuisa facile hinc illinc elabitur, nec facile expelli põt: oportet igitur ut crassities acq̃rat, si debet expelli.*Dico, *quòd in hoc casu, quando materia est subtilis, et in pulmones delabitur, debet crassefieri.*Hæc *instantia non facit ad propositum: quia loquimur de euacuatione, quæ fit per pharmacum; secus au-*

tem est, ubi materia per aerem expelli debet, quia tunc debet crassefieri. igitur excipitur, iste casus. In alijs autem casibus magis expelletur, si subtilior erit. Dicet hic aliquis, est materia subtilis acris, debet ne expelli? Dico quòd poßit expelli ratione subtilitatis, tamen ratione acrimoniæ posset erodere. & ideo debet æquari illa materia, & illi blandiri debemus, facereq; epicrasim. Igitur semper est uerum, quòd materia subtilis semper est parata ad euacuationem nisi fuerit in pulmonibus. Accedamus mō ad textum Auicen. Docuit esse expectandam concoctionem, antequam materia euacuetur, & tu iam sciuisti ex secunda primi, quid sit maturatio. Postea dicit. ET antequam euacues. Hic est magna difficultas, quid sibi uoluerit. Vel enim materia est concocta, uel non concocta. Si materia non est concocta, inquit, non euacues nisi prius des attenuantia hoc idem dicit Gale. Si materia non est concocta, & uelimus euacuare, dicit, dabis hyssopum, thymum, & quæ possunt attenuare; quia duo faciemus, primo attenuabimus magis, secundo aperiemus uias, quia thymus, pulegiū calamenthum, & similia calida & sicca in tertio, cū tenuitate substantiæ, aperiunt & attenuant, ideo cō modißima sunt ante euacuationem materiæ, etiam si materia non sit concocta. Nam si non est concocta, et non potest concoqui, saltem præparetur, quia facilius euacuabitur materia. Si igitur materia non est adhuc concocta, non es omnino exclusus ab hac attenuatione. Si autem materia est concocta, tamen

post

post maturationem facias adhuc præparationem; quia si debet euacuari, debet præparari uias aperiē do. Quare siue materia sit concocta, siue non concocta, inquit Auicen. semper indigemus aperientibus, et ideo uidete, quàm difficulter Auicen. hoc docuerit. Per semina intelligit semina maiora calida, sicut fœniculum, & anisum, & similia calida & sicca in tertio gradu. Vidistis igitur, quomodo in hac quarta intentione de hora euacuationis sumatur indicatio a maturatione materiæ, & quid sit maturatio, & quomodo differat a præparatione, & quomodo materia existente uel concocta uel inconcocta, semper indigemus ante euacuationem istis quæ aperiunt & attenuant. Item habuistis etiam de maturatione in chronicis & morbis acutis.

Quoniam supra iam nonnulla obiter de concoctione et præparatiōe dicta sunt, quo magis tamē dubitationi uestræ & intentioni satisfaciam, lucidius omnia explicare, & in medium proponere uisum est. Sciendum igitur primo, quòd concoctio medicis antiquis simul & philosophis tripliciter solet dici: primo proprijßime, secundo analogicè, tertio metaphoricè. Cōcoctio proprijßimè definitur quarto Meteo. esse perfectio caloris innati in oppositis paßiuis qualitatibus. Est perfectio caloris innati, quia calor innatus humido & sicco perficit, & ideo est perfectio, quæ est causa formalis. Deinde posuit causam agentem, quæ est calor, non quicunque, sed innatus. Dedit & subiectum, in oppositis qualitatibus, humido

do scilicet & sicco.Gale. in secundo facult. naturalium cap.4.inquit,concoctionem esse alterationem factam a calore naturali in subiecto,in humido conuertibile ad propriam substantiam nutriti. Nihil *aliud est alteratio,ad propriã substãtiam, nisi perfectio rei.*Igitur *eadem est definitio, cum definitione* Aristo.*& ideo ibi dicit* Gale.*quòd hæc definitio est æqualiter* Hippocratica *&* Aristotelica. Ecce igi*tur,quòd uult* Gale.*esse eandem concoctionem apud philosophos & apud medicos.*Hæc *concoctio fit a calore innato:hic calor annexam habet multam humiditatem,& ideo* 14.*apho.primæ part.inquit, calorem innatum esse compositum ex aere & aqua*. Est *igitur calor innatum calor elixans; unde* Gale. *hoc magis explanans cap.*6.*tertij de facult.naturalibus dicit cõcoctionem esse elixationem.*Habemus igitur, *quod concoctio quæ fit in corpore humano,cum calor iste sit ita remissus,non perficit actionem suam propter actionem sui caloris, sed propter uirtutem formæ,quæ est in ipso calore, non fiat nisi ab ipsa forma seu uirtute formæ, quæ uirtus operatur ratione proprij finis, & mediante calore innato tanquam instrumento.*Vnde Gale.*calorem innatum animæ domicilium esse dicebat,& eius instrumentum. Sequitur & hinc etiam illud,quòd nullus calor extraneus potest facere concoctionem:et si* Gal. 5.*aph.*70.*ubi habet,*A *quartanis capti &c. super eo aphorismo dicit* Gale.*quòd calor febrilis quartanæ existens in corpore,concoquat pituitam in musculis existentem,*

calor innat[illegible]
cococtio

stentem, hacq; ratione curentur quartanarij a conuulsione, tum propter frigiditatem quæ exprimit illam humiditatem, tum propter febrilem calorem cōcoquentem. Igitur labor febrilis concoquit. Præterea 5. Simplic. ubi de suppurantibus agit, inquit, q; quæ exterius applicantur, faciunt suppurationem, suppuratio autem est quædam concoctio. Igitur concoctio fiet a calore extraneo. Sed aduerte: quoniam quando dicimus, calorem extraneum adiuuare concoctionem, uel calor ille igneus est, & tunc non facit concoctionem, sed aliquam tantum præparationem, & ideo quando dicit Gale. febrilem calorem concoquere pituitam, non dicit, quòd calor febrilis concoquat nisi intelligas cōcoquere amplißima cōcoctiōe, sed quod attenuet; quia attenuatio nullam habet similitudinem cum concoctione. Quando igitur dicit, quòd calor febrilis attenuat pituitam, illa attenuatio concoctio dicenda non est, sed præparatio. Vnde si debet aliquid incidi & attenuari, hoc fieri debet ui ipsius caloris intensi: qualis est febrilis, hacq; ratione tertio de facult. naturalib. cap. 8. prolixe disputat Gale. contra medicos antiquos, qui credebant concoctionem fieri posse a calore etiam extraneo; et ibi dicit, quòd solus calor innatus concoquit, febrilis autem potius concoctionem impedit. Et ita apparet, quomodo in aphorismo allegato intelligit de attenuatione, de præparatione pituitæ, non de uera concoctione. Calor igitur extraneus nullo modo potest facere concoctionem, sed bene potest subtiliare & attenuare.

tenuare. Sed si calor extraneus sit temperatus, dico quòd a calore illo temperato adiuuatur concoctio, sicut fit ab his quæ suppurant, qualia sunt emplastica, cali. & humida in primo. Hoc autem fit a calore externo exterius applicito, qui unitur calori naturali propter symboleitatem, quam inuicem habent, & ipsum naturalem corroborat, ut ex ambobus fiat unus calor naturalis, sed fortior & corroboratus, ut materiam illam suppurent; & ideo non dicitur calor extraneus concoquens, sed calor innatus corroboratus tunc calore extraneo. Quapropter ibidem dicit Gale. quòd debent applicari calida & humida, sed uiscida, ne scilicet calor exhalet, sed ibi maneat, & cum calore naturali uniatur. Igitur calor innatus semper est agens cōcoctionem, nō autem extraneus, qui si est uehemens, non facit concoctionem, sed solū subtiliat. Si autem est calor extraneus temperatus, non concoquit, sed bene concoctionem adiuuat, quia calorem naturalem roborat. Est modo alia concoctio, quæ dicitur analogicè, quia scilicet habet quandam affinitatem in substantia, nō tamen attingit perfecte finem, sed communicat secundum prius & posterius, ut prædicatur ens de substantia & accidente, hoc autem analogicè dicitur concoctio, quia uidetur habere ueram concoctionem, nō tamen habet. Et hæc est, quæ dicitur suppuratio. Audiatis igitur quid est suppuratio, & in quo subiecto fundatur. Suppurationem primo Arist. appellat concoctionem metaphoricam, & dicit, quòd aßimilatur concoctio-

ni naturæ, quando terminatur ad aliquid, quod omnino non est præter naturam. Deinde dicit, quòd est concoctio catarrhi & pituitæ, & hæc alia est a suppuratione. Vtranque cognouit Aristo. non tamen distinxit, sed confundit. Gale. autem distinguit utrãq; & primo dicit in primo prognost. com. 46. cap. de suppuratione per totum contrarium agit de hoc & hoc idem in 5. simpl. med. Quantum ad causam agẽtem, dicit quòd causa agens suppurationis est calor naturalis, naturaliter se habens, sicut etiam facit cõctionem ueram. Subiectum etiam est illud idem, quod erat subiectum cõcoctionis, degenerauit tamẽ. Subiectum erat sanguinis illud humidum uertendum in substantiam nutriti. Sed in suppuratione est illud idem subiectum, sed aliqualiter putridum; quia si esse merè naturale, uerteretur in substantiam nutriti. Non est merè putridum, quia membrum læderetur maxime; sed est medium inter naturale, & præter naturam. Et ideo cùm ille humor sit seminaturalis, & semiextranaturã calor naturalis cõcoquit, & dat illi formam, quam dare potest: etiam dat colorem membri, dat colorem ueri alimenti, tollit omnem odorem fœtidum, non potest tamen assequi ueram formam, ut poßit corpus nutrire, quoniam subiectum erat anceps, inter naturale, & præter naturam, ideo & forma media esse debet inter statum naturalẽ & præter naturam, & quanto magis subiectum ad naturalitatem accedit, tanto magis etiam forma ad naturalem terminum accedet. Hæc igitur est uera suppuratio,

puratio, et illa est uera concoctio, & ingrossando procedit, & fit à naturali calore. Tertia est concoctio, quæ dicitur metaphorica, quæ habet similitudinem cum concoctione, quia procedit incrassando. Habet etiam hoc simile, quia quærit contemperare humidum cum sicco, & ideo dicit Arist. quòddum aliquid concoquitur, si est aer, inspissatur: si est aqua, adhuc magis inspissatur: si catarrhus, etiã ingrossatur. Et de hac tertia concoctione egit Hippo. secũdo dè ratione uictus, in eo commẽto, quando dicit, A capite trahuntur & a thorace biliosa cruda, super eo uerbo dicit Gale. quòd concoquuntur urinæ, catarrhi, pituita, bilis, quotiescunque reducuntur ad benignum a calore naturali: sed quia subiectum est rebelle; ideo non potest dare ueram formam sed solùm illud facit, quòd illud quod est minus subtile crassefacit, & quod est fœtidũ, reddit minus fœtidum, reddit & minus acre. Ista est tertia concoctio, quæ est metaphorica, quæ habet similitudinem cum uera concoctione, quia procedit incrassando, & natura quærit & intendit uertere illam materiam in nutrimentũ, sed tamen non assequitur, propter indispositionem subiecti. Sed tamen facit, quod potest, semper nimirũ incrassando, & a calore naturali.

Coctio metaphorica

At præparationes aliter fiunt. Quotiescunque est aliquis humor in corpore, quẽ natura quærat expellere, dat illi subiectum ut facilius educat; & ideo ubi humor est subtilis, expellit, sicut est: si uero est crassus, attenuat. Vtitur autem proprio calore, & si

Præparatio

sumens

suus calor fuerit febrilis, fuerit igneus, utitur illo, quoniã iste calor igneus siue externus siue intrinsecus semper attenuat, etiam si fuerit calor innatus, natura agit secundum propriam formam. Et *ideo uidemus, quòd natura attenuat pituitam, et euacuet. bene uerum est, quòd si adiuuetur natura, ut decoctione illorum seminum calidorum, quòd facilius & commode magis materia illa euacuatur.* Vnde *quantum attinet ad præparationem, dico quòd illa materia præparatur ad hoc ut expellatur commodè. & ideo si fuerit crassa, subtiliatur, si uiscida, inciditur.* Si *natura habet calorẽ intrinsecus igneum, illo utitur: si non habet, sed habet moderatum calorem innatum, illo utitur, & attenuat, & expellit, quoniam est natura uirtus animæ, quæ est in illo calore, habens uarias & diuersas operationes, habet concoquere, attenuare, & abstergere, & alias etiam operationes.* Habemus *igitur quid sit concoctio, & quid præparatio.* Et *ideo sciatis, quòd humores subtiles non indigent præparatione, sed concoctione; quia cùm non sunt concocti, iuuatiuum cum nocitiuo, mixtum adhuc est, ideo debet concoqui, ut malum à bono separetur, & sic quod malum est, & excrementum solùm, expellatur, et hoc proprium est purgare, quando scilicet excrementa educimus.* Et *ideo cõcocta medicari oportet, & hoc est separare bonum a malo, & malum expellere, & ideo quod subtile est, dico quòd præparatione non indiget, sed concoctione modo dicta.*

Nota

SED *& in acutis etiam ægritudinibus maturationem expectare melius est, & præcipuè cùm quietæ fuerint.* Tractaturus nunc quartam illam intentionem euacuandi, quæ intentio erat eligendi cõmodum tempus euacuationis, quæ quidẽ intẽtio limitatur a maturatione, humoris, dicit Auicen. quòd secundum Gale. in chronicis semper sine exceptione expectanda est concoctio. Posuit igitur hoc fundamentum Auicen. secundum mentem Galeni & postea addit unum, quòd quamuis Gale. uerum dicat tamen semper ante euacuationem, siue sit materia concocta uel non sit, est attenuanda cum thymo, hyssopo &c. quod accepit a Gale. in eo aphorismo, Concocta medicari &c. & si non loquatur Gale. in eodem proposito: quia Gale. loquitur ibi in materia furiosa, hìc autem loquitur Auicen. in morbis chronicis in materia quieta, & in utroque casu ante euacuationem materiæ est attenuatio facienda. & ibi dicit, est attenuanda materia, ut facilius exeat, quia quanto erit tenuior, tanto facilius trahetur a pharmaco. Hæc quãtum attinet ad hanc primam partem. Modo dicit Auicen. quòd quãuis in chronicis semper est expectãda concoctio, quòd tantum tam in chronicis quam in acutis non est expectanda concoctio. Hoc uoluit dicere Auicenna, etsi obscurißime loquatur. Et proponit Auicen. unum principium quod fuit Galeni, quòd semper quando medicus uult curare, uel præcipue euacuare, debet considerare, si in aggressu euacuationis sit maius nocumentum, quàm iuuamentum;

nam

nam tunc si maius est futurum iuuamentum ex euacuatione ante concoctionem, est aggrediendam euacuatio, & non aliter. Tunc docet Auicenna, *quomodo tam in chronicis quàm in acutis non debemus semper expectare concoctionem.* De acutis est cum Galeno *quando scilicet materia est furiosa: in eo.n. casu non est expectanda concoctio, sed in principio est euacuanda, propter illud principium; quoniam si dimiseritis illam materiam furiosam, sequetur maius nocumentum; quoniam si illa materia calida subtilis furiosa figitur in aliquo membro principali, faciet inflammationem, & sequetur mors.* Hoc dixit *primo* Hipp. *in eo aphorismo,* Concocta *medicari etc. & hoc idem confirmat* Gale. *et hic* Auicen. *quòd facta primo attenuatione humorum, est euacuanda materia furiosa ante concoctionem, sed in morbis chronicis, & ubi est materia crassa, uidetur quòd* Gale. *aliter determinet hanc quæstionem.* Dicunt autem Arabes, *quòd etiã in morbis chronicis nõ semper est expectãda concoctio, ut quãdo materia licet sit crassa frigida, & faciat morbum chronicum, tum quãdo materia tanta est: quòd si expectetur concoctio, natura illam non poterit tolerare.* Igitur *datur casus, in quo plus est nocumenti in diuisione euacuationis, quàm in euacuatione ante concoctionem.* Pono *casum; uerbi gratia patitur quis apoplexiam a materia frigida crassa, fixa in uentriculis cerebri, est ne expectanda concoctio?* Dicet *ille,* Iste *est morbus acutus.* Modo *accipiamus epilepsiã, quæ est morbus chro*

nicus,etsi paroxysmi sint acuti,modo epilepsia pendet a materia frigida crassa fixa, cuius si expectetur concoctio,fiet apoplexia. Oportet igitur *quòd statim fiat euacuatio in isto morbo chronico.* Et *itá sunt multi casus,in quibus debemus euacuare materiam crassam in chronicis morbis ante concoctionem.*Et *ob id dicit* Auicen. *quando materia est furiosa,est euacuanda ante cócoctionem, secundo ubi etiã fuerit materia crassa,et natura illam non poßit tolerare,debet ante cócoctionem euacuari.Sed isti moderni addunt alios tres casus.*Primus *est,quando est plurima materia phlegmatica, quæ faciat febrem, & illa materia sit tanta,ut dubium sit,an natura illam poßit concoquere, illa ante concoctionem debet euacuari,& hoc idem debet fieri in quartanis.* Alio*qui si tota illa materia dimittatur, natura non poterit illam concoquere.*Quantum *attinet ad istum casum,certum est, istum esse sub secunda conditione.* Dant *secundum casum in febre pestilenti,ubi est tanta putredo,non debemus expectare concoctionem sed debemus euacuare.Super illo textu* Auicen.*fundatur ubi curat feb.pestilentes, cùm dicit* Auicen. Et *cura earum est exiccatio.*Exponunt,*quia euacuatio exiccat.*Vellem *scire,cùm isti dicunt ita, quis est qui audeat euacuare in febre pestilenti?*Ego *uidi ordinari mane & uesperi medicinam,& mori ægrum, ẽt ubi mißio sanguinis est adhibita.*Igitur *ubi actu est febris pestilens,non audeatis aliquo modo euacuare,et ratio est,quia ubi est ista mala putredo, est uirtus*

maxime

maxime debilis; si euacuatis, euacuatio reddet adhuc magis debilem, & statim concidet æger, & parum educetur de humore peccãte, qui est multus. Et ideo hoc loco longe maius est nocumentum, quàm iuuamentum. Si possetis, antequam fiat febris illa maligna, euacuare, esset optimum: quia adhuc non adest illa debilitas uirtutis. Sed si adest actu mala illa putredo, debetis exiccare, ut cum bolo armena, ut bene dicit Gale. quòd bolus armena exiccando tollit putredinem, & tollit consequenter febrem. Igitur exiccatio pro euacuatione non debet intelligi. Secunda conditio erat, quãdo materia obsidebat membrum principale, ut in apoplexia, & Synanche, sed ista etiam ad secundam conditionem reducitur, quando scilicet uirtus illam materiam non potest tolerare. Igitur in duabus conditionibus non debet expectari concoctio, quando scilicet materia est furiosa, et quando uirtus illam materiam non potest tolerare. Sed quãdo, & quomodo, dicemus in quæstione, in qua uidebimus multa notatu digna, quam postea examinabimus. Nunc legamus literam. Dicit Auicen. cùm humor fuerit firmatus in uno loco, tunc est melius, ut permittatur quòd concoquatur, si non reducatur ad maturitatem ad temperatam substantiam. Sed hoc uidetur esse contra illud, quod determinauimus superius, quando diximus, quòd materia subtilis non debet incrassari. Quòd si humor reducatur ad temperatam substantiam, si erit humor subtilis, incrassabitur. Dico ad hoc, quòd talis humor concoquitur

concoctione metaphoricè dicta: nam quando natura inuenit materiam etiam rebellem, propter fœtorem, propter acrimoniam, propter subtilitatem, ratione cuius penetrat, natura facit quendam ornatū, qui uidetur esse aliquo modo concoctio, & fit a calore naturali, elixante. Et *ideo si humor ille est subtilis, crassefit, quoniam quod est subtilius exhalat per resolutionem: deinde materia quærit dare finem, & separat quod prorsus alienum est, ab eo quod minus est præter naturam.* Et *ideo natura agens in bilem acerrimam, obtundit illam acrimoniam, & reddit illam minus subtilem.* Hoc *autem fit, quia sui acrimonia potuisset nocere & erodere aliquid membrū. Sed ista non est præparatio, quia præparatio quæ ordinatur ad expulsionem, semper tendit ad subtiliationem materiæ, ut supra ostendi ex mente Galeni.* Igitur *quando natura præparat, semper subtiliat, et humor subtilis quatenus subtilis semper est aptus ut facilius educatur.* Vnde *si consideretur humor subtilis, quatenus est erodens & fœtidus, dico quòd debet crassefieri, quia sequitur maius iuuamentū ex illa crassefactione, quàm nocumentum. Sed tamen, ut dixi, quando crassefit humor iste, non præparatur, sed concoquitur, concoctione metaphorice dicta.* Attamē *Auicenna non distinguit in prima quarti præparationem a concoctione, quod optime tamen faciunt Græci. Circa euacuandam materiam ante concoctionem, duos casus posuit Auicen. in quibus debeamus euacuare materiam ante concoctionem, in quibus moue-*

mouebatur illo fundamento, quòd tunc debemus eua-cuare ante concoctionem materiæ, quando est maius nocumentum ex dimißione materiæ, quàm euacua-tione: ot ex ista indicatione Auicenna ponebat duos casus, in quibus licet euacuare materiam, non expe-ctata concoctione. Primus fuit, quando materia est furiosa, et in hoc conuenit etiam Hippo. & Gale. Se cundus, quando materia est multa, etsi quieta, illam tamen natura tolerare non poßit, neque cōcoquere: ideo in hoc casu est euacuanda, non expectata conco-ctione, quod tamen Gal. non uoluit. Circa igitur hanc partem est dubitandum, quando dicit Auicen. quòd materia est euacuanda, non expectata concoctione, ubi materia multa fuerit. Proposuimus igitur quæ-stionem, quam breuiter absoluam, Galenum tanquā optimum ducē semper insequens, quam facit in lib. an ars tuendæ sanit. pertineat ad medic. uel ad Gym. Titulus quæstionis est iste, Vtrum in initio mor-bi sit euacuanda materia non expectata concoctio-ne. Et sub hoc titulo incipiunt argumentari Recen tiores sine aliqua distinctione: Vnde ex ignoratione uerborum primi adducunt plurima argumenta, quæ non faciunt ad propositum. Oportet igitur di-stinguere, & apparebit ueritas. Primo igitur prin-cipium multiplex est, ex primo Crisium; uel pro in diuisibili tempore uel pro tribus primis diebus, uel primo principio, prout est unū ex 4. tēporibus mor-bi. Et hic intelligemus de principio tertio modo di-cto. Etiam de morbo materiali, quia morbo materia

li debetur euacuatio. Materia *est multiplex: uel materia replens quoad uasa,ut quãdo humores æqualiter æqualitate iustitiæ augentur, et uocatur ista repletio* Plethora. *Alia est materia replens quoad uirtutem:quoniam licet non sint repleta uasa,tamen ista materia non potest tolerari a natura, propter malignitatem illius materiæ,uel corruptelam.* Dico *corruptelã:quia si humor solùm fuerit calefactus, non indiget euacuatione,sed solùm alteratione.* Quã*do igitur materia replet quoad uirtutem, ita quòd sit materia corrupta, talis dicitur repletio quoad uirtutem.*Et *hanc materiam debet euacuare medicus,quia ad benignum reduci non potest.*In *quæstione autem intelligimus de materia replẽte quoad uasa.*Re*spondebo uno modo de materia replẽte quoad uirtutem,alio modo super eo uerbo(*Euacuari*)* Eua*cuatio alia est eradicatiua,ut dicunt isti:alia minoratiua.*Quantum *ad istam primam distinctionem,dico quòd apud Gale. & Hippocratem non fuit ista distinctio,imò abhorrebat ab euacuatione eradicatiua, sed semper utebatur euacuatione minoratiua, euacuatione autem eradicatiua scilicet usque ad syncopem,non utebatur:etsi in eo aphorismo 23.primæ particulæ,*Deiectiones *multitudine non sint æstimãdæ,dicat quòd quando adest febris uehementißima, dolor maximus, & inflammatio, debet euacuari æger usque ad* Syncopem, *igitur talem euacuationẽ* Gal.*non uult nisi in trib.istis casibus,ut primo,quando est maxima inflammatio,& ratio est, quoniam si*

quando

quando materia est furiosa, euacuamus, timentes ne materia figatur in aliquo membro, & fiat inflammatio, si modo materia iam accessit, & fecit inflammationem & dolorem, quanto magis debet euacuari? sed non fit talis euacuatio usque ad syncopē per pharmacum, sed per sanguinis missionem. Et *si in secundo de ratione uictus, in curatione pleuritidis,* Hipp. *curet per pharmacum, tamen ibi dicit* Gal. *in commento, quamuis* Hipp. *præcipiat euacuationem faciendā per pharmacum, cōsulo tamen ut ea dimissa accedas ad euacuationem per sanguinis missionem, quia materia non est concocta.* Igitur *ibi* Gal. *consulit, ut discedamus ab illo præcepto* Hippocratis, *& uos semper hoc uidebitis, quòd ubi ad syncopem euacuat* Gal. *semper per sanguinis missionem euacuet, nō per pharmacum.* Et *ideo prima* Aph. *Aphorismo* 13. *dicit* Hippoc. Extremæ *euacuationes sunt periculosæ.* Extremæ *autem euacuationes sunt, quæ usque ad animi defectum euacuant.* Ob *id docet ibi* Gal. *q̄ melius est infrà subsistere.* Et *in eodem* Aphor. *Concocta medicari & dicit, quòd ubi materia fuerit furiosa, est euacuāda, nō tota, sed pars, ut postea natura sit fortior super residuum.* Igitur Hippocr. *&* Galenus *euacuationem radicatiuam abhorrent & quòd fieri debet per sanguinis missionem, non per pharmacum.* Quantum *igitur ad hanc diuisionem, illam derideo, quòd scilicet alia sit euacuatio eradicatiua, alia minoratiua: non enim admittimus euacuationem eradicatiuam usque ad animi defectum per pharmacum.*

quare hanc diuisionem dimittam. Sed de euacuationis diuisione, dico quòd euacuatio est quadruplex: Alia per sanguinis mißionem, quæ conuenit materiæ replenti quoad uasa, ex secundo Aphor. 17. Alia est quæ dicitur purgatio, quæ purgat determinatum humorem. Tertia est quæ dicitur reuulsio, quando uolumus trahere ex loco opposito ad locum oppositũ. Quarta est deriuatio, quæ est euacuatio a loco propinquo, quam diuisionem habetis 11. Meth. & 13. & in lib. de Cur. per sanguinis mißionem. Quando igitur dicimus in quõe, Vtrum in principio morbi sit euacuandum, quæritur, de qua euacuatione sit intelligendum. Deinde in quõe dicitur, Non expectata concoctione, de qua concoctione intelligitur. Quia ostendimus tres esse concoctiones, & quartam quæ præparatio proprie dicitur. Prima concoctio est propriè dicta, alia quæ analogicè, ut quando sanguis uertitur in pus. Tertia, quando concoquitur bilis & melancholia, & adæquatur ad alimentum, licet propter malitiam subijci non poßit, & in alimentũ uerti, licet aliquem ornatum acquirit. Quarta dicitur non uera concoctio, quia potest fieri tam a calore naturali, q̃ a febrili, & externo, & hæc ordinatur solũ ad expulsionem materiæ, quam præparat. Illæ sunt quatuor concoctiones. quare oportebat distinguere, de qua concoctione sit intelligendum. Videmus igitur in hoc titulo, quanta sit æquiuocatio, & ob id isti moderni uanitates multas & ineptias commiserunt. His uisis, pono duas conclusiones, quæ tollunt omnes diffi-

difficultates. Prima conclusio. *quòd stante plenitudine quoad uasa, quòd est euacuanda materia in principio, non expectata concoctione, uel per mißionem sanguinis, uel per reuulsionem, sed per deriuationem & per purgationem nequaquàm.* Probemus singulã *partem huius conclusionis.* Aduertendum tamen, *quòd antequàm talis euacuatio fiat, si fuerit cruditas in uenis, aut in uentriculo, uolumus quòd concoctio sit facta in uentriculo, uel in primis uenis.* Igitur *oportet quòd semper antequàm euacuemus cõcoquamus: quod primo de tuenda sanitate* Galen. *& in hoc* Fen *cap. de mißione sanguinis* Auicen. *testatur, ubi habet, quòd stante cruditate in uenis, non debet euacuari materia; intelligatis autem de humoribus crudis, uera cruditate, & qui poßit ad benignum duci, & in alimentum conuerti.* Quibus *concoctis, potestis aggredi euacuationem per sanguinis mißionem & reuulsionem.* Purgare *uero & deriuare non licet.*

Quoniam *tu dicis, quòd licet euacuare per mißionẽ sanguinis, & reuellere, modo quando est mittendus sanguis? quando etiam facienda est reuulsio?* Mittendus *est sanguis a uena hepatis, & non est facienda reuulsio, quando materia in uenis est quieta. hoc facit* Gal. *in synocha. quando autem materia est in motu, & tendit ad aliquam partem, est reuellenda ad oppositam partem.* Non *licet autem pharmaco purgare, ex* Hippoc. *in* Aphor. *illo secundo primæ partic.* Si *talia purgentur, qualia purgari oportet &c. sed si purgarem, purgarẽ unum solum humorem, cùm tamen*

men omnes æqualiter peccent. Neque debemus facere deriuationem, quia si deriuaremus materiam ad locum propinquum, quò materia tendit, faceremus maiorem fluxum, & præcipitaretur, & faceret inflammationem, ut in arte curatiua inquit Gal. & in hoc cap. dicit Auic. Quare stat conclusio ista, quod stante repletione quoad uasa, non existentibus in uentriculo uel primis uenis cruditatibus, statim non expectata concoctione licet materiam illam euacuare, uel per sanguinis missionem, uel per reuulsionem; per purgationem autem & deriuationem non conuenit aliquo pacto. Est alia conclusio: Si uerò fuerit plenitudo quoad uirtutem, dico quòd stante repletione quoad uirtutem, non debemus in aliquo casu unquam facere euacuationem, nisi materia sit furiosa. Dico, Ante concoctionem, primo & secundo & tertio & quarto modo sumptam. Intelligo de euacuatione, quæ fit per pharmacum, nisi scilicet sit concocta materia primo secundo tertio & quarto modo. Et solus Gal. & Hipp. uerum cognouerunt, ut constat in eo Aphoris. Incohoantibus morbis &c. 29. Aphoris. secundæ particulæ quod tamen non intellexit Auic. cùm dicat, In chronicis semper est expectanda concoctio, et in acutis, nisi materia turgeat. Sed addidit postea Auic. & Arabes etiam, quòd materia etiam existente quieta, sed multa, quòd debemus in principio euacuare, non expectata concoctione, & pessimè, neque intelligunt principia medicinæ. Dicimus igitur, quòd non est facienda euacuatio ante concoctionem, siue ma-

materia multa sit, siue non, sed semper est expectanda concoctio, nisi materia fuerit furiosa. Dico igitur *quòd stante repletione quoad uirtutem, non debemus facere euacuationem per pharmacum, sed bene per missionem sanguinis, quãdo illa materia non est nimis disiuncta a natura sanguinis, ubi ille scilicet humor est cum sanguine mixtus, & ideo euacuamus non expectata concoctione, per sanguinis missionem, uel per reuulsionem, quando materia licet non sit furiosa, tamen fluat ad locum nobilem, & determinatũ, debemus tunc non euacuare per pharmacum, sed diuertere ad partem oppositam, & hoc facit* Gal. *in* Apoplexia. Sit *aliquis apoplecticus, quam materiam uis euacuare? num illam quæ est in cerebro?* Verum *illam per pharmacum non euacuabis, quia est uiscida, tenax, & rebellis ad euacuationem.* Quid *ergo oportet facere?* Oportet *trahere ad oppositum, frictionibus.* Dico *hoc esse faciẽdũ, si materia fuerit frigida: quia si esset sanguis faciens apoplexiam, euacuaremus sanguinis missione.* Sed *ubi non potest fieri sanguinis missio, est reuellenda frictionibus, ligaturis, enæmatibus &c.* Auicen. *in primo quarti in feb. phlegmatica uult, quòd sit euacuanda materia per pharmacum, at* Gal. *prius antequàm euacuet, dicit,* Da *calida & incidentia.* Poterat *dicere,* Da *incidentia: sed quia sunt plurima incidentia, quæ sunt frigida, ut oxymel: ideo dicit,* Da *calida, propter concoctionem: da incidentia, propter præparationem.* Igitur *uidemus, quomodo* Gal. *etiã si multitudo sit mate*

riæ

teriæ,nunq̃ euacuat,nisi concocta sit materia. Sed dicet aliquis,uirtus succumbet. Dico, *quòd uirtus non succumbet:quia* Gal.*non uult, quòd tota materia sit concoquenda,quia tota materia non est homogenea, neque in eodem loco,quare tota æqualiter concoqui non potest,igitur neque tota æqualiter euacuari*. Et *propterea non debemus timere,quòd uirtus succumbat.*Ea *propter uult* Gal.*primo ad* Glauc.*in curatione quartanæ,quòd concoquatur pars materiæ, & illa euacuetur,& sic natura non succumbet.* Vnde *coacti ueritate isti moderni,dicunt, quòd talis materia est euacuanda euacuatione minoratiua.* Q*uare dico,quod non debemus timere multitudinem materiæ,sed tunc debemus concoquere*. *Sed uel quoniam diximus,quòd est expectanda concoctio primo secundo tertio & quarto,primo diximus, quia benignum a malo debet esse separatum, debet esse facta concoctio,non autem secundo modo,quia talis est, quando aliquid suppuratur:bene tertio,scilicet quando aliqua sit materia,ut bilis,de qua* Gal.*in secundo de ratione uict.quando materia biliosa acris erodens est & fœtida,debemus expectare concoctionem aliquã naturæ:nam calor innatus semper facit quod melius est,unde acrimoniam illam corrigit, & quod est benignum trahit ad se:quia nullus est humor adeo malignus,qui non habeat aliquid boni in se. Calor igitur bilem acerrimam obtundit,ut non amplius erodat.*Debemus *etiam expectare concoctionem dictam scilicet præparationem, hac enim materiam craßã sub-*

subtiliabimus, & uias strictas aperiemus, ut cum hyssopo, origano, & thymo. Quare debemus etiam hanc quartam concoctionem expectare, quae improprie est concoctio, proprie autẽ dicitur praeparatio. Dicimus igitur, quòd in repletione quoad uirtutem possumus euacuare materiam per sang. mißionem, uel per reuulsionem, sed pharmaco minime, nisi materia sit concocta, etiam si materia sit multa, quia pars materiae concoquitur, & pars euacuabitur, & sic natura non succumbet.

ET SIMILITER cùm non fuerimus securi, q uirtus usque ad maturitatis horam perduret, euacuabimus eã postquàm nobis cauerimus ut eius subtilitatem & großitiem sciamus. Dictum est, Auicennae mentem esse, quòd ante concoctionem poßimus euacuare materiam peccantem, in duobus casibus. Primo, quando materia est furiosa: & in hoc conueniebat cum Gal. In alio casu, quoniam timebat, ne uirtus succumberet propter multitudinem materiae. Discußimus satis, quomodo hoc esset uerum, uel falsum: & ideo deuenio ad literam. Dicit Auicen. tenendo suam opinionem, quòd si materia fuerit multa, & timemus ne materia succumbat, quòd ante concoctionẽ est euacuãda materia, ad hoc ut natura sit fortior super residuum. Deinde dicit, quòd debemus aduertere, an materia sit crassa uel tenuis. Postea de subtili ne uerbum quidem facit. Causa autem huius esse potuit, quia si est subtilis, non stat in uno loco, nam mordacitas & subtilitas non permittit tantam materiã

uno

in uno loco permanere, sed facit huc illucq; moueri. Igitur materia subtilis reducitur ad materiam furiosam, ideo tacuit Auic. de materia subtili. Si igitur materia sit crassa, debemus aduertere. Sed primo dat signum. Primo, si præcesserit fastidium siue saturitas nauseatiua, hoc primum est signum, quòd in corpore dominantur humores crudi craßi. Secundo quãdo hypochondria sunt tensa. Tertio, quando apparet aliquod apostema in uisceribus. Circa hæc debemus ualde attendere, quia est ualde confusus, & forte hæc signa non sunt ualde ad propositum. Quantum ad primum, concedamus quòd proueniat satietas nauseatiua à cruditate materiæ crassæ. Hypochondria tensa prouenire possunt a materia uentosa, non autẽ semper à materia crassa: & ideo illud non erat conueniens signum. Et ideo Galen. distinctius hæc signa posuit, quæ indicant nobis propter cruditatem non esse faciendam euacuationem. Vt in quarto de tuen. sanit. ubi ponit hæc signa, in quibus non uult esse hominem euacuandum, sed homo debet potius quiescere, & inquit, Vbi est satietas nauseatiua, non est euacuandus humor, etiam ubi sunt hypochondria tensa, etiam ubi est inflammatio non est euacuandum. Videatis illud idem in 24. Aphor. primæ part. Inchoantibus morbis &c. ubi ponit hæc signa, tanquàm ista, quæ prohibent potius euacuationem. tamẽ dicamus, quòd ubi sunt humores crudi, (ut sequamur intentionem Auic.) & sunt multi, quòd debemus illos euacuare ante concoctionem, postquàm unum feceri

mus

mus,ut dicit Auic.in textu,& uult materiam craſsã eſſe præparandam,eſſe attenuãdam,ad hoc ut fiat facilior & aptior,& per plurima trahatur.Ideo dicit Auicen.q, ſi materia eſt craſſa debet attenuari & præparari.Vnde uidemus,q, hic ſeparat concoctionẽ & maturationem a præparatione,& tamen in prima quarti cõfundit. Dicit igitur,q, debemus euacuare materiam iſtam craſſam ante concoctionem, debemus etiam præparare ſubtiliando. Igitur ſeparat actum ſubtiliandi & præparandi a concoctione , & in hoc bene ſentit cum Gal.qui & ipſe noluit concoctionẽ à præparatione eſſe diuerſam. Deinde etiã,inquit Auic.debemus aperire uias , quia corpora quæ purgare uoles,fluida facere oportet,& ſic quarta illa intentio eſt expedita , uidelicet quomodo debeamus recto iudicio & recta Methodo uti in eligenda hora euacuationis. Reſtat quinta intentio, quæ eſt de quantitate euacuationis definienda. Iſta non ponitur ab aliquo expoſitore,ſed ego excuſo illos quoniã etiam uacabat textus antiquus, & iſti boni expoſitores omnia de hora expoſuerunt, & omnia extra propoſitum.Sed textus iſte Andreæ de Alphango,habet iſta uerba. ET quinto eſt menſuratio. Quinta conditio eſt eligendi rectam menſuram quantitatis euacuationis.Et dicit,q, indicationes quæ dirigunt nos ut euacuemus rectam quantitatem,triplex eſt.Primo quantitas materiæ:ſi enim materia eſt multa,multũ debemus euacuare,ſi pauca,paucum.Secunda indicatio eſt uirtus,quia bene indicabitur nobis eſſe euacuã

dum multam materiam, tamen uirtus non tolerabit. Tertio sunt accidentia, quia erit multa materia, & uirtus fortis, tamen solent sequi quædam accidentia, quæ sunt ualde aduertenda: sunt enim aliqui, quibus si detur pharmacum, propter os uentriculi debile, incidunt in syncopem, præterea si habuerit debilia intestina, & facile erosio aliqua sequatur, & ideo triplex est indicatio, quæ quantitatem euacuandam nobis indicet. Circa q̄d debetis scire, q̄ una est simplex indicatio, quæ ad hoc dirigitur, & est quantitas materiæ, quoniam morbus est qui dirigit in quo morbo est q̄titas materiæ. Ista est uera intētio curatiua, & inde sumitur indicatio curandi per se, reliquæ per accidens. Quæ autem sumitur a uirtute, est illa quæ limitat, ut bene Gal. 9. & 10. Therap. notat, ubi dicit, q̄ de uirtute non est aliqua habenda cura, quando uidemus illam constare, & ideo non dat aliquam indicationem, sed per accidēs contingit, q̄ cùm est debilis, limitat medici actionem, similiter & accidentia limitant respectu ipsius uirtutis. Respectu enim limitantium (ut ostendimus) uirtus est omniū regina. Et ita quatenus attinet ad hoc caput, totū est expositū. Ostendimus enim intentionem esse Auic. agere de 5. indicationibus euacuationemorbi, & de x. limitantibus, & de omnib. hactenus agit, & sic debebat esse perfectum caput. Habemus modo aliam partem huius capitis, in qua non agit de quinq; indicationib. neque de x. limitantibus, sed de quibusdam corollariis consequentib. tum x. illa limitantia, tum quinq; illas

illas conditiones, & hoc semper facit Auic. in omnib. capitibus, q. dum egit per Methodum, de quibus uoluit, postea tradit quædam corollaria, & quædã monumenta & documenta, quæ ad superius dicta consequuntur. V*bi sciendum, cùm hactenus locutus sit de euacuatione materiæ, de quinque conditionibus, & de x. limitantibus, quoniam locutus est de materia quæ euacuari debet in uniuersali, nunc magis particulatim ponit unam conditionem, quãdo materia est fixa in uno loco quomodo debet educi ab eo, & dicit,* E T *scias q. materiei euacuatio & ipsius de suo loco eradicatio est secundum unum duorum modorum.* Per *eradicationem non intelligit euacuationem eradicatiuam, sed intelligit per eradicationem, extirpationẽ materiæ de illo loco, in quo est fixa, intelligitq; uiolẽtiam operandi, non autem quantitatem euacuandi eradicatiuam usq; ad animi deiectionem.* Q*uãdo igitur materia est fixa in uno loco, debemus eradicare uel per attractionem ad partem oppositam, uel per deriuationem ad propinquam.* Attractio *ad partem oppositam per unã diametrum, deriuatio aũt est trahere a loco propinquo ad locum propinquũ, ut si esset uerbi gr. materia in oculo, & traheretur per nares, esset deriuatio.* Dicit *igitur* Auic. *q. quando uolumus trahere de loco ad locum materiam, uel trahimus reuellendo, uel deriuando.* Docet *autem* Aui. *quãdo est reuulsio facienda, & quando deriuatio, ut optime ex* 14. Therap. *colligitur.* Q*uando corpus est plenum, debet trahi materia ad partem oppositã, quã*

do materia est pauca in ambitu corporis, cum scilicet corpus est uacuum debet deriuari ad partem propinquam. Quòd si aliter fiat, esset periculum. Vnde si traheretur materia per nares, ubi esset inflammatio in oculo, & plenitudo in corpore, traheretur maxima copia materiæ ad oculum, tanquàm ad locum læsum. Igitur in eo casu debet trahi materia ad partẽ oppositam. Vbi erit corpus uacuum, debet trahi materia ad partẽ propinquam, ut melius uidebimus in quæstione, ubi apparebit, q ubi corpus est uacuum, debemus eradicare materiam fixam per deriuationẽ quia non timemus quòd materia fluat ad locum læsum. Et *hanc regulam declarat* Auic. *per exemplũ facile.* Est *quis, qui expuit sanguinem, uel aliqua fœmina habet fluxum hæmorroidum, si corpus est plenum, debemus trahere ad partes remotas. Si autem corpus non est uacuum, debemus deriuare ad partem propinquam, in fœmina per menstrua, in uiro per nares.*

ET *cùm ad remotam partem sit auersio, non debet per duas diametros prolongatio fieri. Cùm supra locutus sit* Auic. *de euacuatione quæ fit per diuersionem & deriuationem, & quando fieri debeat, nunc docet* Methodum, *qua reuulsio fieri debet.* Et *dicit, quòd nunq̃ debet fieri per duas diametros, sed per unam.* Vnde *si materia fuerit superius in parte dextra, trahi debet inferius in parte dextra, & non in sinistra.* Debemus *autem eligere maius spatium in lõgitudine.* In *dextro autem & sinistro debemus*

etiam

etiam eligere conueniens ſpatium. Vnde trahere à parte dextra capitis, ſi materia fuerit in ſiniſtra, nō conuenit, ſed oportet eligere ſpatium: & ſi materia eſt in brachio dextro, poteſt trahi ad ſiniſtrum. Idē de profunditate dicendum, in qua debitum interuallum eſt obſeruandum. Sed iſti moderni in his ſe implicant, ut explicare ſe neſciant, modo ſeruant unam diametrum, modo duas, Proponit igitur, Vtrum in diuerſione ſit facienda attractio per unam diametrum, uel per duas. In hac quæſtione, Primo ſciendum eſt, ex parte ſubiecti in quæſtione, utrum in reuulſione &c. ſciendum inquam, quotupliciter dicitur reuulſio. Reuulſio itaq; duplex eſt, alia ſimplex, quæ trahit à loco, & tamen nihil ducit. Exempli gratia eſt materia aſſueta ferri ad caput, facio reuulſionem a parte inferiori, & in hac non euacuo materiam a loco determinato, ſed humorem traho ad partem oppoſitam. Alia dicitur diuerſio ſiue reuulſio, compoſita ex reuulſione & deriuatione, quia partim euacuamus à loco, partim trahimus ad oppoſitū: ut cōtingit in pleuritide, quando ſecatur uena lateris dolentis. Iſta reuulſio duplex poteſt fieri duobus modis, uel. n. iſta reuulſio ſiue ſit compoſita ſiue ſimplex, fit per euacuationem, uel per uiolentam attractionem. Reuulſio quæ fit per euacuationem, eſt quotieſcunque aperimus uenam: in apertione uenæ, ne detur uacuū, cùm partes inter ſe inuicem continuentur, fit fluxus ſaniſsimus, & oportet quòd ſanguinis uſque ad ultimum terminum fiat mutatio per ſitū, & fit ſaniſsimus

mus defluxus. Ista est diuersio, quæ fit per euacuationem: Alia est diuersio, quæ fit per uiolentam attractionem, & hæc fit dupliciter: uel per dolorem, quia ubi dolor, ibi calor, ubi calor, fit attractio; uel per calorem, quando pars calefit, sicuti fit in cucurbitula, in qua accidit dolor & calor, ratione quorum fit attractio ad illam partem. Hoc ēt *facient ligaturæ dolorosæ. quæ per calorem & dolorem uiolenter trahunt materiam ad locum, in quo fit ligatura. Istæ sunt diuersiones, quæ se tenent ex parte reuulsionis, & attractionis. Quæstio igitur proponitur,* Vtrum *in reuulsione debet fieri attractio per unam diametrum.* Scitis *quid sit reuulsio, & quid attractio, modo uideamus quid sit diameter.* Diameter *theoricè est illud, quod deficit ab eo quod recte commensuratur.* Accipiamus *uerbi gratia figuram quadratam, habemus longitudinem & latitudinem, illud quod mensurat lineas longitudinales & latas, non est diameter, sed diameter est illud, quod prouenit ab angulis, & non mensurat.* Igitur *diameter est, quod deficit a recta commensuratione eius, quod rectè commensuratur.* Alio *modo sumitur diameter pro quolibet dimetiente aliquod spatium, & est perpendiculum: & hoc modo sumitur diameter a medicis, quod dimēsiones mensurat.* Igitur *cùm in corpore sint tres dimensiones, sunt etiam tres diametri: qui autem faciunt sex, ponunt illud quod est superfluum.* Hæc *igitur erant supponenda, & distinguenda, tum ex parte subiecti, tum ex parte prædicati.* Vnum *dimisi,*

quod

quod diameter uel est integra ad extremo ad extremum, ut a capite ad pedes; uel est dimidiata, uerbi gratia a mamma ad pedem. Igitur habetur quotuplex sit reuulsio, & quot modis fiat, & quot sint diametri, et quòd quædam integre, quædam dimidiate. Sciẽdum & illud etiam, quòd Gal. inquit semper seruandam esse καθ' ἶξιν rectitudinem. Igitur sciendum quoque est, quotupliciter sumatur rectitudo. Hæc duplex est: alia est mathematice, quæ est breuißimum spatium inter duo extrema; alia est quæ consideratur secundũ defluxum commodum. Quid intelligis? quando aqua exempli gratia fluit de uno loco ad alium, & inuenit unam lineam per quam commodißime fluit, ista rectitudo dicitur secundum fluxũ commodum & de hac potißimum intelligunt medici. Ideo dicit Hippo. quòd debemus procedere καθ' ἶξιν hoc est secundum ductum commodum, secundum commodum processum, secundum quod quommodè accedit materia de loco ad locum, non autem secundum rectitudinem: quia rectitudo est communis tam ad lineam rectam, quàm ad commodum progressum. Dico igitur, quòd rectitudo apud medicos licet etiam mathematicè consideretur, tamen ex maxima parte consideratur secundum aduentum commodum. Etiam scire debemus, quòd in reuulsione cauendum est, ne materia transeat per membrum nobile. Tertio sciendum, quòd in reuulsione uel curatur morbus futurus uel qui factus est, uel qui partim fit, partim factus est. Reuulsio autem non conuenit morbo facto, sed fu-

turo, & qui fit. Quarto sciendum quòd medicus iuuare debet naturam in qualibet reuulsione, & hoc est notißimum. Nam *natura in reuulsione semper sequitur rectitudinem illam, quæ est secũdum situm.* Verbi gratia *si in sinistra parte est morbus, trahit à sinistra: si in dextra, à dextra, semper natura trahit ab eadem parte; & tales reuulsiones felices sunt. Si autem contrario modo fiant, infelices sunt. Quinto notandum, in qualibet reuulsione uel curamus morbum magnum, uel non ita magnum. Morbus magnus attenditur penes duo, uel quando est in aliqua parte nobili maxima inflammatio, uel maximus dolor. Ista erant distinguenda, antequàm dicere possemus de ipsa reuulsione. Quibus sic statutis, facillime respõdebimus ad omnia, quæ in oppositũ fieri poßunt. Hæc igitur memoriæ habere debetis. Si aliqs igitur interrogat nos, utrum per duas diametros aliqua sit facienda reuulsio, dicatis, quòd nunquàm hoc licet. Propter quid? Quoniam ipsa reuulsio est duplex uel per euacuationem, uel per uiolentam attractionẽ. Quoquomodo fiat reuulsio, nullo modo conuenit euacuatio per duas diametros, quia si euacuamus per duas diametros, non est commodus processus: ut si est dolor in membrana succingente costas; & traheretis ad partem oppositam; nõ seruaretis aduentum cõmodum, quia materia deflueret per obliquum, & esset defluxus difficilis & longus. Si uerò traheretis uiolenter, uiolenta attractio fit per rectitudinem lineæ, & non debet fieri per angulos, quia in angulis*

moratur attractio; nam ubi sunt duo termini, & traho ex uno termino ad alium, si fuerint anguli in angulis, attractio morabitur, & ideo semper debetis seruare unam diametrum, non duas; quia ut dicit Gal. secũdo de rõne uict. si fiat auersio a parte longinqua, uel tarda, quoniam illa auersio non seruat commodum defluxum, ideo tardè progredietur materia propter illos angulos, & sic faceretis uim commodo defluxui. Vel erit nulla, quia cessat fluxus in angulis & sic nulla fit diuersio. Ideo dixi, quòd ubi per duas diametros fiet diuersio, nulla erit, uel tarda. Secunda conclusio, in morbo absoluto futuro, ut si est aliquis subiectus pleuresi, uolo conseruare hominem, dum non adhuc fluit materia, est tamen fluxura, in hoc casu dico, si quis quærat utrum liceat facere diuersionem per integram diametrum, uel per dimidiatam dico quòd uel morbus nondum est factus, uel partim fit, & partim est futurus. Tunc dico, si est futurus, q per integram diametrum debet fieri reuulsio, quia hic solùm habemus intentionem diuertendi diuersione simplici, quia uultis solùm diuertere, & non euacuare a loco affecto, quia nullus est locus affectus: Sed quando morbus partim est futurus, & partim fit, & tunc uel morbus est magnus uel paruus, si magnus, dico quòd debemus reuellere per mediam diametrum, quoniam morbi magnitudo non dat inducias, & ideo oportet, quòd euacues a toto, in quo est maxima inflammatio, uel maximus dolor. Sed stante plenitudine materiæ, faceremus inflammationem, &

maiorem dolorem, debeo euacuare, sed quoniam morbus non est adhuc factus, debeo trahere ad partem longinquam, & sic oritur indicatio composita. Igitur debeo trahere per mediam diametrum. Et ideo Gale. 2. de ratione uictus, ubi loquitur Hipp. de pleuritide, inquit, Mitte sanguinem ab eodem latere, usque ad mutationem sanguinis dicit Gal. Quia tunc erit signum, quòd aliquid erit euacuatum à loco læso. Igitur diuersio est composita, & ideo non oportet reuellere per integram diametrum, quia remedium uel esset nullum, uel tardum, quia solùm reuelletis materiam quæ fluxura est, sed materiam quæ iam fluxit non euacuaret, & sic dolor & inflammō non sedaretur, sicq; remedium esset nullum. Igitur in hoc casu est facienda reuulsio per mediam diametrum, ex qua habetur euacuatio materiæ in loco fluxæ, & etiam diuersio materiæ fluxuræ. Sed quando est morbus factus, non tamen est morbus magnus, ut si caput dolet longo dolore, qui dicitur cephalæa, eligimus magnam distantiam, & facimus cauterium in cruribus. Sed trahitur materia ad propinquum, quando materia est pauca. Et sic habetis quando debetis euacuare per integram diametrum, & quando per dimidiam.

Quæstio fuit supra proposita, utrum in diuersione esset seruanda una tantum diameter, uel duæ. Et audiuistis, quomodo intelligatur reuulsio tum ex parte subiecti, tum ex parte prædicati: deinde quædam supposuimus, quæ erant supponenda: postremo

audiuistis, quomodo reuulsio fit, ubi est aliqua ægritudo particularis existens in aliquo membro. Quibus propositis, postea respondebatur ad quæsitum, quod erat, utrum in reuulsione liceret seruare unam tantum diametrum, uel duas. Et diximus, non esse faciendam euacuationem per duas diametros, quia nõ seruaretur rectitudo uiarum, neque commodus ductus. Quòd si aliquis percontaretur, an sit facienda reuulsio per unam diametrum integram, uel per dimidiam, diximus, quòd si morbus est futurus, quòd debemus trahere per integram diametrum: sed morbus partim fit, partim est factus, debemus diuertere seruando dimidiam diametrum: ut dicit Gale. in secundo de ratione uict. in cura pleurit. ubi uult, esse secandam uenam ab eodem latere, quia simul trahetur materia ad longinquũ, & a loco etiam euacuabitur; unde ista est simul euacuatio a loco, & diuersio ad longinquum. Igitur est reuulsio composita. Ideo non debemus eligere partem longinquam, quia remediũ uel erit nullum, uel tardum. Cùm igitur morbus sit acutus, indigemus remedio præsentaneo, quia morbus ille acutus est magnus, non dat inducias, & ideo quando Auicen. trahit materiã in pleuritide a pede & a parte opposita, facit remedium uel tardum, uel nullum. Igitur ex istis cuicunque quæsito respondere potestis, & scietis, quando est seruanda integra diameter, quando dimidia. Sed si quis quæreret, cùm diuersio fiat uel per attractionem uiolentã, uel per euacuationem, cùm tres sint dimensiones, per superius,

rius,& inferius,ante & retro,dextrum et sinistrū, quando esset facienda reuulsio per euacuationem, nunquid poßit fieri per tres diametros uerbi gratia in pleuritide uolo reuellere humorem per euacuationem,nunquid possum facere hanc siue per longitudinem,siue per latitudinem, siue per profunditatem? Dico,quòd semper debemus seruare diametrum longitudinis,non autem latitudinis,neque profunditatis,nisi simus coacti;sed semper debemus trahere per longitudinem,quoniam seruatur illa, quæ dicitur cathixis,& progressus debitus. Et si bene consideratur substantia uenarum, & opus naturæ, seruatur cathixis secundum longitudinem. Scitis ꝙ uilli & fibræ quæ sunt secundum longitudinem,adiuuant ad attractionem;quæ secundum latitudinem, ad expulsionem. Modo cùm natura expellat per fibras,& substantia uenarum sit talis,dico quòd oportet seruare situm fibrarū ipsarum. Vnde si est progressus unius uenæ per dextram partem,& sit uena habens progressum per sinistram, cùm sit rotunda uena habet fibras hinc & inde; nam fibræ in parte dextra trahunt a parte dextra,quæ autem in sinistra,trahunt a sinistra;unde attractio non fit ratione spatij,sed ratione fibrarum, neque ratione spatij aliquid refert,siue mittatur sanguis a dextro,uel ad sinistrum,deuenit ad spatium medium, ad uenam con cauam: nam tam æqualiter potest tēdere ad hanc partem,quàm ad illam,sed quod est iuuamentum? Est,ꝙ seruetur debitus progressus,non ratione spatij,

tij,quia est idem spatium,sed ratione fibrarum. Vnde in tertio Prorheticor. 33. dicit Gale. quòd quando materia est in parte dextra uel sinistra, semper natura trahit ad illam partem,& si fuerit oppositũ, fœliciter non succedet euacuatio, quia natura tunc agit coacta. Et ista est ratio. Vnde ad quæsitum dicimus,quòd in qualibet reuulsione,quæ fit per euacuationem,debemus trahere per longitudinum: sed quãdo attrahitur materia per diuersionem uiolentã, in hoc casu licet seruare rectitudinem situs, non propinquam. Vnde si fuerit materia in anteriori parte capitis,poterit trahi frictionibus ad posteriorẽ. Ita in hoc casu etiam possumus attrahere per lineam rectam,quæ est inter dextram & sinistram. Igitur dico,quòd reuulsio quæ fit per euacuationem,debet fieri per lineam rectam per longitudinem;quæ autem per uiolentam attractionem,potest fieri per quascũque diametros,dummodo rectitudo seruetur. Sed dubium est,quando diximus,si morbus fuerit magnus, & magna fuerit plenitudo in corpore, si trahemus ab eadem parte, nonne attrahetur maior copia materiæ ad locum? Vnde Arabes omnes deuenerunt ad hoc,quòd stante magna plenitudine, fiat diuersio p duas diametros, ut si fuerit inflammatio in hepate, debemus primo mittere sanguinem a sinistro pede, deinde a pede dextro,deinde a brachio sinistro,deinde a dextro. Quòd si a pede sinistro primo euacuaremus,debilitabimus uirtutem,& non sedaretur dolor,quia non trahitur aliquid a loco læso. Quando

*postea accedetis ad tertiam phlebotomiam, enecabitis ægrum.*Et *in hac sententia fuit* Auicen.*Est tamẽ contra rationem,&* *contra* Gale.*&* Hippo. *qui semper ab eodem latere mittunt sanguinem, sed minus copiose, si paucus est sanguis; quandoque autem copiose, si multus est sanguis.*Quia *dicit* Gale.*quòd nõ solùm debemus euacuare sanguinem, qui fluit, sed ẽt qui fluxit.*Et *ideo est facienda euacuatio ab eodem latere. Sed dicet ille, adest illa maxima plenitudo; igitur trahitur maxima copia materia ad locum.* Dico *quòd hoc nihil ualet, quia oportet mittere sanguinẽ in pleuritide usque ad syncopem, si oportuerit dicit* Gale.*Igitur dicit, si oportuerit, quia non semper talis euacuatio est facienda, sed ubi oportuerit, hoc est, quando erit maxima plenitudo in corpore, & tunc non trahetur materia ad locum. Sed quoniam uideo nonnullos, quos non possimus docere, cùm dixerim esse mittendum sang. usque ad animi defectum, ubi fuerit dolor maximus, uel inflammatio maxima, non intelligunt quòd etiam non conueniat dare pharmacũ, quòd usque ad animi defectum euacuet, præsertim cùm hoc apertissime asserat* Gale. 29.*apho. secundæ particulæ sed isti peccãt, primo quia nõ intelligunt* Gal. 2.*sibi ipsi contradicunt, tertio non intelligunt rei naturam; nam dicit ibi* Gal. *quòd debemus mittere sanguinem usque ad syncopem, debemus tamen facere distinctionem, utrum debeat fieri missio, an euacuatio per pharmacum usque ad syncopẽ.*Quòd *hoc sit uerum, uidetis* Gal. 2.*de ratione uict. tex.xi.*

ubi

ubi dicit Hipp.*quòd si dolor est in pleuritide, & sit infra septum transuersum, debemus euacuare pharmaco; si suprà, sanguinis mißione;* Tamẽ *dicit ibi* Gale.*quòd est aduertendum, quomodo ibi exhibeatur pharmacum, quia posset nocere: et addit etiam quando cognoueris, quòd debeat ille pharmaco euacuari, & tu debeas euacuare, & uides quòd potes, euacua, tamen cum dosi mediocri medicinæ quàm expertus es.* Igitur *oportet rẽ intelligere: & si* Gale.*non diceret hoc reprobarem* Gale.*quia sic mihi dictat ratio. Sed tu dixisti, quòd ubi est facienda reuulsio, quòd nõ debet trahi materia, nisi per longitudinem; tamẽ dicit* Gale.*xiij.* Therap. *quòd si alterum crus male habet, quòd est alterum phlebotomandum.* Dico, *quòd mea regula semper est uera; sed quando hoc facit Galenus?* Quando *est in crure morbus, uult quòd fit reuulsio in crure opposito.* Dixi, *quòd in reuulsione est cauendum, ne transitus fiat per membrũ principale; unde si in pleuritide hypochondria dolent, est signum quòd inflammatio est in costis inferioribus, quæ communicantiam habent cum corde, & tamen traheres materiam per ipsum cor.* Modo *si ægritudo est in crure dextro, consideres situm uenarum; si trahis a brachio dextro, materia transibit per cor; quod uidens* Gale.*trahit a crure sinistro, & eligit minus malum, quia magis elegit non seruare ita commodum processum, quàm permittere quòd materia transeat per locũ nobilem.* Præterea *est satis bonus prouentus, quia sanguis transit per amplam illam*

uenam,& ita fieri potest diuersio a latere illo opposito. Sed hoc facimus, ut maius malum euitemus, et hoc est operari coacta operatione. Tamen quando non est aliquid, quod nos impediat, semper facimus diuersionem secundum longitudinem, secundum scilicet superius & inferius. Quoniam dicebatur suprà, quòd debeat fieri diuersio per longitudinem, & si fuerit materia in altero crure, quòd ab altero debeat fieri attractio, & ideo superius per longitudinem, quia fuerit attractio materiæ per locum nobilē. Dubitarunt nonnulli, quia etiamsi sit affectio in parte superiori, & trahatur materia deorsum, idem euenit. Quoniam quando etiam materia transit a superiori parte ad inferiorem, per locum nobilem transit; tamen hoc prouenit ex debilitate ingenij. Nam sicut audiuistis, quòd in diuersione materia est trahenda cathixim, ideo sanguis facilius deorsum trahitur, quia sanguis grauis est; & si sursum trahimus, est uiolenta attractio, unde aliquid potest remanere in aliquo membro nobili, & postea sequuntur sæuissima accidentia. Igitur non est eadem ratio. Accedamus ad rem nostram. Cæterum. Cùm locutus esset Auicen. de euacuationibus quæ fiunt per deriuationem, & per diuersionem, & cùm diuersio siue reuulsio sit duplex, quædam per integram diametrum (& hæc est reuulsio ad longinqua) quædam per dimidiā diametrum; Dicit Auicen. Igitur quando uis reuellere a longinquo seda prius dolorem partis, a qua reuellis; quòd si reuellis per mediam diametrum, nō est

sedandus dolor, ut fit in pleuritide; ratio, quoniam in hac reuulsione simul retrahitur materia, & euacuatur a loco. Hinc est, *quòd simul distrahitur materia, & sedatur dolor.* Et *ideo non loquitur* Auic. *de reuulsione quæ fit per mediam diametrum, sed de ea quæ fit à longinquo, & quòd in hoc casu prius est sedandus dolor, quoniam quando fit reuulsio per integram diametrum, non euacuatur aliquid, a quo uel in quo suspicamini esse ægritudinem.* Et *ideo bene diximus, reuulsionem talem deberi morbo futuro.*

Q*uando igitur est morbus factus, & cogimini propter rationes dicendas reuellere a longinquo per integram diametrum, priùs est sedandus dolor; & hoc hîc dicit* Auicenna. P*rius autem est sedandus dolor: quoniam cùm facietis istam reuulsionem, nisi sedetis dolorem, æquabitis uim attractionis.* Vnde *quando trahimus ad unam partem, tantum etiam trahit dolor ad locum dolentem; & ideo tunc materia nõ obedit reuulsioni.* Vnde *dicit* Auicenna *esse sedandum dolorem in tali reuulsione, ut materia reuulsioni obediat.* Sed *nunc oportet uidere quomodo sit sedandus dolor.* Sed*atur tripliciter, uel per euacuationem a loco, uel per stupefacientia, uel per anodyna.* Hîc *non est euacuandus locus, neque potestis applicare narcotica, & dicit* Gale. 12.Meth. *ubi dicit, cauenda esse narcotica, nisi sit dolor talis, qui statim inducere habeat mortem; quia in hoc casu oportet potius narcoticis nocere, quàm permittere hominem mori.* Nos *autem hîc loquimur de cura non coacta.* Narcotica

igitur non applicanda. Ergo restant anodyna scilicet quæ euaporant, esse applicanda. Modo quæ rare faciunt poros in loco affecto, aperuit, & tunc maxima materia fluit ad locum. Ob id dicit Gal. in Meth. quòd potius debemus uti repercutientibus frigidis & siccis. Si igitur hæc non conueniunt, quo modo se dabitur dolor? considerandum itaque, nunquid inflãmatio quæ facit dolorem, sit in cute, uel in profundo: si fuerit in profundo, ut in pleuritide, et non liceret per aliquem casum facere euacuationem per mediã diametrum, sed oporteret facere uiolentam diuersionem per integram diametrum, oportet sedare dolorem: & tunc si fuit inflammatio in profundo, dico q, licet uti anodynis, quæ non sunt nimis calida, et sunt pulueres cumini, canis stercus, succum caulis, adeps anserinus, quæ omnia miscebat, et loco apponebat in pleuritide quidã monachus, & bene semper succedebat. Igitur dico, quòd in tali casu possumus uti anodynis, quia quando materia est profunda, et pori cutis rarefiunt, materia illa euaporat, & dolor sedatur. Et hoc fuit etiam præceptum Hippo. Si tamen propter hoc non sedatur dolor, non liceret perseuerare, sed oporteret tunc euacuare; sed si inflammatio fuerit in cute, tunc anodynis uti non liceret, quia fieret multa attractio materiæ: sed prius debemus in principio uti repercutientibus, quæ enim sunt frigida & sicca, constringunt cutim, & repellunt a loco, unde materia illa repulsa facile tendit ad locum, in quo fit illa diuersio uiolenta. Quòd si materia est in pro-

profundo, nō debemus uti repercußiuis, quia nihil fa ceremus. Ista est igitur regula, quā non aduerterunt isti nostri interpretes.

CVMQVE *ad locum non obedit, ad quem ipsam trahis, non uiolēter agas. Sed quoniam in huiusmodi reuulsione uiolenta sæpe non trahitur materia, quando igitur non succedit tibi reuulsio, noli ulterius progredi, nam sequuntur inconueniētia, quæ dicit, & nos declarabimus. Quoniam non potest trahi materia diuersione uiolenta, hoc potest contingere uel uitio uirtutis, quando est debilis, & non adiuuat medicum; natura enim est operatrix, medicus uerò minister. Vel ratione uiarum, de qua non loquemur, quia præsupponimus, quòd uirtus sit, sicut esse debet, & uia etiam. Sed loquimur de materia, quæ uel minus est crassa, & uiscida, uel nimis subtilis. Si enim est crassa & uiscida, ideo facile mouetur, nec obedit, quia adhæret igitur, nihil faciemus, sed dolor inducetur in loco, & fit feruor in corpore, agitātur humores, & prosternitur uirtus. Si autem fuerit subtilis, non facile obedit, quia propter subtilitatem imbibitur in porositatibus membrorum. Et ideo quādo uis trahere hanc materiam imbibitam, non potest extrahi, & dum tentas huiusmodi uiolentam attractionem, hanc materiam calidam adhuc reddis caliorem, & postea in membro magis uicino inducis dolorem. Dicit igitur Auicen. si materiā fuerit subtilis, magis attenuabitur, & imbibetur; si cra[illegible] non trahet, unde facilius ad locum affectum trahetur, tā*

quam ad locum magis propinquum, & morbus fit malignior. SI uero. Cùm dixerimus, duplicē esse reuulsionem, aliam quæ fit per euacuationē, aliam quæ fit per reuulsionem, nunc loquitur de reuulsione, quæ fit per uiolentiam, per dolorem, & per calorem. Docet autem Auicen. quòd hoc debeat fieri, sed non docet quando. Isti moderni dicunt, quòd hoc debemus facere, quando materia non habet malam qualitatem, & in se est pauca. Hoc dicit Gentilis, tamen multas habet oppositiones. Quando enim in corpore humano adest materia non peccans in qualitate, neque in quantitate, nulla est repletio. Sed quoniā ista obiectio, licet sit uera, tamen est nimis seuera, quia intelligo sano modo. Posset dicere Gētilis, quòd si nō est qualitas in intenso, ut uoluit, quòd licet sit mala qualitas, sed non nimis mala; & qualitas, sed nō multa, & dat exēplum si fuerit talis materia pauca, & non malæ qualitatis, talis euacuabitur a propinquo per deriuationem. Si enim est pauca materia in capite, & non in mala qualitate, non trahet ad pedes; sed per nares. Sed quando hoc non fit per euacuationem dico quòd si possumus, deberemus; sed quandoq; hoc non potest fieri, ut si morbus non dat inducias, ut si aliquis incidat in syncopem, in præfocationem matricis statim debemus diuertere ligaturis, frictionibus in parte opposita, etiam quandoque instrumenta non obediunt, neque uirtus, ut in magna apoplexia, quia tunc sanguis est congelatus; igitur conueniunt ligaturæ dolorosæ, et cucurbitulæ in parte op

posita,

posita, donec uirtus uigoretur aliquo pacto, & interim reuiuescat homo. Quandoque etiam fit propter magnam debilitatem uirtutis, sicut fit in febribus pestilentibus, quando materia repit ad caput, tunc facimus reuulsionem uiolentam in istis casibus, non autem sicut dicit Gentilis, in materia pauca, et in bona qualitate.

Caput quartum, usque ad 20.

DE regulis communibus uomitui & solutioni uentris, & qualiter trahat id quod uentrem soluit, & uomere facit. In hoc capite pulcherrimæ occurrunt dubitationes; pro continuatione igitur ipsius cum præcedentibus sciendum hoc de Auicen. quod postquam composuit hunc librum ipse nunquam derelictus est, tantæ utilitatis est scilicet. tria tamē sunt quæ faciunt multos errare: primum est quòd in particularibus nullum seruat ordinem: secundum quia nimis breuis, tertium quia male est traductus. oportet igitur quod faciamus melius quàm possumus; distinctio istius capitis non est essentialis sed intitulandum est caput de euacuatione, ut doceamus qua arte sit euacuādum. in hoc cap. igitur uidebitis Auicen. nullum seruasse ordinē, primo enim statim aggreditur decem limitationes, ut uidistis; deinde quinque indicantia, postea proponit multa alia nullo seruato ordine, unde derelinquitur doctrina confusa; ut igitur habeatis aliquam seriem: Si ego

tradidissem, hanc materiã, si proposuissem mihi agere de euacuatione primo proposita intentione mea de euacuatione uel de arte euacuandi, intentio mea fuisset declarare quid intelligerem per euacuationem, quæ est extractio humoris peccantis extra corpus; tunc erat distinguendum quid euacuatio: uel enim sunt humores omnes quæ sunt in uenis, & dicitur ista euacuatio uniuersalis omniũ humorum, alio modo euacuamus non omnes humores sed unum tantum, qui male aliqua qualitate peccat; prima euacuatio a Græcis dicitur nomine generis euacuatio, secunda dicitur purgatio, & ita habemus quod euacuatio uel est omnium humorum, uel unius humoris: Vbi habemus duplicem hanc diuisionem ex parte materiæ, tunc oportet etiam diuidere euacuationem ex parte loci. Aut enim euacuatio euacuat totum corpus, uel unam tantum partem corporis; Quælibet autem euacuatio, uel fit per uomitum, uel per secessum, uel per urinam, uel per sudorem, ubi facta esset ista distinctio, oportet etiam ut intelligatur quæ est euacuatio a parte, nam uel trahit a loco remoto, et dicitur diuersio uel a propinquo, & dicitur deriuatio: uel a loco læso, & dicitur euacuatio: quibus recte in communi sit distinctis, oportebat postea seriatim accedere ad quinque illas intentiones quid agendum quando, quantum, quomodo, &c. deinde deueniẽdum ad illas indicationes, quæ istas intentiones nobis indicarent: deinde ubi habemus quid agendum, quantum, quando, &c. oportebat posta accedere ad de-

decē illa limitantia, & uidere quid nobis limitant, concedant, uel prohibeant: demum his in uniuersali habitis, ad particularia accedere, et uidere quæ esset materia in particulari, an sit bilis, uel pituita, si de quantitate quæ quantitas, & sic de alijs decem limitantibus idem erat obseruandum: & uidere quæ sit uirtus quæ tolerat, quæ regio, & reliqua, iste erat uerus ordo obseruandus ab Auicenna, cum tamen dicat ista confusissime: Nunc igitur Auicen. cum dixisset suo modo de qualitate euacuationis, docet quæ corpora sint euacuanda, quando, & quomodo: dicit igitur quando uis euacuare materiam uel per superius, uel per inferius, uel per uomitum, uel per secessum, quod debemus exhibere ægro cibos, & uina diuersarum naturarū: & cum sæpe in die cibare: primo quantum attinet ad primum, Quærite horā, tempus, quo commodissime fiat euacuatio: indicatur nobis ista commoditas a concoctione materiæ, & ab apertione uiarum, siue præparatione, & ideo hic docet quomodo sint parandæ uiæ, scilicet exhibendo cibos sæpe & plurimarū: naturarū: fundātur iste præparationes in natura rei, quoniam uentriculus a cibis diuersarum naturarū deterretur, quia delectatur ab uno & offenditur ab alio, a contrario; diuersitas illorū cib. in quantitate & qualitate lædit: secundo si modo una uice, modo alia & sæpe exhibeatur cibus, facit quod uentriculus abhorreat, ita quod euomat, quia non bene continet, sic de intestinis quæ etiam expellunt: accipitur autem hoc documentum

 ab

ab Hippo.*in tertio libro,si est* Hippo.*de uictu salubrium:dicit ibi* Hippo. *quod quicunque uolunt parari ad uomitum,quod illis debent exhiberi cibaria, & uina diuersarum naturarum &* Gale.*in commẽta.hanc eandem rationem aßignat. aduertatis tamẽ quod ille qui traduxit,male interpretatus est, quia textus dicit,Qui uolunt parari & fieri apti ad hoc ut euomant.*Ille *autem interpretatus est aliter, quia dicit,Qui uomunt, hoc autem non dicit, sed dicit, Qui uolunt parari ad uomitum, non qui actu uomunt.*Nihil *igitur deest ad intelligendum,quantum pertinet ad istam primam partem.* MOLLEM *uerò habens uentrem nihil ex hoc facere debet.* Q*uòd si quis diceret,quod si aliquis haberet uentrẽ & uentriculum paratum ad expellendum;quid erit agendum? dicit* Auicen.*quod tunc nihil debemus facere,quia tũc uiæ sunt paratæ:* Deinde *cum locutus sit de euacuatione quæ fit per uomitum, & per secessum,accedit modo ad ea corpora, & ad eas consuetudines, quæ euacuationem per superius uel inferius non tolerant, & dat indicationem ex consuetudine,& more uiuendi; & dicit quod illa corpora quorum consuetudo est cibos bonos comedere, tales uel non sunt euacuandi, uel si sunt euacuandi, ut si superfluerit humor in corpore, potius debet euacuari per sang. mißionem & nascitur ex ista regula iam dicta; quia quando humores æqualiter augentur, tunc debetur sangui. mißio, quoniam quando homo utitur cibis laudabilibus, genera-*

tur bonus sanguis, quare humores æqualiter augen tur, & ideo conuenit uenæ sectio. sed istud documentum & si in se uerum est, tamen non est perfectum; quia si corpus esset male affectum calidum & siccũ, & sumeret bonos cibos quid esset agendum? diceret Auic. quod hoc contingeret, non ratione consuetudinis, sed ratione dispositionis corporis: quare etiam alias conditiones considerare oportet: ut temperaturam corporis. Sed indicatio sumpta a consuetudine semper in se dat hoc, quod ubi sunt sumpti boni cibi si debet fieri euacuatio fieri debet per sanguinis missionem, non per pharmacum hic textus debet interponi. Quoniam autem locutus est de phlebotomia, & de purgatione per pharmaciam, nunc proponit quæstionem, quando debet fieri simul utrunque, si debeat quandoque & purgari & secari uena, quid debet præcedere, & determinat quod debet præcedere mißio sanguinis de qua re iam in sequentibus.

CVM *autem minutio necessaria fuerit, & uentris solutio ex aliquo quod sit ut elleborus & uiolentæ medicinæ, à minutione incipere debes. Cum supra docuerit quod si humores æqualiter augentur in uenis quod debemus euacuare tantummodo sang. mißione, modo inquit si contingat quod sit necessariũ mittere sanguinem & per pharmacum purgare; inquit quod quotiescunque indigemus utroque remedio, quod debemus incipere à mißione sanguinis, circa hoc ego ita procedam: primo declarabo Auic. ostendamq; quomodo nesciat quid uelit dicere: quia*

est maximè confusus, & sibi contrarius, & ideo proponam quæstionem, in qua apparebit quomodo Auicen. sit confusus, & quando, omnia autem ex Gal. & Hippoc. dicam. Dicit igitur Auic. primo absolute, & generaliter, quod ubicunque indigemus pharmaco soluente & phlebotomia, semper est incipiendum à phlebotomia, & in hoc optime, & explicate dicit Auice. quod ubi indigemus medicina scilicet soluente, & mißione sang. quod debeamus incipere a miß. sang. uideamus, modo quid ulterius dicat. ET *similiter si humores, hic incipiunt confusiones. dedit regulam generalem, hic autem dicit, & similiter si fuerint humores phlegmatici, mixti cum sanguine: hoc similiter &c. facit maximã difficultatem: quia humores phlegmatici sunt in pluribus differentijs.* QVOD *si uiscosi & frigidi fuerint. Primo dixit quod si humores fuerint phlegmatici mixti cum sanguine est incipiendum a phlebotomia, nunc autem dicit quod si fuerint craßi, & frigidi, fortasse dicit, non profert aliquid certi, sed fortasse si prius mittis sanguinem augebis cruditatem: igitur debemus in hoc casu incipere à pharmaco, quare primo dedit regulam generalẽ quod debemus semper incipere a phlebotomia, postea dicit ꝙ si humores fuerint phlegmatici &c. quod debemus etiam incipere a phlebotomia, 3. dicit quod si humores fuerint frig. & uiscosi est incipiendum a solutione uentris:* E T *ad summum si humores fuerint æquales, præmitte minutionem. Dat regulã generalem, in summo dabo tibi regulam quando erit*

incipiendum ab hoc,quando ab illo,quare regula de ficeret.Regula Auicen.fuit,si humores fuerint æqua les præcipit mißionem sang.ante lenitionem, si autē aliquis humor præualet,præmittit solutionem uentris.Sed uellem scire quid per æqualitatem intelligat non debet intelligere æqualitatem ad pondus, sed æqualitatem quoad iustitiam,quando est plethora, & tunc præmitte phlebotomiam, si hoc intelligit Auicen.intelligit rem uanam,quia ex Gal. & Hippocr. imo ex ipso Auic.ostendemus quod ubi humores æqualiter augentur in uenis, quod solum est mittendus sanguis,non autem purgandum. Si enim humores solum peccant in quanto.s. per phlebotomiam euacuasti illam quantitatem,quid amplius requiris? quare non eges amplius solutione uentris. sed si intelligeret de æqualitate ponderis, uidelicet quod in uenis tantum sit de bile,quantum de pituita,& sic de reliquis,quod omnes scilicet idem habeant pondus,dicit quod stante tali æqualitate prius debet fieri missio sanguinis,deinde esset euacuandus solutione uentris humor qui in quantitate præualeret,tamen dico quod si daretur hæc æqualitas ponderis,uel non staret uirtus;& si staret debilis est, igitur neque hoc neque illud posset fieri,quare casus imaginabilis,non est,& ideo quando dicimus in aliquo corpore biliosо,prædominari bilem,tamen illud prædominium est ratione iustitiæ,non ratione ponderis,unde si in causonide mittetur sanguis, bilis erit certe in magna quantitate tamen semper erit maior copia sanguinis,

nis, ob id non datur ista æqualitas ponderis more imaginario & ideo uidete quantum deuiat Auic. *& fateor me non assequi intentionem* Auicennæ.

QVOD *si æquales non fuerit, imprimis superabūdantem euacua humorem, postea minue.* Dicit *si modo humores æquales non fuerint sed aliquis excedat euacua illum humorem, deinde cum redditi fuerint æquales humores mitte sanguinem.* Domini, *hic est contradictio, qua implicatur: quoniam stante plethora, stante æqualitate humorum, non potest superare aliquis humor in quantitate: bene stante plenitudine quoad uasa potest esse simul plenitudo quoad uirtutem, quia potest esse æqualitas iustitiæ humorum, potest etiam esse plenitudo quoad uirtutem, nō quia unus humor superabundat; sed quia aliquis humor peccat in qualitate ex quo uirtus aggrauetur : & sit plenitudo quoad uirtutem, in quo casu licebit prius mittere sanguinem deinde pharmaco euacuare, modo quod sit plenitudo quoad uasa, & sit æqualitas omnium humorum, & sit multitudo unius humoris, hoc est impoßibile.* Præterea *si peccat unus humor in qualitate, si euacuatur ut uult* Auic. *pharmaco. quare postea, cum sit æqualitas humorum, indigemus misſione sanguinis? idem accidit si fuerit humor peccans in qualitate si prius soluimus pharmaco, humores tūc sunt æquales. tum in qualitate, tum in quantitate. quare igitur post solutionem uentris, cum sit æqualitas, debemus mittere sanguinem?* Deinde Auicen. *dat unum documentum de mißione sanguinis, quod ubi*

quandoque contingit incipere a mißione sanguinis, quandoque a pharmaco dicit quod ubi contingit iste error, quod si euacuamus pharmaco, & debemus mittere sanguinem, quod statim non debemus mittere sanguinem, quia ex illa uiolenta euacuatione est debilitata uirtus, quare oportet stare per aliquot dies ut uirtus restauretur, & error corrigatur, ut poßimus postea mittere sanguinem, & bene dicit, si uero fuerit oppositum quod prius mittamus sanguinem, quando deberemus prius soluere pharmaco, non est tantus error, quia ex sanguinis mißione non ita aggrauatur uirtus sicut ex pharmaco, igitur non licet tantum interuallum temporis pertransire antequàm ad euacuationem per pharmacum accedatis.

Diuersæ sententiæ quæ sunt inter Arabes & Grecos, et Arabes inter se, & modernos, dederunt occasionem uidendi quando est facienda euacuatio per sanguinis mißionem, & per pharmacum, a quo sit incipiendum, res est magni momenti & quandoque ex huius errore sequitur mors. Quæstio est igitur, stãte neceßitate euacuandi & per phlebotomiam, & per pharmacum, a quo sit incipiẽdum; an semper ab uno, uel quandoque ab hoc, quandoque ab illo, & ut ordine procedamus & nihil sit ignotum oportet declarare quid per phlebotomiam intelligamus, phlebotomia ut ex 9. Meth. cap. 11. & 8. & lib. de phlebotomia colligitur, alia dicitur, quæ æuacuat uniuersaliter, & indifferenter a toto corpore, & talis nunquàm fit nisi stante plenitudine, alia quæ euacuat

cuat à parte aliqua determinata, quæ dicitur uel diuersiua uel deriuatiua, & ista non semper respicit plenitudinem sed quandoque fit nulla existente in corpore plenitudine, nam quando propter imbecillitatem illius partis uel dolorem, uidemus humoris fieri impetum ad aliquam partem cogimur retrahere ad partem oppositam, sicuti contingit in inflammationibus: & in contusionibus, aut quando quis cadit ab alto. igitur duplex est phlebotomia, secundo sciendum est per pharmacum hic intelligi solutiuũ medicamentum, quod trahit electiue, quemadmodũ intelligit Auic. in litera, ubi intelligebat de pharmacia quæ trahit electiue à toto, non autem intelligit de lenitione uentris, in quæstione igitur phlebotomiæ, quæ est a toto, & respicit plenitudinem, pharmaciã intelligimus illam quæ trahit electiue seu pharmacum uere soluens. Quando uero dicitur quod stante necessitate phlebotomiæ, & pharmaciæ, sciendum est quæ sit ista necessitas, & quando: quia fortasse quæstio esset resoluta. Sciendum igitur quod neque sanguinẽ mittimus, neque euacuamus, neque aliud quicquam operamur, nisi ab aliquo indicante determinate sit nobis indicatum, ita esse agendum; itaq; cum uolumus mittere sanguinem uel pharmaco purgare, oportet id esse nobis ab aliquo indicatum, ideo sciendum quod euacuatio nobis indicatur ab euacuatione: primo autem repletio in communi indicat euacuationem in communi, repletio talis indicat euacuationem talem, ex quo non possimus accedere ad eua-

cua-

euationem nisi hanc indicarit repletio. his stantibus inquirendum est quotuplex sit ista repletio, & in genere, & in specie. Repletio in genere, est duplex, quædam quoad uasa, alia quoad uirtutem, si autem istæ repletiones sunt simplices, indicatio quoque ab his profecta erit simplex: & si indicatio simplex fuerit, intentio quoque simplex erit: igitur & opatio simplex, ut si non uideo aliquam aliam repletionem in corpore nisi repletionem quoad uasa, indicatur mihi simplex euacuatio, quæ per sanguinis mißionẽ debet fieri, si est repletio quoad uirtutem, eadem erit ratio, nam si est simplex repletio, indicatio quoque erit simplex, igitur et intentio & operatio. igitur si est repletio quoad uasa, tantummodo conuenit mißio sanguinis, si solum repletio quoad uirtutem, euacuatio per pharmacum: pro quo uideatis 4. & 5. cap. quarti de sanitate tuenda, & librum de sang. misſione. Modo quando repletio non est simplex: quia cõtingit ut in uenis quandoque sit sanguis, massa sanguinis adaucta & cum hoc etiam aliquis humor cũ sanguine qui excedit a naturali dispositione, uel per qualitatem, uel per quantitatem, talis repletio nõ potest dici simpliciter quoad uirtutem, neque quoad uasa, stãte hoc casu quod multiplicẽtur humores uel in uenis uel extra uenas, & sit copia massæ sanguineæ, & alicuius humoris, hic nõ est repletio simplex, sed mixta: quare mixtam indicabit euacuationem, igitur & intentio nostra erit mixta, sic apparet quomodo fuit necessarium cognoscere quando est necessitas

tas utriusque, scilicet mittendi sanguinem & purgā di, tunc scilicet cum repletio mixta est, quando scilicet adest plenitudo quoad uasa & quoad uirtutem. His stantibus dicimus quod oporteat etiam scire quomodo debeamus præuidere an hoc prius, uel illud facere expediat, & hoc est quod quæritur circa quod uia rationalis inueniendi hoc est distinctio repletionis: quoniam licet nos dicamus ista est repletio mixta, non est tamen adhuc distincta. Quando igitur est talis repletio mixta, uel copia sanguinis & humor sunt intra uenas, uel humores sunt extra uenas, & sanguinis copia est intra uenas, stante hoc igitur quod copia sanguinis intra uenas & humor iste sit extra uenas; debetis cōsiderare an iste humor sit in uentriculo, uel in intestinis uel in cauitatibus aliorum membrorum. Modo *si est humor ille determinatus in intestinis, siue in uentriculo, & copia sanguinis intra uenas, hic utrunque debet euacuari: sed a quo incipiendum?* Dico *incipiendum esse à purgatione.* Nam *si stante plenitudine in uentriculo atque intestinis mitteremus sanguinem, statim traheretur humor iste ad uenas mesaraicas, & ad hepar: sicq; augeretur mala dispositio, igitur debet prius purgari corpus & mundificari uentriculus & intestina ab aliquo linitiuo, ut dicit* Hippoc. *secundo de ratione uict. deinde est mittendus sanguis. Sed si humor iste extra uenas existens est in cauitatibus membrorum et in musculis, debemus euacuare illum humorem ex quo est humor peccans & sit copia sanguinis, sed à*

quo debemus incipere? Nemini dubium est a missione sanguinis, quoniam in principio uirtus semper est robustissima, missio uero sanguinis requirit fortitudinem uirtutis, quoniam non stante, nullo pacto est mittendus sanguis etiamsi sit sanguinis copia. secunda ratio est quoniam euacuato sanguine qui grauabat uirtutem, natura fortior facta melius concoquit materiam in cauitatibus membrorum existentem, & facilius euacuabit. Tertia ratio est, missio sanguinis relaxat uias & aperit, ex quo humores extra uenas existentes facilius euacuat, imo dicit Gal. 4. de tuenda sanitate quod humores extra uenas existentes, uenas egrediuntur, & deueniunt ad uentriculum, et facile euacuantur, igitur uidetis rationes propter quas a sanguinis miss. incipere debemus. Si uero incœperimus ab euacuatione: primo per uiolentam illam euacuationem debilitabimus uirtutem, unde non erit amplius intentio ad sanguinis missionem. Secundo mouebimus materiam, & non euacuabimus, tertio uiæ non paratæ, & ideo trahitur materia usque ad certum locum, & ibi manet & sequuntur febres etiam malignæ, in hoc casu igitur a sanguinis missione erit incipiendum. Vel humores isti qui faciunt repletionem sunt intra uenas. & redundant, ut si sit sanguinis copia, & cum hoc etiam copia humoris biliosi, si scilicet consideremus tunc humorem, secundũ quãtitatem: uideo uerbi gratia quod bilis in hoc sanguine est multa oculi sunt crocei, uideo in uenis esse maximam redundantiam bilis, ita quod superat san-

 guinem:

guinem: non tamen secundum pondus, sed secundum iustitiam: quia semper dominatur sanguis: est enim semper plus de sanguine quoad pondus, sed dicimus esse plus de bile, quia est plus quam oportet, stante hac redundantia licet non sit aliquod peccatum in quali, sed in quanto, uel sit bilis uel pituita, stante hoc casu, illa bilis suffocet sanguinem: hoc loco est repletio mixta, hoc loco debemus incipere a purgatione quoniam si traheremus sanguinem, euacuabitur sanguis, atque bilis, magis tamen sanguis attrahetur, quoniã & ita bilis ebulliet & erit domina, igitur prius euacuetis bilem & postea trahetis sanguinem, & est hoc quod dicit Rasis sine aliqua distinctione, & cum euacuare uolueris sanguinem, prius mundifica sanguinem à cholera, debemus autem mundificare sanguinem, quando uincitur a quantitate bilis, igitur debemus prius mũdificare sanguinem a bile per purgationem, deinde est mittendus sanguis; quod autem dico de bile idem & de pituita. Verum est quod si pituita est mixta cum sanguine, magis indiget præparatione, sed de hac uidebimus. Stante igitur humore intra uenas qui secundum quantitatem dominetur, in hoc casu a purgatione incipiendum, deinde ad sanguinis mißionem accedere oportet.

Quod si humor non superet prius mittemus sanguinẽ, quod si humores solum peccent secundum qualitatem, hoc modo accipimus duas extremas qualitates, in summo malitiæ, alterum extremum, ut humor extreme frigidus crudus, & phlegma uitreum, uel ali-

aliquid tale, reliquum extremum, quando aliquis humor per alterationem & assationem est in summo caliditatis, & quando est bilis acerrima, uel humor adustus assatus, propter nimium calorem, inter quæ extrema sunt media, incipiamus a primo extremo, quoniam humor est in summa frigiditate cruditate in uenis, caueatis prius aggredi sanguinis missionē, sed cum quiete, cum balneis, procedendum cum frictionibus, quæramus concoquere illum humorem, sed eram oblitus, quod iste humor crudus ita est in ipsis uenis, quod uel est citra hepar, uel est in uenis longinquis & remotis, potest in utrunque esse & est maxima differentia, in neutro debemus mittere sanguinem sed si fuerit in primis uenis, solum diatrion pipereō debemus exhibere: a reliquis omnib. debemus abstinere, solum quiescat ille humor neq; fricare, neq; aliquid aliud facere debemus, solum debet abstinere a cibo, quia illæ humor faceret obstructiones & sequeretur febris, sed si fuerit ille humor inflammatus in primis uenis, in hoc casu educimus, & incipimus ab euacuatione, & deinde mittimus sanguinem. Si uero est ille humor crudus ultra uenas hepatis prius est concoquendus cum rebus calidis, cum fortioribus & robustis, ut diaspolitico, diacalamento, deinde mittatis sanguinem, postea pharmaco purgetis, sed si iste humor est extreme inflammatus &c.

Dictum est & quæsitum supra, utrum stante necessitate euacuandi per plhebotomiam & per pharmacum ab hoc uel illo sit incipiendum, primoq; de-

claratum est quid per phlebotomiam sit intelligendum, item quod intelligamus per pharmacum medicamentum electiuè traheres, postea ostendimus quãcunque euacuationem indicari ab aliquo indicante. a repletione scilicet, & quod euacuatio in communi indicetur a repletione communi, euacuatio particularis ab euacuatione particulari, ostendimus autem quando indicatio est composita quod euacuatio quoque est mixta in quo casu stat necessitas & mittendi sanguinem & euacuandi per pharmacum, quando scilicet adest plenitudo quoad uasa, & plenitudo quoad uirtutem, quando scilicet utraque plenitudo non ascenderit ad summum. Sed quando utraq; adest quando scilicet sanguis abundat in uenis, & est etiã aliquis humor aggregatus extra uenas, uel humor est intra uenas mixtus cum sanguine potest enim cõtingere quod sit bonus sanguis peccans tantum in quantitate suffocans uirtutem, & tamen potest etiã aggregari alius humor, propter uictum malum uel propter ocium, uel nimium exercitiũ, uel ex temperatura sua generatur multus sanguis, ex malo uictu autem humor calidior uel frigidior secundum quod malus uictus præcessit. Superiori lectione satisfecimus quando humor est in uentriculo uel in intestinis, et diximus quod debemus incipere a purgatione, et deinde mittere sanguinem. Si autem est in uacuitatibus membrorum semper debemus prius mittere sanguinem deuenimus ad illud membrum quando humores sunt in uenis, et tunc humor est uel in primis

ue-

uenis,et in mesaraicis citra hepar, sicut contingit in affectione hypocondriaca ut 3 .de loc.affec.et in hac sunt humores calidi uel sunt humores frigidi crudi, si sunt humores biliosi uos euacuabitis ante missionẽ sanguinis quia facile attrahetis, & non indigent ali qua præparatione quia facile educuntur,imò commo de educuntur:sed si fuerint humores crudi,non debe- mus mittere sanguinem neque euacuare, sed solum cum quiete debetis procedere cum somno & abstinen tia ut illi humores concoquantur. Vbi autem sunt cõ cocti debetis euacuare illos cum aliquo leniente, de- inde trahere sanguinem.Sed si humores fuerint in ue nis ultra hepar quid debemus facere?quando sunt ul tra hepar uel peccant secundum quantitatem uel se- cundum qualitatem, si peccant secundum quantita- tem,secundum æqualitatem iustitiæ,et si non est pro portio bilis siue pituitæ cum sanguine, sed sit maior copia bilis & pituitæ quam oporteat,in hoc casu u- bi peccat quantitas humoris in uenis, a missione san- guinis est incipiendum quoniam stante illa multitu dine,bilis lædit uirtutem & suffocat sanguinem cũ superuacua sit bilis,si trahitis sanguinem longe ma- gis adhuc superabit bilis,& ideo dicit Auic. & cum secabis uenam caue ne ad cruditatem deuenias hu- morum,uel ad eorum ebullitionem, igitur in hoc ca- su prius euacuetis bilem pharmaco postea mittatis sanguinẽ.Si autem fuerint humores pituitosi & pec cet solum quantitas,non qualitas, in hoc casu hoc i- dem debemus facere:quia si prius mitteretis sangui-

nem fiet illud quod dicit Auicē. scilicet quod adduces homines ad frigidorum cruditatem, quare prius debet pituita euacuari, attamen est differentia in euacuatione bilis & pituitæ, quia pituita indiget longiori coctione quàm bilis, unde in utroque humore semper est prius incipiendum a pharmaco. Si autem aliquis humor peccat in qualitate exempli gra. peccat in qualitate, quia talis qualitas si debet euacuari, talis esse debet ut non possit ad benignū reduci, ex 4. de tuenda san. cap. 3. ubi dicit si humores possunt alterari non debent euacuari, si autem non possunt reduci ad benignum, ut bene Arist. in secundo de generatione & corr. non habet regressum corruptio ad generationem respectu eiusdem humoris, igitur corrupti necessario debent expelli, quando igitur dicimus humorem peccare in qualitate, intelligimus quod quædam sunt quæ habent talem qualitatem ut penitus sint crudi, quæ nullo pacto acceperunt ornatum a calore naturali, uel sunt humores qui acceperunt assationem etiam, quando humores peccant in uenis secundum extremam qualitatem propter nimiam cruditatem, quid debebitis facere? debetis ne mittere sanguinem uel euacuare? Neutrum debetis facere, sed oportet ut solum procuretis concoctionem illorum humorum, non eo modo sicut quando humores crudi erant in uenis primis quia ibi abstinentia, quiete, solum procedebamus, hic autem debemus uti calidioribus ut diacalamento diaspolitico, & balneo, deinde sunt euacuandi, ultimo est mittendus sanguis.

Quod si fuerit alterum extremum ut si sit bilis acerrima, hæc est prius præparanda cum his quæ obtundunt illam acrimoniam, quia aliter suo feruore faceret excoriationem & syncopem, quare oportet quod primo præparetur deinde euacuetur, ultimo est mittendus sanguis. Si autem humores fuerint putrefacti qui nullo modo poßint præparari, dico quod debemus incipere a mißione sanguinis, deinde debemus euacuare, quoniã si mittimus primo rarefacimus corpus, rarefaciendo prohibitam transpirationẽ tollimus quæ erat causa putredinis, quare putredo illa remittitur, deinde fit apertio uiarum: præterea est maior uirtus in principio quando mittimus sanguinem & hoc semper fit & obseruatur in febribus putridis, quod si ab euacuatione inceperitis per pharmacum, debilitabitis uirtutem & non erit amplius occasio mittendi sanguinem. Modo stantibus istis extremis, media facile cognoscuntur: ob id dicit Gal. 4. de tuenda sanit. si humores maxime distant a natura sanguinis, prius illos euacua pharmaco, si autẽ propinquant naturæ sanguinis, incipiemus a mißione sanguinis. NON *omnes præterea euacuationes sunt necessariæ propter superfluitatem repletionis.* Notetis modo quia Auicen. in hoc cap. dicit omnia quæ dicit Gal. sed ita obscure, ut nullo modo poßit intelligi, primo dicit quod euacuamus, quod mittimus sanguinem, uel euacuamus per pharmacum etiamsi non adsit plenitudo, si hoc ita intelligit, falsum est, quod fiat euacuatio ubi non est plenitudo, nam mul-

ti sunt morbi magni imo desperati, in illis tamen nō conuenit euacuatio: ut in hectica & tabe, imo qualitas materiæ tollit euacuationem, quomodo igitur habetis hic documentum? quia dicit sæpe magnitudo morbi indicat nobis euacuationem sine aliqua repletione, sic etiam ipsa qualitas. Notetis autē *quod quando Gal. legebat Auic. & transcribebat, uel non intelligebat, uel non aduertebat. Sciendum etiam quod Gal. 9. Meth. cap. xi. dicit euacuationem esse duplicem, aliam simplicem absolutam quæ euacuat a toto, & ista semper respicit plenitudinem, uel quoad uirtutem, uel quoad uasa, sed modo contingit quod fiat, uel sit aliqua euacuatio sine aliqua repletione, ut quotiescunque nos euacuamus per reuulsionem ubi est aliqua pars nobilis oppressa, uel propter percusionem, uel propter aliquam aliam iniuriam, tunc, etsi non est aliqua plenitudo sensibilis in corpore, tamen est impetus excrementorum ad illam partem, tunc oportet ut euacuemus, & reuocemus impetum humoris fluentis, imò propter feruorem illius partis, etiam bonus sanguis currit ad illam partem, qui sanguis quando extra uenas facit inflammationem maximam & dolorem, in hoc casu non euacuamus propter plenitudinem, sed ut retrahamus ad partem oppositam, & talis reuulsio potest fieri nulla in corpore existente plenitudine, & hoc dicit Galen. in lib. de sang. mißione cap. 8. non docet autem ut docet hic Auic. quod scilicet etsi non sit plenitudo, tamen est euacuandum cum adest magnitudo, tamen*

ibi dicit Gal. tria ubi fuerint conuenit mißio sanguinis, scilicet uirtus, ætas, & magnitudo morbi: non intelligit tamen magnitudinem morbi sine plenitudine, hic autem Auicen. dicit quod magnitudo morbi indicat euacuationem remota plenitudine, quare debebat dicere quod magnitudo morbi particularis indicat euacuationem reuulsiuam etiam non existente plenitudine, ita in particulari loqui debebat, & non uniuersaliter. Quando autem dicit quod qualitas indicat euacuationem sine repletione, in hoc est etiam caute procedendum. Nam sunt nonnulli casus qui ponuntur ab istis modernis exem. gr. quòd aliquis expuat sanguinem, qui etiam sit sanguis salsus biliosus non peccat iste sanguis secundum quantitatem: nulla est repletio hic, neque quoad uasa neque quoad uirtutem, sed solũ est qualitas corrosiua, & in hoc casu Auicen. euacuat nulla existente plenitudine. Domini, isti decipiuntur quia repletio quoad uirtutem non semper dicitur quando est unus humor ductus in quantitate & aggrauet ratione quantitatis, quia intelligimus plenitudinem quoad uirtutem, quando est humor etiam aliquis in pauca quantitate, & in debita quantitate tamen adest qualitas mala erodẽs, hic est repletio quoad uirtutem, quia uirtus non potest tolerare, & indicat ista repletio euacuationem: & ideo est dicendum quod qualitas indicat sine repletione. Secundo errant isti: quando enim aliquis humor peccat, etiam si concederemus (quod tamen non est concedendum) quia est falsum, sed concedamus, quod

quod hic non est repletio,sed solum peccat qualitas, dico adhuc quod illi non debetur euacuatio absolute sed uera curatio esset rectificatio illius humoris ex. gra.est paucitas humoris,sed acuti salsi, & erodentis,est homo aridus,debet ne euacuari? minime:quia tabefiet,igitur est solum facienda epycrasis cum rebus obtundentibus acrimoniam. Inde *isti qui boni sunt medici ubi est catarrhus salsus ordinãt aquam in qua sit decocta portulaca,dant dragantum far et. uerumtamen quando humores peccant secundum qualitatem,ita quod corpus non sit macrum,& quãtum attinet ad illa x.limitantia poßit euacuari euacuetis,sed si est aliquid quod prohibeat, non euacuetis sed solum fiat epycrasis.*

ET *multoties quidem est euacuatio necessaria, sed superuenit aliquid quod prohibet. &c.* Iam ad*monuimus quemadmodum* Auicen.*in hoc cap.de euacuatione confuse agit sine aliquo prorsus ordine, cũ igitur ista fere sit series naturalis* Auicen. *non est quærendus aliquis ordo, & præcipue in hoc cap. est confusus*. Cum *igitur non poßint continuari sequentia præcedentibus ideo ista proponemus tanquam* Canones *& documenta, est igitur documentum tale,quod sæpe contingit quod euacuatio sit necessaria,est tamen aliquid quod impedit, & docet quid tunc agendum,circa quod debetis notare, ubicunque est indicatio necessaria euacuationis, ubi ad est repletio, & huiusmodi indicatio quæ indicat quid agendum semper se habet eodem modo,ut nun-*

quam

quam poßit immutari, quantũ ſit in ſeipſa: ubi enim eſt repletio ſemper indicat neceſſario euacuationem, non adeſt uirtus, complexio non tolerat, tempus anni: tamen neceßitas ſemper eſt euacuationis, igitur ſtante aliqua repletione, a repletione indicatur quid agendum, ſcilicet eſſe euacuandum: modo ſtante hac neceßitate, ſunt quædam quæ circumſcribunt uel limitant, quando non ſunt ita efficacia ut prohibeant, quandoque enim ita ſunt magna ut etiã prohibeant. Auicen. autem in hoc documento non ſolum fuit confuſus uerum etiam nihil habemus quod ad artem cõducat, dicit enim quod ubicunque adeſt neceßitas euacuationis, & fuerit aliquid quod prohibeat quod debemus habere ingenium ad abſtinentiã, ad ſomnũ, & contemperandum humores, & certum eſt quod limitantia ſi ſunt confuſa nihil certi limitant. Quãdo igitur dicimus ſi adeſt aliquid quod prohibeat, et non dicimus quid ſit illud quod prohibeat, uellem ſcire nunquid poßimus ex hac prohibitione uniuerſali elicere aliquid particulare. uerbi gratia dicit quod eſt ingenium nobis in ieiunãdo, ponatur caſus ex 12. meth. ubi erat febris ex humore acri bilioſo, cum ſyncope, ille humor indicat euacuationem neceſſario, eſt igitur euacuandus: ſed eſt quod prohibet, & eſt ſyncope, ita quod uirtus concidit: hic igitur non eſt euacuandum, debet igitur ieiunare? hic præcipietis ne ieiunium? ſi hoc feceritis interficietis hominem, imò tales ſunt uberius cibandi, ut docet Gale. 12. metho. imò iſtos in principio paroxyſmi cibat, igitur opor

tebat

tebat Auicen.distinguere quid sit illud quod prohibet.Si uero fuerint humores crudi,ieiunare quidem oportet sed hinc tamen æquare humores non licet, quia humores crudi non sunt maligni, ideo non debent æquari sed concoqui.Si autem humores fuerint uitrei facientes febrem humoralem syncopalem, debemus ne somno uti propter humores uitreos & crudos? dico quod debemus concoquere sed non nimio somno,sed temperato,quia debemus etiam uti uigilia ad discutēdos illos humores,quare Aui. magis distincte loqui debebat.oportet igitur cognoscere quid est illud qđ prohibet,si sunt humores acres, debemus paulatim euacuare & concoquere,& facere epycrasim,hoc est æquare humores quæ erat tertia conditio posita ab Auicen.quomodo etiam docet Gale.9.metho.Si uero fuerint humores simpliciter crudi, debetis concoquere & non æquare;& tunc bene præcipietur ieiunium,& somnus, ut docet Gal. quarto de tuēda sanit.Sed ubi humores sunt uitrei, conuenit quidē ieiunium,sed non somnus ita profundus & absolutus sicut quando humores sunt simpliciter crudi, & ideo hæc oportebat distinguere,& ideo regula Auicen.est diminuta ualde. AMPLIVS *euacuationis quædam est,quæ secundum modum præseruationis est.* Transgreditur ad aliud propositum diuersissimum, & quoniā duplex est actus principalis medici,alter est uniuersalis,custodire sanitatem, uel eā recuperare:unde duo oriuntur actus, scilicet curandi & præseruandi,de curatione hactenus multa:nūc

dicit

dicit de præseruatione euacuatio enim tam conuenit curationi q̃ præseruationi, Debetis tamen circa hoc notare, quod Auicen. cum loquitur de præseruatione quæ est actus simplex, transit metam suæ materiæ quia hoc attinet ad artem tuẽdæ sanitatis, sicuti dicit in tertia primi; nunc autem sumus in arte curatiua: ideo non debebat permiscere præseruationem, permiscuit tamẽ ex Gal. 6. apho. 46. Inquit (Quibuscũque &c.) ibi Gale. exquisitißime docet quomodo ibi est præseruatio simplex, quando uerbi gratia aliquis facile incidit in podagram, in uertiginem in aliquos morbos, qui periodici euadere solent, hos omnes purgare præcepit, & docet quomodo sint euacuandi, quod idem docet lib. de sang. mißione, & in lib. Quos & quãdo purgare oportet. Vbi docet istos uere esse euacuandos quoniam sunt euacuandi humores qui in hyeme sunt collecti, quia in hyeme plurimũ comedunt homines, parum exercentur, libenter manent apud ignem, prior propter pororum constrictionem non fit transpiratio, unde multa in hyeme colligunt excrementa, unde cum in uere humores cõmoueantur, illos euacuare oportet: & ideo dicit Gale. quod morbos præseruauit euacuando excrementa, hoc igitur uoluit hoc loco etiam ponere Auicen. Debemus autem scire propter ea quæ dicit Vgo quod euacuatio semper debetur præseruationi, non curationi: sed iste non aduertit neque aduertit neque diui sit præseruationem simplicem a cõposita neq; ad illum aphorismum iam allegatum, ubi Gale. reprehendit

hendit illos sophistas, ubi inquit qui dicunt quando humores actu peccant & euacuantur, quod tunc est praeseruatio, de nomine litigant, & male etiam intelligunt, & dicit Gale. quod ille actus neque est mere curatiuus, neque mere praeseruatiuus, sed est quidam actus omnino mixtus non habens nomen, & talis medius est inter artem curatiuam & sanitatis tuendae, & ideo Vgo non debebat uniuersaliter dicere quod euacuatio humoris semper est praeseruatio, quia loquitur de nomine & male quia confuse.

ET *forte exiccãtia exterius apponere et abstergentia, est euacuare.* Cùm loquatur de euacuatione nunc adfert unum modum euacuationis, qui est euacuare discutiendo per halitum insensibiliter, sed debebat facere ut Gal. in tertio artis paruae ubi prius dat modos omnes euacuationis, deinde de unoquoque seorsum tractat, quare sic etiam debebat facere Auicen. Debemus autem scire ut docet Gale. quod sunt quinque species euacuationis. Prima per pharmacũ, quae uel trahit per superius per uomitum, uel per inferius per secessum, secunda est per missionem sanguinis, tertia est per urinam, quarta per sudorem, quinta per halitum insensibilem per euaporationem qualis fit in exercitijs citra sudorem, & in frictionibus: istae sunt quinque species euacuationis: quae quãdoque euacuant a toto, quandoque diuertunt a parte opposita, quandoque deriuant a parte propinqua, quae tamen confuse tractat Auicen. & transit ad euacuationem quae fit per halitum, & dicit quòd quando

do fit euacuatio per ea quæ exiccant, ut in hydropē contingit,in quo exemplo etiam confuse docet; primo debebat docere Auicen. quando fiunt tot species euacuationis,quando magis cōuenit una quàm alia sicut docuit Gale.14.meth.8.ubi docet non esse faciẽdam euacuationem per halitum,nisi prius aliæ euacuatiōes sint factæ: deinde debebat docere in qua specie hydropi conueniant & quando ita ut traderet doctrinam distinctam, debemus igitur aduertere quod primo debemus prouidere ut totum corpus sit ab excrementis mundum, siue per pharmacum siue per sanguinis mißionem, deinde debetis euacuare per halitum.Sciendum præterea quod talis euacuatio solum conuenit humoribus tenuibus uel a natura attenuatis,uel ab arte:unde ubi aliquis patitur iectigationem,quando scilicet uentus non potest exire in hoc casu conuenit huiusmodi euacuatio per halitum & ideo consequenter etiam in illa hydrope tympanite,ubi igitur adest uentus conuenit talis euacuatio cum seminibus et oleis quæ hoc poßint prestare, & ista uentri applicari. quod præstat maxime est stercus caprarum,etiam præstat hoc tempore ut in rusticis uidi,stercus boum recens,quod coquatur sale & aceto,& ita calidum uentri applicetur.Debemus etiã scire,quod sæpe applicatis hæc medicamenta uentri,quod non solum purgatis per halitum sed etiam per intestina:et præcipue unguẽto Agrippæ, & magistrali,potißimum in pueris & fœminis,aut in corporibus mollioribus ut quãdo ægri nõ poßint

ferre

ferre uel sint inobedientes, sed corporibus ferocissimis ualidissima sunt applicanda debilioribus debiliora: & hoc in rusticis sum expertus sæpissime, cum maxima laude.

QVANDOQVE *etiam necesse est te dare medicinam, quæ sit ex genere euacuandi humoris in qualitate.* Transit more suo ad aliud longe diuersum a proposito negocio. Docet enim quomodo aliqua medicamenta simplicia debeant componi, quæ materia potius pertinet ad quintum librum. sequentes igitur nos institutum Auic. sensus talis est quod sæpe contingit medico dare aliquam medicinam, ualde uenenosam & contrariam, ut quando uerbi gratia peccat in aliquo corpore bilioso bilis, in quo casu oportet dare scammonium, quod calidum & corpori bilioso calido ualde contrarium & nociuum addere, igitur oportet aliquid addere ut caliditas scammonij obtundatur, ita tamen ut uis medicinæ non destruatur, & iuuamentum non impediatur. Docet igitur Auicen. quomodo possit aliquid admisceri, quo si debeat adhiberi calido & bilioso corpori eius caliditas redundatur, & intemperiem non augeat, & cum ratione mordicationis & subtilitatis intestina excoriet, id per alterius alicuius admixtionē prohibeatur, ita tamen retundatur, ut cum hoc possit etiã euacuare. Nihil autem commodius admisceri potest quam myrobalani citrini hi enim obtundunt, & bilem præterea euacuant & ideo non impediunt operationem scammonij, sunt autem frigidi usque ad se

cundum gradum, sicut scammonium calidum ad secũdum gradum: sed datur in minori dosi de myrobalanis citrinis, quàm de scammonio, & ideo sufficienter myrobalani obtundunt scammonium, cum refrigerẽt & maxime astringant, & corroborant: sicut etiam rhabarbarum corroborat & astringit, & ideo in alui fluxibus dare solent. Propter igitur adstrictionem impediunt myrobalani ne scammonium intestina excoriet, & si excoriata essent sanat maxime, igitur cum scammonio mixti conducunt. Sed si in myrobalanis tanta est uis adstringendi & nos uolumus euacuare. quomodo hoc fiet cum dicat Hippo. *corpora cum purgare uoles oportet fluida facere? quare deberemus potius facere ut meatus aperirentur: quomodo myrobalani hoc facient cum maxime adstringant? Ad hoc dicendum illud quod dicit* Gale. 2. *alimentorum cap. de cydonijs, & tertio simpl. de oleo rosaceo & chamæmelino, ibi dicit* Gal. *quod ea quæ astringunt si mollientia & humectantia præcesserint, non solum euacuationem non impedient sed etiã iuuabunt, nam illa astringentia comprimendo expellunt illud humidum, unde dicit,* Gale. *locis alleg. cydonia post prandium sumpta soluere uentrem, ante constringere. accedamus modo ad myrobalanos, isti habent uirtutem soluendi, habent trahere materiam ad uentriculum & intestina, ut declarat* Gale. 3. *de temper. ubi igitur est ista uirtus trahendi humorem biliosum in myrobal. est in parte subtiliori, quia caliditas eius est instrumentum præparans ad solutionem,*

nem.cum igitur ſit uis ſoluendi in parte ſubtili,pars ſubtilis deducitur ad actum, quia facilius alterat, unde rhabarb. prius ſoluit deinde aſtringit: quia aſtringit ratione partis craſſæ, euacuat ratione ſubtilis quare contraxerit materiam ad inteſtina,deinde aſtringit,tunc comprimendo expellit & euacuat, non autem euacuationem impedit & idem dicit Gale.*de oleo roſac.dico igitur quod aſtrictio myrobalanorum non tantum non impedit ſed etiam adiuuat comprimendo materiam,quam ad inteſtina ratione ſuarum partium tenuium attraxit.*

HABENTIVM *quoque in interioribus apoſtemata,uentrem ſoluere eſt difficile, & facere ut uomant.* Tranſit *ad aliud quod nullo pacto eſt connexum cum priori,quod ubi uolumus purgare ſiue per uomitum ſiue per ſeceſſum, debemus cauere ne ſit apoſtema intrinſecum,* Auicen. *hic eſt confuſus imperfectus & nihil docet, quæ ſint interiora, & quæ ſint iſta apoſtemata,pulmo cor ſunt partes internæ,& quando quis patitur pleuritidem eſt apoſtema internum, ſic lien renes inteſtina ſunt interna.eſt ne eadem in omnib.ratio? debebat hoc docere.* Nam *dicit* Hippo.*ſecundo de ratione uictus quod ſi fuerit apoſtema intrinſecum in pleureſi tendens ad hypochondria,quod debemus purgare medicamento ſolutiuo elleboro;quare ſemper licet euacuare niſi ſit apoſtema in aliquo membro per quod materia tranſire debet,et in uentriculo,hepate uel inteſtinis;* Quod *ſi fuerit in membris ſuperioribus ut in membrana*

brana succingente costas, uel in pulmone, non prætc rea tollitur quin possit fieri euacuatio per intestina quia materia tunc euacuatur & quæ fluxit & quæ fluxura est ad locum læsum, cum igitur dicit Auicē. *cum apostema fuerit in interiori, debuit declarare quid per apostema intelligat, scilicet uel frigidum uel calidum, si frigidum, uel œdema, uel scyrrhum; si calidum uel inflāmationem, uel erysipelas, uel aliud: quoniam longe magis est periculum in uno quā alio si exhibeatur medicamentum. unde optime in* 24. *aphorimo primæ particulæ hoc facit* Gale. *& dicit quod prima conditio in qua non debemus uti medicamento purgante est, si fuerint humores crudi in uentriculo uel in uenis mesaraicis, secunda si prius sumpsit cibos crassos & uiscidos, quod tamē non obseruatur, unusquisque enim medicus, dat suum mino ratiuum hyeram & etiam lenitiuum, cum tamen sic debetis procedere nisi comederit ante uel pastillos, uel lacticinia quia prius sunt concoquendi cibi isti tenaces.* Tertia *conditio est quādo hypochondria tē sa sunt, quæcunque sit illa læsio, quoniam cum iam inflata sunt illa hypochondria si exhibetis medicamentum quod trahat materiam ad intestina, quæ materia transit per hypochōdria, primo augetis læsionem, secundo non educitis: quia uiæ non sunt paratæ. quarta conditio est quando in hypochōdrijs fuerit aliqua supercalefactio, quoniam dum materia transit ubi inuenit calorem igneum facile putrescit, & fit febris.* Quando *est etiam apostema calidum*

longe minus debebis euacuare hominem, Gal. *omnia ista docet: unde doctrina* Gal. *est distincta*, Auicen. *autem imperfecte loquitur & confuse.*

SI *tamen fuerit necessarium, da eis quod sit sicut uolubilis.* Debet cauere a medicamento inquit Auicen. *si tamen fuerit necessitas, si scilicet fuerit tensio in hypocondrijs ibi est materia quæ debet euacuari, sed non medicamento quod trahat ab intimo ad circumferentiam, sed medicamento quod materiam illam solam euacuet hoc est leniendo, & dat exemplum* Auicen. *ut cum uolubili, & intelligit lupulos, quia de matresylua non potest intelligere, quia talis per urinam euacuat, quæ euacuatio hic non conuenit, igitur intelligit lupulos, quia per istos materia ducitur per conuenientem regionem, per intestina, uel dicit* Auicen. *Crocus hortensis quo utitur* Gale. *4. de tuenda. & dicit quod commodißime purgat uentrem semel sine lesione, & conueniens est senibus & debilibus etiam conuenit caßia, uel polypodium, & purgat humorem melãcholicum leuißime istæ sunt omnes medicinæ benedictæ, et per hæc intelligimus etiam mannam, syrup. rosat. solut. ubi autem fuerit apostema calidum in uentriculo uel in hepate uel intestinis tam a medicina soluente quàm a medicina benedicta abstinendum quæ omnino docere debebat.* HIPPO. *quoque inquit, qui fuerit macer & facile natura uomat.* Audiuistis quemadmodum in hoc capite colligendo Auicen. *quæ attinent ad materiam euacuationis, colligit multa præcepta*

 apho-

aphoristice,qui reuera sunt aphorismi, & dicit ex sentẽtia Hippocratis*, qui dicit,qui fuerit macer et facilis ad uomendum, per superiora euacuandum. Istá sententia elicitur ex tribus aphorismis quartæ particulæ 4.6.& 7.quartus est,medicari æstate per superiores magis,hyeme per inferiores, 6. graciles & facile uomentes purgare per superius cauentes hyemem.septimus,* D*ifficile uomentes & mediocriter carnosos per inferius euacuandum, cauẽtes æstatem. Sciendum igitur ut sciamus an per inferius uel per superius debeat fieri euacuatio tria notanda sunt.*Primo *materia,secundo tempus, tertio corpus.quantum attinet ad materiam certum est quod illi humores qui magis repunt sursum, debent duci per superiora:si autem inferius,per inferiora,iuxta sententiam* Hippocra. *quo natura uergit, eo ducere oportet:& unde bilis cum sursum repat, per superius potest euacuari:pituita & melancholia per secessum,quia grauia sunt & deorsum tendunt, materia igitur docet an per inferius uel per superius sit euacuandum respectu uero temporis constat quod in hyeme multiplicatur pituita,ex primo de natura humana,& in 4.apho.quartæ,euacuandum dicebat per superius æstate quia in æstate multiplicatur bilis,in hyeme per inferius,quoniam multiplicatur pituita.*R*espectu uero corporis,est 7. aphorismus graciles & facile uomentes per superius purgantur. per graciles autem non intelligit tabidos, arefactos propter atrophiam.& priuationem alimenti, tales*

 enim

enim nullam prorsus tolerant uacuationem, sed intelligit graciles, qui natura tales sunt, ut calidi & sicci: qui habent hepar calidum & ideo generant sanguinem biliosum: unde redundant plurima bile, & postea suapte natura facile uomunt, ideo per superius per uomitum debent euacuari, graciles inquit, & addit facile uomentes, quia si difficulter uomerent deberetis cauere ab euacuatione per uomitum, sunt enim nonnulli qui difficillime uomunt, ratione structuræ corporis, & dicit copulatiue graciles & facile uomentes, & bene. & hoc est quod dicit hic Auicen. Qui sunt difficulter uomentes & carnosi, isti melius euacuantur per inferius, est aphoris. quartæ particulæ, Qui sunt mediocriter carnosi nō redundant bile sed sanguine et pituita naturali, hæc enim facile uertitur in sanguinem, unde dicit Gale. 2. de Temp. Qui sunt calidi & humidi facile tolerant ieiunium propter copiam pituitæ quæ uertitur in sanguinem, tales igitur homines carnosi & ad uomendum inepti cum non habeant bilem ideo ratione materiæ non debent euacuari per superius, quia præterquam quod non adest bilis etiam difficulter uomunt, ideo per inferius debent euacuari, istud fuit præceptum Hippo. deinde Auicennæ. Sed hic insurgit difficultas. Nemini dubium est sententiam esse Hippo. Gale. & Auicennæ bilē longe facilius euacuari per superius, per inferius autem pituitā. quod melius æstate per superius, hyeme per inferius, oppositum dicitur ab Hippo. de diæta insalubr. qui est

tertius liber illius libri qui inſcribitur de natura humana dummodo ſit Hippo. *prius proculdubio eſt* Hippo.*ſecundus non eſt* Hippo.*neque uiri docti,ter tius non eſt* Hipp.*ſed eſt* Polybij *maximi uiri,quem maxime laudat* Galenus, *in hoc igitur lib.dicit* Po-lyb.*oppoſitum,quod in hyeme debemus ſemper eua- cuare per ſuperiora,quoniam hic pituita redundat, et debet per ſuperius euacuari, in æſtate autem per inferius,quoniã bilis tunc generatur, quæ facilius per inferius euacuatur.quare hic dicitur totum op poſitum.Quid dicendum,ſi* Polybus *fuit diſcipulus tam carus* Hipp.*& etiam contradicit illi?Galenus notat hanc difficultatem in com. illius ſententiæ* 16. *& dicit quod quando purgamus per ſuperius uel per inferius uel purgamus totum corpus, uel ſolum uolumus facere retractionem a parte oppoſita, ſi quærimus ſolum trahere ad partem oppoſitam,& ſi humor uergit inferius,& uolumus trahere,ſurſum; ſi ſurſum repit & uolumus trahere deorſum: dicit igitur* Gale. *quando aliquis uult euacuare nõ a to- to ſed a parte tunc eſt uerũ quod* Polybus *dicit quod in hyeme debemus euacuare pituitam ſurſum, quo- niam pituita cum multiplicatur & tendit ad inteſti na & faciat obſtructiones & tenſiones hypocon- driorum debet adſuperius retrahi,ita etiam quando in tempore æſtatis bilis repit ſurſum & facit nau- ſeam &:dolorem capitis,oportet retrahere deorſum ſed quando uolumus totum euacuare, oportet bilem per ſuperius euacuare,pituitam autem per inferius*

 ſi place

si placet hæc responsio accipiatis, ego potius credo quod Polybus uoluit cōtradicere Hippocrati,*nō nominauit tamen,quia iste erat mos istorum grauißimorum uirorum.*Si *autem uolumus considerare rei ueritatem* Polybus *habet hanc rationem.* Scitis *uos quod bilis generatur non in uentriculo, non intelligo praßinam, sed ueram quæ generatur in hepate. quod situm est circa fundum uentriculi ad costas nothas & tendit ad ipsa intestina nō sursum, natura habet porum felleum tendentem ad intestinum ieiunum,& ideo quando redundat bilis,tendit ad intestina,non ad uentriculum:*Cuius *signum est quod ubi bilis multiplicatur in corpore,fit excretio per intestina,non autem uomitu;unde uidetis quod bilis raptum habet naturalem potius ad inferiora, & uasa etiam hoc ostendunt,ex quo natura fecit uasa ab hepate ad intestina non ab hepate ad uentriculum,facilius igitur bilis educitur per intestina pituita opposito modo se habet, ea generatur in uentriculo & ideo cum ibi generetur facilius educitur per uomitum quàm per seceßum et hoc experientia uidemus unusquisque enim semper prius euomit pituitam,deinde bilem,& in hyeme facilius unusquisque euomit pituitam,quam æstate,& ita* Polybus *habet rationē qua potuerat illud proferre.*Hippo.*etiam habuit rationem,considerans naturam humorum,cum bilis sit leuis tendens superius ideo per superius debet euacuari,pituita,quia grauis ideo per inferius,attamen forte diligentius rem considrauit* Polybius,*si tamē*

placet

placet concordia Galeni illam accipiatis,scio ego ex
perientia quod hyeme sit facilior uomitus quã æsta
te,tamen ego contra Hippocratem aut Galenum no
lo aliquid audire.Dicit deinde Auicen.aliam senten
tiam quæ est apho.ille corpora cum quis purgare
uolet &c.dicit ibi Gal.secundum antiquos quod ibi
intellexit quod quando uolumus purgare corpus de
beamus aluũ lenire si p inferius uolumus purgare,si
p superius addit cũ aliquibus lenioribus excitare uo
mitum dicit Gal.ibi quãquam ista uera sunt, tamen
Hippo.aliud uoluit.s.quod prius oportet humorem
fluidos facere & attenuare,secundo parare corpora
hoc est aperire uias ductus & canales, per quos fit
transitus materiæ quæ euacuatur.Auic.accipit utrã
que expositionem & dicit quod quando uolumus e-
uacuare,debemus attenuare materiam, & aperire
uias,et quando uolumus euacuare per inferius, debe
mus prius lenire corpus,quando autem per superius
debemus leuioribus prouocare uomitum, & sic acci
pit utranque expositionem,deinde profert alium A-
ph.qui est 35.secundæ part.ubi dicit,In quouis mor
bo melius est habere craßitudinem uentris inferio-
ris,nam extenuatio,& colliquatio,prauum est,sed in
his purgationes per inferius sunt difficiliores,tacuit
autẽ per superius,dicit Gal.quia hoc est clarũ, quia
habent uentrem inferiorem gracilem difficillime pos
sunt euomere,hoc uolui dicere ut ostenderem Auic.
omnia simul ponere,& dicit quod qui habẽt uẽtrem
inferiorem gracilem difficillime euacuãtur tam per

superius quam inferius, hic est modo uidendum quæ sit ratio huius, est etiam uidendũ sit ne aliqua discrepantia, cum dicit superius oppositum, quod qui sunt graciles possunt euacuari, sciendum quod hic intelligit de gracilitate quæ est præter naturam sicuti expresse apparet in commento. Superius autem intellexit de gracilitate naturali. Dat modo aliud documen*tum, cùm locutus fuerit de medicinis, quæ faciunt uomitum & quæ euacuant per secessum.*

MEDICINA *quoque uomitum faciens quandoque fit uentris solutiua.* Iam *sciuistis quemadmodum* Auic. *in hac parte tradat præcepta de euacuatione quæ fit per uomitum & per secessum, & hæc inuicem comparat: et hoc proponit quod sæpe medicina quæ datur et fiat euacuatio per uomitum, fit euacuatio per secessum & econtra: ostendit causam* Auic. *quare hoc contingat, & hoc utile est illis qui uolunt exercere artem, cum uideant aliter succedere quàm intendunt, nos autem aliter quam antiqui nùnc inclinamus ad hoc quod fiat euacuatio per secessum, sæpe autem contingit quod cum demus medicinam soluentem per secessum, tamen fiat euacuatio per uomitum, ideo oportet ut medicus causam cognoscat, primo igitur afferemus causam cur medicamenta exhibita ut fiat euacuatio per uomitum euacuãt per secessum, hoc autem fit uel ex pharmaco uel ex parte sumentis, ex pharmaco, quando medicina sit grata gustui & odoratui hanc amplectitur uentriculus & ad fundum transmittit, & postea per se-*

cessum euacuat. secundo quoniam medicamentum quod debet ciere uomitum, habet secum aliquam medicinam ponderosam, propter quam tendit ad fundũ uentriculi & ita euacuat per secessum, uidemus enim quod ea quæ per uomitum educunt sunt leuia & supernatant, unde agaricum per uomitum euacuaret nisi cum aliquo graui admisceretur, unde pilulæ illæ aggregatiuæ cierent uomitum ratione agarici, tamẽ soluunt uentrem, ratione ponderis myrobalanorum & rhabarbari, & hinc est quod per secessũ euacuãt: unde si cum agarico commisceretis mannam siue caßiam, quæ sunt leuiora, ut plurimum per uomitũ euacuabunt, quia ibi non est aliquid quod aggrauet: duæ igitur sunt causæ ex parte medicinæ quæ prohibent ne medicina quæ deberet ciere uomitum non euacuet per uomitum sed per secessum. Ex *parte uero sumentis quandoque illa medicina quæ debet ciere uomitum non ciet, quando .s. exhibemus medicinam corpori famelico, quia contingit uentriculo famelico quod homini in mari existenti, qui ensem apprehenderet ne suffocetur in mari; ita etiam uentriculus famelicus quodcunque accipit, & ita accipit medicamentum & transmittit ad fundum, & sic per secessum euacuat, quia dum uentriculus aggreditur illius medicamenti concoctionem, & non potest concoquere uentriculus illud medicamentũ expellit, & sic per secessum euacuat: secunda causa est quia sumens medicamentum est lubrici uentris, est paratus ad fluorem alui, uel habet actu fluorem alui,*

ui, & tali accidit ut medicamentum quod deberet ciere uomitum per secessum euacuet. Aduertatis autem quod textus est corruptus, cum dicit qui habent cholericam passionem sunt apti ad hoc ut medicinis p secessum euacuētur, quia cholerica passio tam secat, exitum materiæ per superius quam per inferius, quare per colericam intelligimus lubricitatem alui. unde in quarta Apho. 18. Aphor. dicit Hippoc. quod qui purgari debent per superius illis debet aluus astringi, si autem per inferius debet laxari, tertia causa est ex parte sumentis, quando homo non est assuetus uomere, ita quod nunquam aut nisi difficillime euomat hoc in casu si exhibeatur medicina ad ciendũ uomitum per secessum euacuabit, causæ autem rei huius sunt omnino oppositæ, quia oppositorũ eadem disciplina, & ideo medicina iniucunda non deberet euacuare per secessum, nam quia non amplectitur illam uentriculus, ideo per uomitum euacuat, etiã quãdo est medicina pinguis leuis supernatans, ex parte sumentis quando uentriculus est plenus, quãdo adest satietas nauseatiua, quia talis uentriculus abijcit medicinam & cibum, et tunc illam medicinam euacuat per uomitum, ex parte etiam constrictionis uentris inferioris, medicina cum non possit pertransire per inferiora, redit ad superiora, & per uomitum purgat. Tertia causa est quando homo maxime assuetus est uomere, quia dum medicina incipit in uentriculo actuari, uentriculus illam per superius expellit, & hinc est quod medicina per uomitum euacuat quando

*do deberet euacuare per secessum.*Igitur *cum temporibus nostris ut plurimum quæramus dare medicinã quæ per secessum euacuat,ideo detis medicinam gratam,odoratam & in ea forma,quam æger desiderat, date etiam medicinam ponderosam, secundo debetis prouidere ne uentriculus sit satur,sit plenus, deinde debetis disponere aluum inferiorem ut docet Gal. in eo Aphor.corpora quæ purgare uoles &c. oportet quod mollificetur aluus, oportet etiam uidere quod si sit aliquis solitus uomitui quod corroboretis uentriculum,cum aliquo quod corrugat, quare isti dant post medicinam pyrum crudum uel cydonium, etiam ponunt aquam frigidam circa collum, ratione cuius frigiditatis retrocedit calor ad uentriculum ut retineat medicinam,& ita habetis omnia quæ hic dicit Auicẽ. Accedamus ad aliud.* OMNIS *præterea medicina quæ uentrem soluere debet cum aut ipsum non soluit,aut soluit quidem sed non id quod est maturum,mouet humorem quoniam debebat soluere,& dilatat illũ in corpore.* Domi.*quoniam sæpe contingit ut quando damus medicinam quod non purget, non mouet,& si mouet non euacuat,& ex hoc sequantur incommoda,quia illi humores agitati,præcipitantur ad aliquem locum & fit apostema,uel saltem hoc facit quod dum agitantur humores mali per corpus commiscentur bonis humoribus,quare boni humores simul cum malis corrumpuntur & tunc multiplicatur malus humor & fit morbus maior,quare si huic rei debemus prouidere,sciẽdum est quam ob causam me-*

nam uirtus ipsa expulsiua non expellit, quia debilis est, uel quia non est concocta materia, & ideo uirtus expulsiua nō aggreditur expulsionem materiæ, quæ tamen hoc in loco non dicit Gal. *non tamen est diminutus, quare quod hic non posuit alibi docuit.* Dat *modo unum documentum quando quis debet purgari uel per uomitum uel per secessum oportet attendere unum aliud, hoc est humorem euacuandum, & quoniam humores sunt in genere tres, pituita, bilis, & humor melancholicus isti enim uel per uomitum uel per secessum euacuantur, quare oportet uidere naturam singulorum, & cum tres sint, qui sunt tanquàm aer & aqua, aer & aqua sunt grauia & leuia ad diuersa comparata: pituita uerbi gratia si cō paretur tantummodo ad suum motum semper debet duci per inferius, quoniam in seipsa grauis est, bilis uero semper per supius de seipsa debet euacuari quia leuis est, si tamen contingat quod pituita sit uentre superiori, quamuis suapte natura tendat deorsum, in hoc tamen casu debet per superius euacuari, sicut in oppositum etsi bilis debeat per superius euacuari, tamen si in uentre inferiori fuerit per inferius duci debet: ut bene dicit* Hippoc. *Si uero fuerit humor melanch. peccans dicit* Gale. *lib.* Q*uos & quando purg. oportet, semper debere euacuari per inferius, quia is humor sicut terra est simpliciter grauis, quare semper per inferius debet euacuari: & hoc est quod dicit* Aui. *cholera secundum plurimum deberet per superius euacuari, dicit secundum plurimum, quia suapte*

pte natura sursum tendit,tamen quandoque per inferius eam debemus euacuare,sic de pituita, humor autem melancholicus semper per inferius debet euacuari. ET febrem quidem habentis uentrem soluere melius est, q̃ facere ut ipse uomat. Sententia Auic.clara est apparet enim quid intendat, dicit.n. quod quicunque habet febrem melius est ut purgetur per inferius quàm per uomitum,etiam qui patitur aliquem fluxum alui,neque commode per superius euacuatur,hæc est sententia quæ confusa est & indistincta,oportebat enim distinguere an intelligeret de omnibus febribus,uel de nonnullis quia in prima quarti dicit quod febres pituitosæ longe melius curantur per euacuationem per superius, tamen hic indefinite & indeterminate pronunciat,etiam de fluxu uentris de lienteria,cum fluxus sint uarij & uarias habeant causas,ideo oportebat distinguere, & non debebat Auic.ita indeterminate loqui, & ideo non est mirum si moderni quæstiones mouerunt, & bene proposuerunt,sed soluerunt quoquomodo potuerunt,uolentes Auicennam saluare, oportet igitur ut rem totam breuiter distinguamus, quando dicitur utrum in febre sit melius purgare per superius, est considerandus humor qui debet euacuari multipliciter,primo quis sit locus generationis illius humoris, ubi incipiat,exempli gratia si quis patiatur podagram,uel aliquando defluxum catarrhi ad aliquas partes,& cognoscatis materiam defluere uel à capite uel a uentriculo,hoc multum refert scire,quia

aliter

aliter curabitur si origo erit in cerebro, aliter si à uentriculo, quare locus generationis humoris debet cognosci, secundo considerare oportet raptum ipsius humoris, nam sunt quidam humores qui habent raptum sursum, quidam uero deorsum: & iste raptus quandoque est naturalis quandoque aduentitius, accidentalis, naturalis raptus siue inclinatio humoris, est quemadmodum pituita & melancholia p inferius, superius uero ut ipsa bilis, & hoc multum refert scire, nam quo natura repit eo ducere oportet &c. etiam debet considerari raptus accidentalis, ut pituita quæ habet naturaliter raptum deorsum, quandoque tamen habet raptum accidentalem sursum & facit uertigines & apoplexiam. Tertio *considerare oportet naturam humoris euacuandi, est enim quidam humor, qui si duceretur superius, siue repat sursum siue inferius, siue sursum generetur, siue inferius, nunquàm debet sursum trahi, & hoc ex sua natura habet, natura autẽ bilis et pituitæ exigit quod si isti humores repunt sursum, per superius debet euacuari, si autem inferius, deorsum debet euacuari, sed humor melancholicus nunquàm erit euacuandus nisi per secessum, hoc autem fit ratione deprauatæ naturæ illius humoris, ob id dicit* Hippo. *uomitus atræ bilis mortale est pessimum accidens illud propter magnam illius malitiam, & ideo oportet spectare etiam naturam humorum.* Quarto *multitudo humoris est consideranda, multum enim refert hoc scire an aliquis habeat multum humorem in uen-*

triculo, uel etiam in inteſtinis, imò etiam in uenis imò etiam in capite quia tunc debemus euacuare per ſuperius, per inferius, per ſudorem, per urinam, per caputpurgia, ideo ſpectãda humoris multitudo. Quinto ſpectandus eſt morbi ſtatus, per ſtatum morbi intelligo ſtatum morbi pendentis à materia quidam modo eſt morbus non amplius dependens à materia ſed iam factus, adeo quod eſt materia ſub ratione cauſæ coniunctæ non cauſæ antecedentis, oportet enim modernorum more quandoq; loqui, ſi igitur morbus eſt factus, euacuamus uno modo, ſi autem morbus non eſt factus euacuamus alio modo, iſta quinque conſideranda ſunt circa materiam & modũ ex parte mõ extrinſeca ex parte aëris, quia tria conſiderantur, morbus, aër & cõplexio, aër igitur debet conſiderari, nam alio modo euacuamus in æſtate alio modo in hyeme: & quod dico de aëre idem dico de regione aëri correſpondente & ſtatu cœli. 3. debemus conſiderare corpus quod debet euacuari, nam quidam non ſunt aſſueti uomere, quidam facile uomunt, quidam cum maxima difficultate: unde alio modo in iſtis alio modo in illis eſt procedendum. Vbi omnia iſta habueritis, quod inuicem correſpondeant, nulla uobis erit difficultas de euacuatione, ſi uero iſta diſcrepent conſiderabitis ut dicebat Gal. 9. Meth. dignitatem eorum quæ abnegant, & eorũ quæ iubent, & ad digniora et plura accedetis, ſed ut intelligatis oportet reducere omnia ad praxim, ideo proponamus ægritudines, proponamus febres, de his. n.

lo-

loquitur Auic.proponatur itaque primo quartana, hæc pendet ab humore melancholico,consideremus locum generationis huius humoris,generatur in hepate, etiam habet sedem in liene, scitis lienem esse in inferiori uentre adeo quod magis inclinat ad inferius q̃ ad superius,quia est infra septum transuersum & ideo ostendit quod magis debemus euacuare per inferius,quantum ad raptum tendit deorsum quantũ ad suam naturam debet etiã inferius euacuari,& ista indicatio est potißima omnium, etiam si fuerit crudus,debet per inferius euacuari, ex parte etiam status morbi,siue morbus fiat siue sit factus, debet semper per inferius euacuari, si fuerit aliquis assuetus uomitui,debetis repellere uomitum, tandem semper debetis trahere hanc materiam deorsum, item si repat sursum accidentaliter,debemus hoc tollere & repellere deorsum.Si uero fuerit febris quotidiana amphimerina,quæ pendet ab humore pituitoso, locus pituitæ in quo generatur est uentriculus, non loquor autem de pituita naturali, quæ est pars sanguinis, quia talis in hepate generatur,sed loquor de pituita quæ uitio uentriculi generatur,quantum igitur attinet ad locum generationis,debet euacuari per superius,ex 12.quartæ part.Apho.dicit ibi Galen.quod quicquid continetur in uentriculo debet per superius euacuari,quantum attinet ad ipsum raptum,licet raptus suus naturalis sit deorsum, tamen in hac febre est raptus suus accidentalis sursum,hoc apparet quia patiuntur somnum & grauitatem capitis, habent

prostrationem appetitus, carent siti; quæ omnia indicant materiam tendere sursum. Tertio quoad naturam, iam diximus quod natura huius humoris est indifferens: quia tam sursum quàm deorsum sine læsione euacuatur, quoad multitudinem, multitudo non tollit quin debeamus euacuare per uomitũ, si autem est tam multa pituita & sit etiam in intestinis, ista quæ est in intestinis per inferius euacuabitur, sed quæ in uentriculo, per superius. Quantum ad statũ morbi febres putridæ semper fiunt quantum ad dispositionem & consuetudinem ægrotantis, si homo nunq̃ euomuisset & timeremus maxima et sæua accidẽtia, deberemus cauere, sed si sit assuetus debemus prouocare uomitum, & præcipue post prandium: & hoc est quod dicit Galen. secundo ad Glauco. quod solo uomitu curabat febres quotidianas. In febre uero tertiana ubi est febris pẽdens à bile, si cõsideremus locum generationis generatur in hepate, infra septum transuersum, quare deberet per inferius educi, etiam natura hoc idem facit, quia educit bilem tum per urinam tum per secessum, & ideo natura dedit illũ porum, meatum felleum ratione cuius cum fæcibus excernatur, bilis. Raptus autem naturalis bilis est sursum, accidentalis etiam est sursum, quia in tali febre isti euomunt bilem synceram, & accidit dolor capitis, uigiliæ, sitis, quantum attinet ad naturam bilis, est indifferẽs ut euacuetur tam per superius quã inferius, de multitudine idẽ est quod de pituita, quãtum ad tempus in æstate generatur, quare debet per

*ſuperius euacuari:quantum ad habitum corporis, bi liosi ſunt exiles & habent facile uomitum, quare in tertiana habetis longe plures indicationes, quod ſuperius euacuetur,quia habetur raptum materiæ na turalem & accidentalem,corpus aptum,naturam hu moris & tempus,ſed habetis locum generationis qui oppoſitũ indicat,hic habetis indicationes contrarias, quare oportet hic diſtinguere,quia hic habetis mate riam quæ facit paroxyſmum,habetis materiam quæ eſt factura paroxyſmum,quantum ad materiam quæ facit paroxyſmum debet per uomitum euacuari in fine paroxyſmi,nã & hoc facit natura,unde qui habent febrem tertianã,ſi euomunt in principio bilem melius ſe habent,oportet igitur ut imitemur naturã, euacuemus materiam quæ facit paroxyſmum,ſedquã tum attinet ad materiam antecedentem, non debetis illam per ſuperius euacuare,ſed per inferius,nam du cimus illam materiam in interuallo paroxyſmi ad inferiora,quoniam attendimus loco generationis: ſcitis autem quod generetur in hepate,& ideo illam euacuamus.*Primo *per ſeceſſum,poſtea per urinam,ſi ue ſit continua tertiana ſiue interpolata, & ideo* Gal.*dabat ſyrup.de abſynthio,poſt diem ſeptimum, ut prouocaret urinam, & ideo uidete quomodo diſtinctiones rem declarent.*Non *loquor autem de ſan guine, quia ſanguis alio modo non euacuatur niſi per ſangui.mißio.& ita uos habetis quantum attinet ad ipſas febres,quid debeatis reſpõdere.* Q*uantũ modo attinet ad ipſum fluxum uentris,oportet & in*

hoc speculari, & uti distinctionibus nam si quicunque fluxus curatur, si materia remouetur, oportet uidere ubi generetur materia, si est propter intemperiē sine materia, nō indiget euacuatione, sed corroboratione membri, sed si exempli gratia sit liēteria, & idem intelligatis de omni fluxu, si sit lienteria ratione humoris pituitosi, qui relaxat uentriculū & intestina, & fiat fluxus iste lubricatiuus, ut exeant cibaria, quia non possunt contineri, oportet uidere ubi sit ista materia, si est in uentriculo tantū uel in intestinis, tantum uno modo est agendum; si autem deuenit ab aliqua alia parte ad uentriculum uel intestina alio mō est procedendum. si enim exempli gratia in uentriculo per consensum continue defluat pituita, & à capite, oportet caput euacuare per caput purgia, per neasticatoria, per gargarismos: si in uenis, oportet prouocare urinam, non autem prouocandus uomitus, neque euacuatio per inferius est facienda: si autem materia est in intestinis, per inferius debet euacuari, quia remota illa materia ceßabit fluxus, neque tunc per uomitum debet euacuari quia nihil educetur, quando igitur humor est in intestinis per inferius debet euacuari, sed quando materia est in uentriculo debetis euacuare per superiora: neque hoc est contra Hipp. *quia* Hipp. *loquitur breuiter sine distinctione ut oraculum quoddam, & ideo in 12. Aph. quartæ illum declarat Gal. & sic cōstat quomodo istis distinctionibus sic expositis & declaratis non remanet amplius dubium aliquod in tali materia, alio-*

lioqui difficili & ardua. MEDICINARVM præterea uentris solutionem facientium deterior est quæ ex medicinis est composita multæ diuersitatis, in tempore, in quo soluendus est uenter. Docet in docu mẽto Auic. rẽ notatu dignißimã, quoniã est cõtra er rata, contra usum modernorum, & admonet nos quẽ admodum debemus cauere frequentem compositionẽ medicamentorum, & bene admonet. Sunt igitur aliqua dicenda de materia componendi medicamenta, licet sit materia ampla & hãc ieiune tractauerit Gal. eam tamen maxime extollit: unde Mesues coactus fuit tractare de ista arte componendi, & excusat se in principio, quod neq; Gal. dicit quæ erant dicenda tamen & ipse in multis deficit, & fortaße etiam peccat, quare hic essent multa dicenda, nunc autem quia modo profitemur docere artem componendi, ideo dicemus quæ erunt necessaria ad hoc, & intelligendũ Auic. in hoc loco. primo scire expedit quod ars componendorum medicamentorũ fuit inuẽta propter 5. utilitates. prima quoniam uidebant antiqui quod indigebamus medicina quæ haberet talem gradum uirtutis, sicut est morbus cui debet occurrere, sæpe autẽ non habemus talem medicinam simplicem quare tũc oportet componere multas. V.G. est aliquis ut dicit Gal. 1. catageni cap. 3. qui habet ægritudinem frigidam in quarto gradu, est inuenienda medicina quæ sit calida in quarto gradu, quam non habemus, uel si habemus, habet uires uenenosas propter quas uti illa non poßumus: quare oportet componere medicinas

tas simplices,ut resultet medicina calida in 4. gradū exēpli gr.si indigeo 4.gradu caliditatis,inuenio aūt medicinam quæ est calida in 3. aliam quæ est calida in 5.gradu,dico in 5.gradu exempli gr.ut etiam posuit Gal.loco allegato,componantur ista simul,efficiatur medicina calida in 4.gradu,hic aūt supponuntur multa quæ inferius diligentius in quæstione de actione medicinarū pertractabuntur,sed hic supponamus quod hic sit medicina calida in 3.gradu, si coniūgatur cū medicina cal.in 5.q, medicina remissa in 3.remittat medicinā intēsā calidā in 5.gra.& cū nō possit illam remittere nisi per unum gradum,ideo medicinam calidam in 5.reddit calidam in 4.ergo ista est una neceßitas componendorum medicamentorū:quia scilicet uolumus facere unum gradum determinatū medicinæ,qui morbo correspondeat.Secunda neceßitas est,quoniam sæpe contingit ut debeamus offerre aliquam medicinam alicui ægro a qua abhorreat, uel quoniam sit fœtida,uel quoniā sit substantia crassa,uel habeat aliquid aliud propter quod æger ab illa abhorreat,tūc oportet me admiscere aliquid quod medicinam iucundiorem reddat,nam tunc natura melius deducet ad actum quod gratum est,quia melius natura amplectetur.& ideo sæpe admiscemus q̃ sunt dulcia cum amaris,admiscemus etiam iucunda odorata cum fœtidis,ne odor fœtidus percipiatur,et omnia quæ hoc cursu currunt.Tertia neceßitas est quotiescunque habemus cōtrarias ægritudines & uolumus occurrere utriq;,sicut quando in corpore humano redun

dundat bilis, & redundat pituita cum eadem medici na, utranq; non possimus euacuare, ideo sæpe admiscemus agaricum, colocynthidem, cum scammonio, uel quando curamus ægritudines contrarias materiæ facienti morbum. Veluti si quis laboraret, fluore alui, & difficultate anhelitus, hic sunt dico separata diuersa quia difficultas anhelitus indiget apertione, fluor alui adstrictione, & ideo indigemus medicina cõposita ex contrarijs. ut cum isti dãt baccas myrthi q̃ astringũt, simul cũ sebestẽ in quib. est uis aperiẽdi.

Quarta necessitas, est ut efficiantur medicinæ bonæ ad plurimos usus; quãdoque medicus studet habere unam medicinam quæ sit conueniens ad plurimas ægritudines, & ad uenena ad morsus canis rabidi, ad oppilationem & ad alia, quare componit plurima medicamenta in simul, & hoc est in compositionibus magnis, ut in theriaca, mythridato. quare faciunt ad multas ægritudines, & dispositiones præter naturam, & de his quatuor necessitatibus loco allegato egit Gal. Est modo quinta quam Gale. prætermisit, quando medicamentum est quod aliqua indiget correctione ut uerbi gratia uolumus uti scãmonio ut purgemus bilem est utilis scammonea ad bilẽ purgandam, habet tamen uitium, quia excoriat intestina, ideo admiscendum aliquid quod obtundat istã acrimoniam ut myrobalanos, etiam aliquid quod obtundat superfluam caliditatem etiam in flore habemus quod lenit uentrem, sed quia nimium relaxat, ideo aliquid admiscemus & sic iste est quintus usus.

componendi medicamenta, quibus omnibus sic propositis, quis non desiderabit methodum qua ista medicamenta recte conficiantur & componantur? Docebimus igitur hoc sed in uniuersali, quia non possumus de arte componendi omnia docere. oportet igitur quod in omnibus istis & singulis practicemus. Itaque semper oportet attendere ut illud quod quærimus diligenter exequamur, exem. gra. oportet scire rationem exquisitam quare cum admiscemus medicinam calidam in tertio cum calido in quinto, fiat medicina calida in quarto. item quando admiscemus adstringentem cum aperiente ut ex illis sit ista harmonia, ut fiat euacuatio cum adstrictione. Secundo quod maxime refert debemus prouidere ut medicinæ æqualiter actuentur in eodem tempore, nam ubi una prius deuenit ad actum quam alia medicina nihil facietis ex illo quod intenditis, deinde ægro nocebitis: ad hoc ut tale inconueniens euitetis docebo per exemplum. Nos uolumus admiscere astringens, relaxanti, & euacuanti: hoc quod euacuat habet substantiam humidam, ideo facile alterat, quare a facili deducitur ad actum illud uero quod astringit est terrestre, durum & siccum, & quod difficile alteretur, quare tarde deducitur ad actum: igitur quando admiscemus caßiam cum aliquo astringente oportet scire quod caßia prius deducatur ad actum quam illud quod est astringens, & ideo ista oportet admiscere in ea proportione ut eodem tempore ad actum deducantur. Hoc uero fiet si parum astringentis cum

multo relaxantis admiscuerimus,ut uerbi gratia, si rhabarb.quod astringit cũ unc. 1 .cassiæ tunc etsi cassia facilius alteratur quam rhabarb.tamen ratione quãtitatis magis resistit cassia quam rhabarbarum in illa pauca quantitate,unde eodem tempore actuabitur cassia & rhabarbarum, alioqui sequitur periculum: nam , quando erit euacuandum succedet unum quod adstringet,& quando erit astringendũ, succedet unum quod euacuabit. Oportet igitur seruare talem concentum , ut duo medicamenta simul ducantur ad actum, eodem modo:quãdo habemus ex. gra.aliquam medicinam tarde operantem , & uolumus illam excitare ,ut agaricum,quod tarde operatur,ut excitemus agaricum,oportet addere gingiber,ita tamen ut eodem tempore actuetur cum agarico.sed quomodo hoc fiet?oportet cognoscere materiam horum,gingiber est subtilis substantiæ & facile alteratur,& actuatur,ideo oportet addere talem quantitatem,ut possit simul deduci ad actum cũ agarico,quod tamen assequi non est ita facile. Debemus præterea quærere etiam ne unum impediat alterum postquam deducta sunt ad actum,exem.gra.est quis qui habet renes supercalefactos, indiget medicina quæ refrigeret in secundo gradu, eligo & compono, unam quæ sit frigida in uno gradu , & habeo aliam quæ sit frigida in secundo gradu & facio medicinã æqualem,debetis eligere medicinam quæ non solum sit frigida in secundo gradu,sed quando erit æqualiter deducta ad actum,quod possit penetrare simul,

& ne

& ne altera medicina reliquam impediat, ut si admisceatis bolum Armeniam cum seminibus melonum, semina transibunt, tamen bolus armenus impediet trãsitum, quare bolus armenus non conueniret, quia etsi bolus armenus sit frigidus, tamen est nimis adstringens, quare oportet admiscere quæ nos nõ impediãt, ut semina acetosæ, acetosam, & semina endiuiæ quæ & refrigerant & non impediunt. Quarto in componendis his medicamentis debemus facere quod medicina quæ est composita ex multis sit fermentata aliter nisi per fermentationem fiet una forma sequetur dissidium maximum & perturbatio maxima, quare oportet quod ex omnibus compositis, fiat fermentatio, ita ut deueniat ad unam formam tertiã, aliter erit pessima compositio, nam singulæ quæq; medicinæ diuersimode operabuntur: cuius signum est quod uidemus theriacam non fermentatam infrigidare ratione opij, & quandoque interficere, unde si fuerit fermentata theriaca res optime succedet, et in fermentatione est maxima ars, tamen quædam fermentantur solum in aere, & a uirtute cœlesti sicut theriaca, nonnulla fermentãtur per putrefactionem, quædam per calorem igneum elixantem, uel assantem, ex hoc apparet, quam sint uani isti homines qui audent componere illa quæ indigent solum aere & uirtute cœlesti, & uolunt componere aquas thermarum quæ habent æqualem uim, quantam habent ille aquæ, imò maiores etiam, fiunt enim a calore cœlesti minore illo ex quibus aquæ iste benedictæ &

sacræ prorumpunt, quare nullo artificio possunt fie ri, & ideo dicit Auicenna, q medicina deterior est quæ erit multa diuersitate & ideo dicit non facienda medicina talis in tempore in quo debet solui uenter, sed oportet quod prius faciatis illam arte & deinde permittatis fieri illam fermentationem, aliter uenter cõturbabitur. Superiorib. iam dictis ingreßi sumus materiam illam arduam de compositione medicamentorum: ubi plurima erant dicenda, quæ tamen propter quædam interuenientia non sum prosequutus: ideo hoc loco, ut eo redeamus quod declarare intendimus supponendum est primo multiplicem esse neceßitatem componendorum medicamẽtorum: eam autem fecimus quintuplicem ut audiuistis. ostendimus etiam quod in qualibet compositione quatuor semper seruanda sint; primo, ut finem intentum assequamur exquisite, & hoc est ualde difficile, secundo postquam proposuerimus nobis finem ut postea quæramus facere talem proportionem rerum miscibiliũ ut omnia simul æqualiter agant conformiter per cõcentum & harmoniam, & hoc quoque est difficile, tertia erat conditio, ut caueremus, ut in compositione medicinæ simul ad actum deducantur, & ne altera reliquam impediat. quarta conditio est tanquam sigillum ut Mesues appellat, ipsa fermẽtatio ipsa cõ coctio, & perfectio miscibilium, ista erant præponenda, quibus propositis deducam uos ad quendam terminum ut scilicet sciatis quid sit compositio, & quo modo ad illam exactè deuenire non potestis, ego

non

non tantum rationibus uobiscum agam sed etiam au ctoritatibus. Debetis igitur scire quod in unaquaq; compositione medicus imitatur naturam, & quo ma gis imitatus eam fuerit magis ab errore uindicabi tur, & erit medicus, uidēdum igitur est medico quid faciat natura in compositione, in mixtione, primo igitur consideremus compositiones in natura, dein de in medicis, si unum tamen primo supposuerimus quod fuit Gale. in primo de temper. circa finem. ubi dicit quod ea quæ appellamus simplicia, in natura non sunt simplicia sed composita, sed appellamus sim plicia, quia sensui ita apparēt sicut adfert exemplū de lente & aquis thermarum et in secundo uero pri mi de simpli. medicamentorum facult. dicit quod lac uidetur simplex cum tamē sit mixtū: similiter & de aqua thermarum quæ simplex uidetur cum tamen sit ex multis composita. his suppositis dicimus simpli cia esse quoad sensum, huiusmodi autem compositio est multiplex apud naturam, primo quando natura componit, uel componit simul contraria, uel, simul componit dissimilia, contraria sunt in eodem genere ualde remota, dissimilia autem sunt etiam in diuer sis generibus. natura igitur cōponit uel cōtraria uel dissimilia, & quando componit contraria, componit contraria uel in substantia uel uirtute, componit qui dem contraria in substantia ut quatuor prima cor pora elementa, consideremus igitur primo huiusmo di admixtionem naturæ in substantia, quæ est duo bus modis, uel in ipsamet substantia miscibilium uel

in

in potentia ſubſtantiæ,in modo ſubſtantiæ,quantum attinet ad ipſam ſubſtantiam, ad ipſa corpora quæ miſcentur,miſcentur ſicut in agarico quod ut dicit Gale.*uidetur res ſimplex,eſt tamen res compoſita: habet enim agaricũ partes primo ſubtiles & aereas igneas & aqueas,& apparet in operatione ita eſſe: in agarico enim apparent partes igneæ unde apparet amaritudo,habet partes aqueas quæ opponuntur igneis.*E*ſt etiam aliqua compoſitio in ſubſtantia, ex diſsimilibus ut accipiamus oleum habet in ſe partes aqueas & aereas dominantes inter quas non eſt uera contrarietas,ſed diſsimilitudo,quia non eſt contrarietas ſecundum ambas qualitates, in modo ſubſtantiæ etiam uidemus contrarietatem, exem. gra. ſunt multa quæ habent contrarietatem in modo ſubſtantiæ,ſi ſint compoſita ex ſubſtantia craſſa,& ſubtili:* Modo *ſi bene memoria tenetis, quæ diximus ſuperius,habuiſtis quomodo ſubtilitas & craßities, rarum & denſum ut reliqua huius generis ſunt modi ſubſtantiæ.*Q*uædam igitur componuntur ex contrarijs in modo ſubſtantiæ,ex craſſo & ſubtili ſicut caules,et lentes,quæ compoſita ſunt ex parte ſubtili & craſſa,ex quibus pars ſubtilis reſoluitur & pars craſſa remanet, quædam uero habent in ſe modum ſubſtantiæ non contrarium ſed diſsimilem,ſicuti ſpõgia habet partes uiſcidas, ut non poßit conteri niſi aduratur,habet etiam raritatem ſuæ ſubſtantiæ, & leuitatem:iſta non ſunt contraria ſed diſsimilia. habet igitur ſpongia,& ſi ſimplex uidetur modum ſubſtantiæ*

stantiæ diuersum, in uirtute uero tres sunt uirtutes, prima quæ est in numero primarum qualitatum, sicut calefac. frigef. humect. & exicca. secundæ uirtutes sunt quæ ex istis proueniunt, ut astringere relaxare & reliqua huiusmodi, tertiæ sunt magis particulares, ut prouocare urinam, lenire aluum & similia. Quædam igitur componuntur ex qualitatibus contrarijs, quædam ex dißimilibus ex contrarijs ut coriandrum habet uim calefaciendi et refrigerandi, quoniam habet diuersas partes inquibus sunt illæ diuersæ uirtutes, ut dicit Gale. cap. de coriandro, quædam uero componuntur ex qualitatibus primis dißimilibus ut pulegium quod habet caliditatem & siccitatem quæ sunt qualitates diuersæ, & ideo licet uideatur pulegium simplex non est tamen simplex quia habet uim calefaciendi & exiccandi. In qualitatibus etiam secundis quædam componuntur ex contrariis, quædam ex dißimilibus: ex contrariis est absinthium, quod habet uim aperiendi & astringendi, & hæc duo facit potentißime ex qualitatibus secundis dißimilibus: quædam componuntur sicut sal habet enim uirtutem abstergendi, & uirtutem prohibendi putrefactionem, quæ sunt qualitates dißimiles, modo uirtutes tertiæ sunt sicuti retinere aluum, lenire aluum, sunt igitur multa quæ ex istis contrariis componuntur, quædam uero ex dißimilibus ex cõtrariis ut in rhabarbaro, quod euacuat & retinet euacuationem, similiter & myrobalani, quædam uero componuntur ex uirtutibus tertiis dißimilibus

exem.

exem.gra.uinum, in se habet uirtutem prouocandi urinam, prouocandi sudorem, adiuuandi concoctionē, adiuuandi penetrationem ad distributionem: est igitur compositum ex uirtutibus tertiis dissimilibus et ita habemus compositionem naturæ tum in substantia, tum in modo substantiæ, tum in uirtutibus primis, secundis, & tertiis, contrariis & dissimilibus: unde quidam sunt quæ habent contrarietatem in substantia, & in modo substantiæ, & in uirtutibus etiā & non solum contrarietatem uerum etiam dissimilitudinem, ut lac & aquæ thermarum, aquæ enim thermarum habent in substantia, diuersas substantias, crassas ut sal, tenues ut sulphur, habent diuersas uires, penetrant calafaciunt et refrigerant, & ita quandoque non sunt duæ tantum uirtutes complicatæ sed plures, istæ igitur sunt cōpositiones quas facit natura. quæ habet illas quatuor conditiones integras, primo attingit exquisite finem natura quia dirigitur siue ab influxu cœlesti, siue ab intelligentia quam Auicen. appellauit colcodiam, siue a uirtute formatiua, siue quoquomodo appellemus istam uirtutē: natura igitur quantum in se est nunquam frustratur fine, nisi ratione passi sit aliquod impedimētum, primo igitur habet hoc quod proprium finem assequitur, quia cognoscit, secundo habet hoc proprium quod est intra ipsam rem quam facit: nā penetrat in singulis ideo omnia ad finem deducit, artifex autem est extra, ideo solum extra deliniat, ut pictor & sculptor, tertio natura habet instrumen-

ta idonea,habet enim calorem agentem, qui quidem calor non est calor igneus ut dicit Aristo. 2.de generatione animalium,sed est calor correspondens calori stellarum, nam sol & homo hominem generat³, nam in uirtute illius caloris omnia generat, unde non immerito attingit finem & intentum, & ideo quæcunque commiscet natura omnia sunt perfecta. Quis est ille qui posset perficere hæc? nemo certe,etiam si cognoscamus partes ex quibus fiunt hæc,quia non habemus instrumenta caloris quem habet natura; ideo ubi habemus medicinam simplicem commodam nō debemus componere, quia errabimus in componendo,ubi autem non possumus habere, debemus componere imitando naturam, inquantum possumus,quia efficiemus quidem aliquid simile,sed tamē maxime diuersum,sicut alchymista quærit calore benigno conficere aurum omni artificio, & cognoscit materiam metallorum,tamen non potest assequi ut faciat aurum,facit quidem aliquid simile, est tamen infinita differentia, & ideo in primo de tempera. circa finem Gale.*dicit mixtionem solius dei esse & naturæ,ut & postea addit ibi* Gal. *facere aūt aliquid quod assimiletur naturæ potest quidem fieri,sed non erit uera mixtio, sed potius erit partium appositio,ut si terra et aqua miscentur, fiet lutum,tamē non erit mixtio uera,nisi quædam appositio quia sola natura facit mixtionem, & audiuistis rationem,quia natura cognoscit, est intra rem, habet uerum instrumentum,habet partes uere simpli-*

ces,

ces, & ideo sola materia facit mixtionem, unde Gal. primo ad Glauc. in principio, item 3. meth. in principio dicit quod si nos uolumus uel aliquod simplex uel aliquod compositum applicare alicui ægro, oportet illorum exquisitam scire temperaturam, et temperaturam hominis cui applicatur, sed postea addit quod hæc solum coniectura assequi possumus, & in hoc tãtum sumus diuersi a uulgaribus. quare inquã tum accedemus ad aliquam coniecturam, quæ si comparetur uulgaribus aliquid est, si cognitioni naturæ nihil est, unde inquit Gale. quod si temperaturas cognosceret crederet se esse Aesculapiũ, & deum: in istis igitur maxima est difficultas: quomodo enim cõmiscebimus ea quorum gradum determinatum ignoramus? quomodo ad certum gradum deducemus compositionem si illum gradum non cognoscimus? ideo neque cognoscemus finem neque miscibilia. Prima miscibilia sunt composita unde habemus multas qualitates quando una solum indigemus, natura autem habet uera simplicia. Præterea habemus calorem igneum cuius proprium est separare heterogenea, quæ unire intendimus, quod tamen facit calor naturalis calori cœlesti proportione correspondens & ideo quæ a nobis componuntur bona esse nõ possunt: istis tamen quandoque utimur quia est minus malum. Modo cum istud sit difficile, non potest fieri ab arte hoc aliquid quod habeat aliquam rationem & non potest fieri perfecte, bene imperfecte, sed neque imperfecte fieri potest, nisi ab aliquo qui sit homo

prudentißimus, et optime cognoscat temperaturam corporis cui medicina applicatur, oportet etiam exquisitißime cognoscere simplicia, ut poßint peruenire ad hoc ut fiat bona fermētatio cum calore moderato, sicut uoluit Gale. lib. de theriaca: quam uoluit fermentari non per ignem, sed a calore cœlesti: ideo illam permittit in aere per tres & quatuor annos: ideo quando docet Gale. componere acetum scylliticum, dicit quod misceatur mel cum aceto & exponatur radiis solaribus per dies caniculares: & ideo Dioscorides omnia sua olea, in sole fermentabat, quædam tamē igne fermentantur, quædā etiam per putrefactionem, hoc unum tamen habeatis quod cum Gale. fuerit uir tam doctus, nō inuenimus apud eum tres aut quatuor compositiones, quia componere non audebat, quia erat prudens & doctus, et sciebat quantum erat difficultatis in compositione medicamentorum, & ideo compositionibus antiquorū potius utebatur, quàm nouam compositionem uellet aggredi.

AMPLIVS *qui biberit aliquid uentris solutionem aut uomitum faciens, corpore ipsius limpido, necesse erit ut ei uertigo accidat, aut medicatio in uentre & angustia.* *Supra de euacuationibus uarie tractauit Auicen. nunc loquitur de superpurgatione. contingit enim sæpenumero ut exhibito medicamento plus æquo purgentur ægri. Contingit etiam quod medicus corpori sano uel gracili exhibeat medicamentum unde multi errores contingunt*

ideo

ideo Auicen.hic dat documentum & dicit quod exi
ſtente corporē ſano & puro ſi detur pharmacum cō
tingunt multa mala,uertigo, & huiuſmodi,unde in
ſecunda apho.32.dicit Hipp. cum corpora ſana pur
gantur,cito reſoluuntur,quod idem Gal.lib.quos &
quando purg. & eſt modo uidendum quod ſi quis
corpore eſt mundus ſi purgetur, quare accedat uer-
tigo,& conuulſio,omnia fiunt ab eadem cauſa, nam
medicamentum habet uim trahendi proprium hu-
morem,ſi non inuenit illum humorem trahit humo-
rem magis ſubtilem,& ad euacuandum facilem:ha-
bet etiam ſua acrimonia quod colliquat carnem,un-
de primo ſequitur illa conuulſio, conuelluntur enim
homines ubi plus æquo exiccantur muſculi & ner-
ui,& ideo dicit Hippo.conuulſio ex elleboro letha-
lis, nam colliquatur caro ex elleboro, quando ſu-
mitur a corpore exiſtente ſano,ſequitur igitur con-
uulſio propter exiccationem carnium fit exolutio
.i.ſyncope propterea quia ſanguis & caro colliquan
tur unde & ſpiritus exeunt, quia ſpiritus ſunt &
in ſanguine & in membris ſolidis; ideo ſolidis colli-
quatis ſpiritus exoluuntur, ſequitur etiam uertigo
propter uapores aſcendentes ad caput a uentriculo,
etiā ratione defectus ſpirituū,& uidentur quod om
nia obſcurentur:apparent tenebræ ante oculos,pro-
pter exolutionem & inanitionem ſpirituum,& pro
pter imbecillitatem:quando autem uidet quod om-
nia uoluuntur in gyrum illud accidit ex uaporibus
aſcendentibus a uentriculo ad caput,illa tamen uer-
 tigo,

tigo, quæ est imaginatio ut omnia circumuoluantur, non proprie contingit in corporibus sanis quando purgantur, sed potius accedit illa uertigo in qua tenebræ apparent, contingit etiam mordicatio circa uentrem, quod prouenit propter pharmacum, pharmacum enim mordicat intestina, unde oriuntur tormina, dolores intestinorum, & hoc est quod dicit hoc loco Auicen. *dicit deinde* Auicen. HVMOR *præterea qui uomitu aut per uentrem uacuatur, cum ad alium mutabitur humorem, significabit quòd iam corpus est mundificatum a superfluo humore, quem euacuare uolebas.* Circa *istam partem propria sententia* Auicen. *talis est.* Quando *nos exhibemus pharmacum; dat regulam quomodo possimus cognoscere quando medicina perficit suam operationem, & dicit quando humor mutatur, tunc est signum quod medicina euacuauit, sicut debebat, & hic* Auic. *supponit quod medicamentum trahat proprium humorem, ut scammonium si trahit solam bilem, nisi superflue adhibeatur.* Oportet *igitur hæc supponere, quia si natura composuit agaricum, ut trahat & pituitam & bilem propter diuersitatem substantiæ, sicut quando etiam nos conficimus medicamentum, est necessarium quod in ijs sit uis trahendi diuersos humores, & tunc in istis compositis non uerificatur regula, quam hic tradit* Auicen. *quia hic solum loquitur de medicamento quod proprium humorem trahit, quia ubi damus medicamentum compositum, primo euacuatur bilis, deinde pituita, & tamen quando*

do mutatur humor tũc non est facta euacuatio sicut oportet: quia medicamentum compositum, non ut unum sed ut plures humores debeant euacuare. loquitur igitur de pharmaco quod debet euacuare unum humorem, ut bilem ubi perfecerit euacuationem bilis & adhuc perseuerat uirtus medicamenti, & ulterius progreditur quam medicus intendat, ubicunque igitur euacuarit bilem trahit quod sibi est proximum, & Gale. dat istam regulam quod ea semper trahuntur quæ sunt subtilioris substantiæ, dummodo non trahantur a proprietate, uerbi gratia do medicamentum quod debet trahere humorem melancholicum qui est crassus, incipit prius medicamentum trahere humorem melancholicum, quia hæc est sua proprietas bene uerum est quod prius trahit partem subtilem melancholiæ, deinde crassam, euacuata melancholia attrahetur humor qui est subtilior, non autem qui crassior quia non est amplius humor melancholicus, quare trahet postea humorem subtiliorem, quare trahetur bilis, deinde pituita, deinde sanguis, si perseuerabit, colliquabit carnem, si uero est medicamentum quod trahat bilem, trahet bilem, deinde si excedat pituitã, quia pituita aptior est ut euacuetur, deinde humorem melancholicum, postremo sanguinẽ, postea colliquabitur caro. Si autem detur medicamentum trahens pituitam, trahet pituitam deinde bilem, deinde melancholiam, tandẽ sanguinem, ultimo colliquabit carnem, dicit igitur Auicen. si datur medicamentum quod trahit bilem,

quando euacuatur bilis euacuatur quod est euacuādum, quod si post bilem trahat pituitam, malum est: quod si postea trahatur melancholia adhuc peius, quod si etiam sanguis peßimum, quod si pingue aliquid euacuetur tunc in proximo mors est, caro colliquatur, & fœtor apparet, quoniam pinguedo facile putrescit, & ideo fœtet, uide igitur quemadmodum Auicen.*optime docet quādo uolumus cognoscere quod medicamentum euacuauerit, quod debebat euacuari, & quando incipit euacuare quod non debet euacuari cum uero* Auicen. *posuerit signa medicamenti mala, ponit bona signa, & primum dicit quod optimum est, si post euacuationem sequitur somnus, ratio est quoniam dum humores mali euacuantur tunc statim illi uapores dulces & mites humidi sine aliqua mordicatione, humectant cor & cerebrum, unde inclinant ad somnum isti euacuatis scilicet illis malis humoribus ex quibus mali uapores eleuabantur: præterea aliud signum ubi post euacuationem sequitur sitis, ut dicit* Gale. 39. *aphorismo secundæ particulæ tamen regula non semper est uera nisi faciatis distinctionem, contingit enim quod aliquis non sitiat at sit optime euacuatus, dat causam ibi* Galen. *quia contingit quod aliquis habeat uentriculum calidum ratione cuius facile incidit in sitim, etiam pharmacum si fuerit calidum & siccum, & si humores fuerint calidi & sicci, unde sitiunt isti homines etiamsi non fuerint euacuati. Quod si aliquis haberet uentriculum frigidum,*

*dum,ſit medicina humida ut caſsia,& ſit humor pi-tuitoſus,tunc ſi euacuabitur quantum oportet, tamē non ſequetur ſitis,quare regula iſta ualet ubi uentriculus medicina, & humores mediocriter habent, & loquitur hic de ſiti naturali,non autem de ſiti mēdoſa.*Docet deinde tria hoc loco,primo quæ ſit immediata cauſa euacuationis humoris qui euacuatur, ſecundo quid ſit primo illud quod attrahit tertio docet quid attrahat. Primo dicit quod medicamentum expellit cum attractione, iſte modus dicendi uidetur difficilis,quia attrahere & expellere ſunt oppoſita, uult dicere,Auic.quod medicina prius attrahit a toto corpore a circumferentia ad centrum, ad uentriculum attrahit humores præter naturam,qui humores ubi ſunt in uentriculo, & inteſtinis tunc uentriculus & inteſtina aggrauantur a quantitate illorū humorum & malitia,unde tota uirtus expulſiua inſurgit ad expulſionem illorum humorum,unde quandoque fit expulſio per uomitum, quandoque per ſeceſſum, ſecundum quod magis ad hanc uel ad illam partem uergit humor hac de cauſa dicit Auic.medicina expellit cum attractione, prius attrahit deinde expellit,addit poſtea quod attrahit a proprietate & probat per ſignum,quia attrahit prius quod eſt craſſum,ſed omne qđ attrahit uel attrahit ratione uacui ut contingit in fiſtulis quibus utimur in clyſterijs attrahitur aqua illa ratione uacui, uel ſecundo ratione caliditatis,uel tertio ratione proprietatis,quando fit attractio ratione uacui, prius trahitur quod

est subtile, etiam ratione caliditatis, sed dum trahitur ratione proprietatis, trahitur quod est magis conueniens, sit uel crassum uel subtile, unde magnes trahit ferrum non paleam etsi palea sit subtilior & propinquior, hoc igitur signo probat Auic. quod medicina trahit a proprietate quia prius trahit quod est crassum, tamen est regula Gal. quod quicquid attrahit, uel ratione uacui, uel ratione caliditatis, uel ratione proprietatis, semper trahit quod est subtile: neque Auic. contradicit declaratio, quia quando medicamentum trahit à proprietate, si sunt humores craßi & subtiles, medicina si attrahit humorem melancholicum attrahet humorem crassum tamen attrahendo humorem melancholicum attrahet humorẽ melancholicum subtilem, quare prius trahet ichorẽ humoris melancholici, deinde corpus ipsius humoris melancholici: unde & magnes si illi applicetur ferrum in magna quãtitate & parua, prius trahet parua frusta ferri, quàm magna & derelinquet uerbi gratia galeam & alia cum quibus etiam habet in forma conuenientiam, sic est de medicina quæ a proprietate trahit quæ derelinquit alias species humorum, & attrahit proprium humorem, sed illius humoris prius attrahit partem subtilem deinde crassam.

ILLIVS *præterea uerbum, qui dicit ꝙ ipsa generat illud quod attrahit, aut ꝙ in primis attrahit id quod est subtile, non est aliquid. Auicẽ. ponit hic duos paragraphos sibi inuicem consequentes, in quibus carpit Gal. primo quia credidit Galenũ dixisse*

quod

quod ubi medicina quæ debebat purgare nõ purgat. quod uertitur in humorem quem debebat purgare, quod est falsum, dicit Auic. 2. quia dicit Galen. quod medicina trahit humorem propter similitudinem substantiæ. dicit Auic. hoc esse falsum, quia cum idem trahit simile, ferrum traheret ferrum, & licet hoc quod dicit Auic. de uirtute attractiua sit ultimum in ordine, nos tamen primo incipiemus hoc considerare quomodo medicina trahat humores, deinde quando non trahit an uertatur in humorem quem debebat trahere, & ideo primo proponemus quæstionem, an medicina solutiua trahat per similitudinẽ in substantia: in qua quæstione oportet scire quæ sit attractio & quotuplex. Sciendum igitur quod ut dicit Auer. 7. Phys. 100. quædam est attractio uniuoca, quædam æquiuoca: uniuoca est, in qua est uirtus motus in moto mouente, quando utrunque mouetur, ita quod illud quod attrahit in attractione semper mouetur, & semper præsupponit huiusmodi attractio contactum inter attrahens & attractum, alia est attractio quæ est æquiuoca, & ab Auic. dicitur æquiuoca, quia attrahens & attractum non mouentur eodem motu, imò plerunque attrahens non mouet, & attractum mouetur. fit autem ista attractio per appetitum uel naturalem, uel uoluntarium siue animalem, quando igitur inter attrahens & attractum, est attractio æquiuoca semper intelligimus quod sit aliquis appetitus qui sit principium motus & attractionis. Sunt autem quatuor causæ finales quæ mouent illum appetitum

tum qualis sit appetitus, sunt inquit quatuor obiecta quæ tanquàm causæ finales mouent appetitum.i. bonum, pulchrum, utile, & necessarium. in hoc autem differunt quod bonum & pulchrum mouent appetitum uoluntarium, qui in ratione fundatur; unde homo appetit summũ bonum & res pulchras, & de istis attractionibus, quæ fiunt ratione pulchri & boni non loquimur, quia attinent ad philosophũ moralem. est alius appetitus rationalis, & animalis, qui mouent magis ab utili & necessario, appetitus uoluntarius & animalis diriguntur ab obiecto utili & in istis semper uerum est quod attractum mouet, attrahens autem non mouet quod nos uidemus in singulis, nam scientia non mouetur ad hominem sed homo ad scientiam, ita etiam de utili, pecunia non mouetur ad nos sed nos ad pecuniam, igitur quod attrahit est immobile, quod autem attrahitur mouetur. Ne*cessarium etiam mouet tam appetitum naturalem quam animalem, ut quando aliquis appetit excernere sua excrementa est appetitus motus à necessitate, mouetur appetitus animalis hoc modo, etiam mouetur appetitus naturalis a necessario, quod est in duplici differentia, est necessarium uniuersale & pro ratione alicuius particularis: uniuersale ut quando aliquid mouetur propter ordinem naturæ, ut quando aliquid mouetur ad uacuum, mouetur propter legem uniuersalem naturæ, & mouetur maximo motu & impetu, id quod attrahit, ad id quod attrahitur, est & necessarium particulare sicut quando aliquid*

animal trahitur ad secessum, sua excrementa necessario reddendo. Quando autem talis necessitas est in naturalibus utroque modo res se habet tamen contingit quod id quod attrahit, sit principium motionis, ut in uirtutibus naturalibus non est principium attractionis, in attracto alimento, sed in attrahente in uirtute, his sic stantibus quæritur an attractio caloris sit uniuoca. Est quidem uniuoca quando calor trahit alimentum ad se, & dum attrahit alimentum ad se mouet, & quando calor trahit non attrahit, sicut quando corpus ratione uacui mouet: quando igitur calor trahit non trahit nisi attractione uniuoca, ac si adest appetitus ut adest nihil facit quare tunc non est ratione formalis attractionis, etiam uacuum trahit per appetitum, qui reperitur in attracto, quæ attractio est ratione necessarij uniuersalis: est enim necessarium ne detur uacuum, sed de attractione modo quæ est ab appetitu naturali, ut appetitus est ratio formalis motus, uerbi gratia medicina, quando trahit ad se humorem, quod est principium huius attractionis, nunquid est attractio uniuoca? nequaquàm quia medicina nõ mouetur, solum mouet quod attrahit: est modo uidendum an in medicina sit appetitus uoluntarius, & hoc uel ut animalis, uel ut non, est igitur appetitus naturalis & est necessarius. quæritur de principio attractionis, utrum principium inueniatur in attracto, uel in ipsa. ut quemadmodum dicimus quod uirtus attrahit ad se alimentum, ita dicimus quod medicina trahat ad se humorem, & appetitus

tus est in medicina, sed quod est principium huius appetitus, est necessarium quod sit aliqua forma, utrum accidentalis uel substantialis, hinc modo pendent leges & prophetæ, primo fuit opinio attractionis huiusmodi sicut quando magnes attrahit ferrum quod idem est respectu medicinæ trahentis determinatum humorem, dicit Epicurus *quod causa est quidã deflu xus qui defluit ab attrahente uersus attractum, quæ opinio satis fuit destructa.* Auer.in 23.cap.2. *libri suarum quæstionum, dicit quod fuit opinio* Diogenis *quod esset quoddam humidum quod attrahitur a corpore quod attrahit, cum quo humido simul & corpus attrahitur: quæ opinio est reprobata, & sunt nonnulli medici nostra ætate qui credunt quod principium in medicinis & ratio formalis attrahendi humorem sit calor, quod tamen est falsum. unde in primo & secundo de facult. naturalibus ostendit* Gal. *esse a forma specifica, & nõ ab aliqua qualitate, & dicit quod illa attractio non est à calore, & probat experimento unico, & dicit quod in Asia consueuerunt sui* Rustici *accipere amphoram quandam & aliquo humido siue aqua siue oleo replebant, & ponebant in medio cumuli frumenti, & frumentum attrahebat illud humidum, & crescebat cumulus, quod arguit, quod hoc fiat à forma tritici, non autem a calore, quia si ponatur eadem aqua in maximo calore, in igne etiam in maximo æstu, tamen aqua illa non resoluetur, quare neque attrahetur, quod si etiam hac ratione caloris citius attraheretur à maiori calore, concedit tamen*

men postea quinto de simp.med.facult.16.quod quã uis a forma specifica fiat attractio,calor tamen adiuuat ad attractionem,sed calor attrahit indifferenter omnes humores,sed determinatus humor a forma determinata attrahitur à uirtute formæ, quare ratio formalis in attractione est in forma,calor autem subministrat. Igitur medicina attrahit ratione formæ ut uoluit Gal. Nonnulli arguunt contra Gal. & præcipue Conciliator,qui præsupponit primo quod forma substantialis sit simplex,tamen dicit a forma simplici non potest prouenire nisi actio simplex, et forma non producit nisi unum actum,tantum qui est in animalibus,& plantis uita.in mineralibus dat esse quia uiuere est esse quæcunque autem aliæ operationes a qualitatibus producuntur;unus solus actus est a forma,& est esse siue uita,esse in mineralibus,uita in animalibus,quare forma non est principium aliarum operationum,sed isti non cognoscunt quod actio non est forma ut forma,sed compositi compositũ est,quod agit quia dicit animam intelligere dicit animam agere,compositum igitur est,quod agit,si igitur compositum erit uere unum & forma sit uere una, tunc non poterit prouenire ab hoc toto composito nisi unus tantum actus,sed quoniã forma informat quidam quod est multiplex,apparet ratione diuersitatis,diuersitas operationum, & ideo uidetis eundem calorẽ igneum aliter & aliter se habere,in sicco est calor igneus,in humido est calor mitis,quod si istæ qualitates quæ sunt aliquæ formæ, possunt se diuersificare

secundum

ſecundum diuerſa ſubiecta,id magis eſt de formis ſub ſtantialibus,& ideo in animalibus,hoc uidemus:quia melius uidetur quam in mineralibus, & primo de anima,hæc operatur,& habet contrarias & diuerſas operationes ſecundum diuerſitatem organi, in cerebro alio modo operatur,in corde alio modo,in iecore alio modo,& ſic in diuerſis membris diuerſas producit operationes:imò etiam in eodem membro eſt eadē uirtus quæ attrahit eadem quæ retinet,eadem concoquit,& quæ expellit,quoniam in uentriculo ſunt diuerſæ partes, ſunt uilli longitudinales, per quos attrahit, latitudinales per quos expellit,habet partes carnoſas per quas continet & concoquit,quare et ſi in plantis talis diuerſitas ita aperte non appareat, et minus in mineralibus, tamen ſunt infinitæ proprietates & operationes propter diuerſitatem mixtionis & ideo quod uidetur unum non eſt unum:non eſt igitur mirum neque eſt aliquid contra Gal.licet in forma ſubſtantiali ſit unus actus ſimplex uniuerſalis q; det eſſe,quod propterea non ſequantur plures operationes ratione formæ,ratione diuerſitatis compoſiti, & ideo & in medicina eſt mirum ſi eſt forma quæ dat eam & ultra hoc trahit etiam humorem determinatum.ſed ut ad punctum deueniamus, quia etiam Auic.concedit quod attractio fiet a forma per proprietatem per qualitatem occultam,non per caliditatem,non per ſiccitatem non per frigiditatem aut humiditatem,ſed quia talis eſt forma talis medicinæ:ſed quia ut dicit Auer.non eſt in humano arbitrio ſcire

deter-

determinate cur agat illa forma, sed tamen scimus quod agit, quomodo igitur scimus quæ formam consequuntur, si formam non cognoscimus? ideo ego uellem scire ab aliquo utrum cognosceret uere essentiã animæ, uellem etiam scire an illa definitio, anima est actus primus &c. sit bona definitio, quia est definitio a posteriori et est idẽ p idẽ declarare, quia formæ essentiam cognoscere non possumus, & ideo etiã proprietates sunt occultæ, est modo quærendum quo modo ista forma substantialis faciat istam attractionem, unde est quod uerbi gratia scammonium attrahit bilem, cur fit talis attractio, est necessarium supponere quod huiusmodi actio fit propter aliquem appetitum qui non est animalis neque uoluntarius, sed naturalis propter necessitatem, sed quis est iste appetitus in scammonio trahente bilem? dicit Gal. quod est quia est similitudo in substantia, & quædam conuenientia inter hoc & illud & hac ratione cuius insitum est ut simile appetat simile & illud perficiat, quæ autem dissimilia sunt dissentiunt: unde nascitur illa sympathia, ille amor & suum oppositum: propter igitur conuenientiam quæ est inter attrahens & attractum nascitur appetitus in attracto, in ferro: quoniam ferrum appetit accedere magneti, cum .n. magnes assimilatur ferro, & sit quoddam rudimentum ferri, ideo est quædam conuenientia in tali gradu nobis ignoto, igitur ferrum quærit sibi assimilare magnetem in propria natura, ut magnetem perficiat: quare contra Auic. dicimus quod ineptissi

mè arguit contra Gal. Nam cum proponat Galenus quod ſimilitudo in ſubſtantia facit hoc ratione appetitus, tamen non ualet quod idem appetat idem, quia ſi appetitus oritur ex indigentia, ideo idem non appetit idem quia ibi non eſt indigentia, quare eſt appetitus ratione indigentiæ quia ratione ſimilitudinis quærit aſsimilare illud & uertere in ſui naturã, quoniam ſimile, quòd ſi idem eſſet & non ſimile, nõ eſſet aliqua indigentia, & tunc non eſſet aliquis appetitus, quoniam neque aliqua operatio ſiue attractio ſequeretur.

Diximus de uirtute attractiua, & attractionem illam eſſe æquiuocam, cum non eſſet motus ex utraque parte, diximus hanc attractionem fieri, uel ab anima uel a natura, a forma quidem quæ dicitur anima, uel natura, natura enim dicitur forma principaliter. Diximus etiam quod attractio ſiue fiat a natura ſiue ab anima fit ſemper ab appetitu, prout eſt principium attractionis; appetitus animalis, quando fit attractio per animam, appetitus naturalis quando fit attractio a natura, mouentur iſti appetitus a bono, pulchro, utili, & neceſſario & in omni appetitu eſt fruitio quæ uoluptas appellatur, tamen uoluptas non eſt proprium obiectum, ſed fruitio illius boni uel pulchri utilis & neceſſarij eſt uoluptas: eſt alius effectus conſequens, diximus etiam quod bonũ & pulchrum magis mouent animam rationalem, appetitum uoluntarium. Vtile autem mouet tam animalem quam rationalem, appetitus autem naturalis pro-

proprie dirigitur a necessario quia appetitus ad unum tendit, ideo est quædam necessitas, iste autẽ appetitus inuentus in naturalibus formæ naturalis & non alterius naturæ nobilioris. Dicebatur quod quãdoque *iste appetitus est in ipso trahente manifeste, quandoq; in attracto, quandoque est dubium. Appetitus manifeste est in attrahente, quando est in uirtute animali, quando cibum trahit siue alimentum; appetitus autem in re attracta est sicut quando attrahitur aliquid a uacuo, uacuum enim nõ habet appetitum cum nihil sit, sed illud quod trahit habet appetitum, ut impleat quod est uacuum, ne detur uacuum & ideo appetitus proculdubio est in attracto, sunt autem quædam in quib. ambigitur, sicut quãdo magnes attrahit ferrum, est dubium an sit appetitus in magnete cum trahit ferrum, an sit in ferro, ut accedat ad magnetem.* Gal. *asserit primo & secundo de facult. naturalibus, quod ita attrahit uirtus in humano corpore cibum & medicina humorem sicut magnes ferrum, sed in uirtute est appetitus nõ in cibo, quare erit in magnete appetitus.* Dicit tamẽ *Auer. oppositum quod in attractione æquiuoca ubi est appetitus, attrahens est immobile, attractum autẽ mouetur,* Diogenes *autem uoluit humorem quendam fluere, a re attracta, quod humidum cum attrahetur, ad atthabens simul cum illo humido & corpus attrahit suum humidum sequens, tamen si recte consideremus etiam in magnete proprie est appetitus, & Auer. licet in 7. Phys. dicit quod dicitur, tamen 12.* Auer.

cœli 93. uidetur dicere oppositum, dicit enim quod si imaginemur circulum in cuius centro sit aliquod attractum, & in circumferentia sit aliquid quod attrahat, illud quod est in cẽtro diuiditur in partes minimas, & ad circumferentiam trahetur & hoc dicit contra Themist. qui uoluit quod ubi est æqualitas inter attractum & attrahens, non sequitur attractio, quia est eadem uirtus, eadem distantia. dicit Auer. hoc est uanum, sed quod fiet diuidetur & ita una pars trahit uerbi gratia ad boream alia ad meridiem alia ad occidentem, cum dicit hoc Aris. expresse uidetur dicere quod in attrahente est appetitus: imaginemini enim quod cibus sit in centro diuidatur in quatuor partes quia quatuor sũt uirtutes et unaquæque pars accedit ad suam uirtutem, & tunc erit appetitus in attrahente, & nemini dubium est quod ubi est principium attractionis in attrahente quod ita fiet. nihilominus supposito ut supponit Themistius quod sit ferrum in centro alicuius circuli & sint in circumferentia quatuor partes magnetis, quæro an illud ferrum diuidetur in quatuor partes, nequaquã, quia manebit ibi ferrum quietum, cum eadem sit uirtus, & æqualis distantia, & si in attracto est appetitus, igitur magis accedit ad unam partem quàm ad aliam, sed si in attrahente situm est in hoc est dubiũ. appetitus etiam est naturalis & est propter aliquã uoluptatem, quando est appetitus naturalis uel in magnete uel in ferro, quod sperat ab hoc appetitu, speratur aliqua fruitio, aliqua uoluptas, in nonnullis est

hoc

hoc manifestum, in uirtute attrahente est manifesta tum ut membrum alat. in quo uirtus uoluptuetur, sed in magnete est dubium, dicunt aliqui ut fiat simile, cum tamen quando est ferrum attractum non aßimi latur ferrum magneti, neque magnes ad ferrum con uertitur, quare solum possumus dicere, quod est solũ quædam conuenientia, ideo sequitur amicitia: ubi au tem est disconuenientia, dispathia, alterum respuit re liquum: quare qui negant causas occultas male faciunt. Sed moderni in hoc dubitant utrum sit uerum quod dicit Gal. & Hippoc. quod in medicina sit uirtus attractiua, & probant quod non uolebam per ar ticulos hanc quæstionem proponere, sed cum uideam omnes Sophisticas auctoritates & falsas, ideo istas omitto. Sunt autem qui dicunt quod uirtus attractiua sit in medicina quæ attrahit humorem, & quod uadit per uenas, & postea redit ad uentriculum, ducens humores, & tamen essent duo motus oppositi ꝗ scilicet primo ad uenas, deinde quadam electione ten dit a uenis ad uentriculum, qui sunt duo motus contrarij a centro ad circumferentiam, & a circumferentia ad centrum, cum tamen omne simplex siue cõ positum unico tantum motu moueatur. Quod si aliquis diceret licet medicina mouetur naturaliter cum est in corpore ab anima actuatur, & ideo uirtute ani mæ potest habere illos duos motus, hoc est uanum, nam anima nihil ultra dat medicinæ nisi quod dat actum caloris, ponit calorem qui erat in potentia in medicina in actu, & quando actio fit mediate, intrin

 seco

ſeco mediante calore, ideo etiam Ga' ponens princi-pium attractionis in medicina in attrahente, uult ta-men calorem eſſe inſtrumētū, igitur iſte calor qui erat in potentia debet reduci ad actum per aliquem calorem, per calorem ſcilicet naturalem, qui reducit calorem in actū; nam non dat formam cum non ha-beat, & ob id non debet moueri medicina duobus mo tibus ad contrarium. Habetis igitur hactenus *quod medicina ſolutiua ſoluit per attractionem, & quod huiuſmodi attractio eſt in ipſa medicina attrahente, & talis appetitus eſt nobis occultus, & eſt ſolum quædam conuenientia formarum, non autem identi-tas, contra Auicennam.* Modo *Auic. in textu dicit & duo proponit primo quod antiqui dicebant, quod quando medicina attrahit colliquat humores, ut ſcā monium quando ſumitur modo trahit bilē ſed colli-quat humores quoſcunque & colliquando habet po-ſtea in ea quandam proprietatem ut poſtquàm colli-quauerit humores, ut uertat illos in naturam ſibi ſi milem. unde aliæ medicinæ poſt colliquationem fa-ciunt bilem, aliæ pituitam, aliæ melancholiam, hæc fuit opinio Aſclepiadis: contra quem in primo de na tura hum. & in lib. de fac.* Medicamentorum *oſtendit* Gal. *illum non fuiſſe philoſophum neque medicum: quia ſequitur quod ſemper ſit euacuatio uniuerſalis omnium humorum. contra iſtam ſententiam arguit Auic. ſine aliquo ordine: & dicit hanc ſententiam ni hil eſſe, & bene: quia quod eſt falſum nihil eſt, quia ſi ens eſt & uerum conuertitur, falſum & non ens*

con-

Epilogus

conuertitur, ideo dicit Auic. illa opinio non est aliquid, & ita uera dicit. Sed postea proponit aliam sententiam quam imputat Gale. & dicit Galenus etiam opinatur, quod quando medicina sumitur in corpus, & non purgat humorem quem debebat purgare quod uertitur in naturam illius humoris quem debebat purgare: & dicit Auicen. hoc esse inconueniens, tum nihil intelligit de sententia Gal. quia Galen. hoc non dicit, & q. consequenter qui faciunt hanc quæstionem uanè loquuntur, quoniam fundantur in re quæ nunquàm fuit cogitata ab aliquo bono uiro neque a Gale. sed quia dicit Gal. in tertio simpl. cap. 24. quod omnis medicina trahit familiaritate quæ est ex parte formæ; sed ista familiaritas quæ est in medicina diuersimode admodum se habet, in diuersis, sed quare? Gal. primo supponit quod omnia quæ appellamus simplicia, quia secundum sensum ita apparent; tamen sunt difformia, ut in lactuca omnis pars uidetur similaris, & quælibet pars lactucæ dicitur lactuca, in homine secus est quia brachium a manu est ualde diuersum, uidetur in quibusdam diuersitas partium est manifesta, in alijs prorsus non uidetur, tamen in omnibus sunt partes diuersissimæ, quæ habent diuersas formas, licet sit una forma quæ uniat, & homo est unus per unam formam quæ est anima. cum tantum sit forma unius, habet tamen partes oppositas quoad operationes, & qualitates; os est frig. & sicc. caro cal. & hum. omnia tamen ad unum conspirant, & hinc est quod omnia dicuntur u-

Gal.

num,cum tamen singulæ partes proprias habent operationes.unde caro respuit quod os attrahit pro suo alimento,sed id uidetur in animalibus expreßißime, minus in plantis, occultißime in mineralibus, ideo dicit Gal.uidemus quod idem astringit & aperit,& in caulibus & rhabarbaro,& tamen est idem rhabarbarum:hoc autem est propter diuersitatem partium quæ habent diuersas formas, quæ tamen ad unum uniuntur,& sunt ueluti in potentia respectu illius formæ. hoc supposito dicit Galen. sunt quædam medicamenta quæ habent côuenientiam cum aliqua sui parte cum humore quem debent trahere;in alijs autem partibus penitus contrariantur, sunt aliqua quæ habent conuenientiam cum humore ut illum trahant:habent tamen etiam alias partes non penitus diuersas,& non omnes,ut scammonium habet proprietatem ut trahat bilem propter familiaritatem & cõuenientiam ipsius substantiæ cum bile,cum igitur sit illa conuenientia in ea una parte,in reliquis omnib. est inimicißima corpori humano,est etiã aliqua medicina quæ trahit aliquem humorem propter conuenientiam substantiæ,est tamen etiam in alijs partib. non inimica,sicut manna, soluit bilem, cum habeat conuenientiam cum bile: habet etiam quod in reliquis partibus non est inimica humano corpori cum igitur sit ista diuersitas dicit ꝙ illæ medicinæ quæ trahunt propter conuenientiam aliquam,humorem, & postea in reliquis partibus sint contrariæ humano corpori,humores non trahunt, dicit quod interficiunt

ciunt homines si possunt, & si non possunt faciunt mala accidentia.quare dicit quod uertuntur in uenenum,sed istæ medicinæ quæ trahunt per conuenientiam aliquam humorem,et cum hoc sunt benignæ nõ sunt contrariæ humano corpori, & non trahunt humorem quem debent trahere uertuntur in alimentum simile humori quem debent trahere ut manna si non euacuat bilem,generat sanguinem biliosum, caßia autem si non euacuet,generat sanguinem melancholicum:hoc est quod dicit Gale. & bene dicit, nam nonne uidemus quod mel conuertitur in bilem propter conuenientiam quam habet cum bile, sic lactuca uertitur in humorẽ pituitosum quia cum tali humore conuenientiam habet?

Cum ageremus de uirtute,de potentia attractiua,orta est difficultas quomodo uirtutes quæ sunt potentia in medicamentis reducantur ad actum, cum inquam uirtus illa an medicina attractiua sit in potentia:isti moderni se implicant in hac difficultate primo quia male intelligunt uerba Gal.alia est causa unde tot homines mouerint hanc quæstionem cũ uiderent Auerroem instare summopere contra Galenum,unde ex istis ortæ sunt dissensiões infinitæ et inextricabiles,proponemus igitur primo quid imputetur Gale.ab Auerroe,qui imputat Gale. quomodo medicinæ frigidæ deducantur ad actum , in reliquis non dubitant,credunt enim Gale.dicere quod medicinæ frigidæ actuentur,quia diuidantur ad minimas partes à calore naturali imputatur hoc Gale. ab

Auerroide contra quem arguit & dicit,uel modo diuisio est proxima causa formalis ut medicina deducatur ad actum,uel aliquid aliud, si est sola diuisio hoc est falsum,quoniam actio non prouenit à quantitate à paßione quanti quæ est paßio materiæ,quia diuisio non potest esse principium actionis, si uero dicis quod diuisio non ducat ad actum medicinam frigidam,tunc medicina cum non sit ad actum deducta nõ aget. Præterea non poteris inuenire aliquam uiã qua calor poßit facere aliquam rem esse frigidam nisi per accidens, quoniam calor facit euaporare materiam calidam & membrum per priuationem caloris remanet frigidum. quare quod est calidum non potest producere effectum frigidum per se, neq; possumus dicere quod aliqua refrigerent quæ non sunt frigida,sicut aliqui dicunt quod stellæ dicuntur refrigerare etsi non sint frigidæ, quia ita possemus dicere de ipso calore,quod tamen est falsum, ex secũdo cœli.42.uoluit enim Auer. & Arist. quod stellæ semper calefaciunt, sed ista caliditas, est inæqualis propter inæqualem distantiam, agentis ad passum, & propter resistentiam paßi,unde aqua & terra a Saturno non recipiunt caliditatem, nisi ualde paucam propter multam distantiam agentis & maximam resistentiam paßi,unde destructo iam Gale.ponit Auer.propriam opinionem supponendo ingeniose certe,& dicit quod unumquodque mixtum habet uarias tẽperaturas,& proportiones quæ deductæ ad aliquem actum est necessarium quod producant uarias

rias operationes & si comparentur respectu humani corporis tamen deducentur ad actum, in alijs enim plus est de elemento calido in alijs plus de frigido, unde æqualiter quælibet medicina a calore deducitur ad actum, & ubi est deducta ad actum operatur secūdum gradum mixtionis, unde illa in qua est plus frigiditatis frigefacit; in qua est plus caliditatis calefacit respectu scilicet humani corporis. quare omnis medicina æqualiter deducitur ad actum a calore, ista est sententia Auer. quæ non ita facile potest retundi.

Sed conciliator pariter Gale. non intelligens disputat contra Auerroem, et primo quando Auer. modo suo loquendi dicit, quod quando calor innatus agit in medicinam extrahit succum, chylum, et tunc secundum gradum temperaturæ operatur contra illum chylū, arguit Cōciliator quia si medicina haberet chylum esset alimentum. est dubitatio friuola, quia posset extrahi chylus, tamen non erit chylus bonus pro alimēto. sed multa alia dicit Cōciliator quæ indigna sunt ut referantur; postea proponit suā opinionem, quod medicina deducitur ad actum per accidens, & adfert exemplum de calce quæ est in potentia calida, si imponatur super eam aqua frigidissima quod calefaciet, eodem modo dicit de frigido est dicendum, si accipiamus marmor, & illud inuoluamus panno & ponamus in sole, quod longe magis refrigerabit marmor quam si ponatur in aqua frigida deinde dicit ubi grando & pituita liquescunt ma
gis

gis refrigerant quàm quando sunt compacta, liquescunt autem à calido. Praeterea uidemus opium quod si ponatur cum aliquo calido, magis refrigerat quã cum frigido, ergo calidum reducit medicinam frigidam ad actum sed per accidens, esse tamẽ nihil cognouit, sed quando dicit de calid. quod inflammatur propter aquam frigidam hoc est quia calor cõstringitur in calore propter aquam frigidam, & ideo inflammatur, sicuti etiam contingit in patientibus febrem hecticam assumpto cibo inflammantur sed non loquimur de huiusmodi calefactione, sed de frigefactione. Sed cum dicis primo de marmore quod si ponatur sub sole quod magis refrigerabit, tu autem dicis quod inuoluatur panno & hic est malitia, ideo si poneres marmor sine ueste incalesceret marmor ut non posset tangi, sed tu addidisti si inuoluantur in panno quia per antiperistasim calor retrahitur, & quando pãnus remouetur remanet frigus. Quantũ autem ad grãdinem & pituitam cum colliquantur magis refrigerant, hoc est quia magis penetrant ad profundum non autem quia magis refrigerent, quẽadmodum dicit Gale. de omphacio & aceto. Omphacium minus refrigerat quam acetum; quia acetum magis penetrat, est tamen frigidum magis omphacium. Quantum ad opium Gale. in 5. simpl. med. hoc dicit si ponatur cum opio aliquod calidum, quod citius penetrabit ad cor: & cum repente petat cor interficiet, si in magna quantitate, & ideo si opium detur calidis & siccis corporibus citius interficit quã

si detur

ſi detur frigidis corporibus, quoniam ratione calidi tatis repente attrahitur illa frigiditas opij ad cor in corporibus calidis, in frigidis autem eſt oppoſitum. quare ex iſtis uidemus imbecillitatem in rationibus Cōciliatoris. Auerroes autem optime arguit contra Galenum ſi hoc doceret quod à ſola diuiſione medicamentum actuaretur, concluderet Auer. contra Galenum, ſed non percepit perfecte intentionem Galeni, ideo oportet uidere ueritatē huius quæſiti. Oportet igitur ex alio principio ſumere exordium quod eſt Galeni: dicam igitur quod obſeruaui in Galeno & præcipue in 3. ſimplic. Primo eſt ſupponendum quod dicit Ariſto. 2. de anima quod duplex eſt potētia, quædam dicitur potentia actiua, quædam paßiua. potentia actiua eſt habitus qui in ſe ſequitur uirtutem formæ, etiam dicitur actus primus, ubi eſt potentia actiua ſcribendi; potētia uero paßiua dicitur ubi eſt aliquid in aliquo mixto quod de ſe eſt imperfectum, neque poteſt deduci ad actum illa potentia niſi fiant aliquæ mutationes & alterationes, & eſt quædam ex iſtis potentijs in qua requiritur maior alteratio, ut in cibo eſt potentia ut uertatur in ſubſtantiam nutriti, ſed eſt in potentia remota, ideo indiget maiori alteratione, ſanguis autem eſt pars nutriti, ſed in potentia minus remota; ideo minori indiget alteratione: ros etiam dicitur in potentia, ſed magis proxima, ideo minori indiget alteratione. Tertium ſuppoſitum eſt quod ſi aliquid eſt in potentia, eſt neceſſarium quod referatur ad aliquid aliud: potentia

enim est relatiuum, quare habet suum correlatiuum quod est in actu. Quartum suppositum est quod necessario sequitur quod quando id quod est potentia deducitur ad actum ab aliquo quod est in actu, quod producit illum effectum, ratione cuius erat in potentia. Quintum supponendum est quod in re nostra, quod quando dicimus aliquam medicinam esse in potentia, supponendo quod sit potētia paßiua, et quod ad aliquid debeat referri, & quod ab aliquo debeat deduci ad actum, & quod debeat suam producere operationem. Oportet igitur uidere ad quid refertur. Oportet necessario quod illud ad quod refertur sit in actu, cum igitur medicina referatur ad corpus humanum oportet quod referatur ad aliquid quod in corpore humano sit in actu, Sed in corpore humano nihil aliud est in actu nisi anima, & calor naturalis, reliqua autē sunt instrumenta, ob id bene dicit Aristo. quod anima est actus corporis organici potētia &c. & bene dicit potentia uitam habentis, ob id anima dicitur dare actum, scilicet actum uitæ singulis partibus corporis quæ sunt in potentia: igitur anima sola est in actu quæ est in calore naturali, ut in suo domicilio, ad calorem igitur naturalem sunt referendæ omnes potentiæ medicinarum ex quo sequitur necessario unum aliud, cum unumquodque agit, agit secundum propriam & determinatam uirtutem, & actio non præterit uires, sequitur quod secundum gradum caloris ad quem refertur medicina sequatur actus potentiæ illius medicinæ, quia secundum

dum diuersitatem agentis fiũt diuersæ & uariæ dif ferẽtiæ effectus illius, quod est in potentia ad actum: unde aliquid quod respectu alicuius erit uenenum respectu corporis humani erit cibus; etiam infinitæ sunt proportiones calorum; quare diuersi effectus. Et hic restat omnis coniectura & non solum fit diuersitas actionum respectu caloris agentis, sed etiam respectu medicinæ quæ potest diuersificari non ratione formæ sed etiam ratione quantitatis, quoniã est medicina quæ ratione formæ habet quod potest deduci ad actum, tamen ratione quantitatis oc cupabit calorem naturalem & interficiet, ut uinum in debita quantitate uertitur in nutrimentum, in ni mia quantitate calores suffocat. Quibus omnibus ita suppositis si modo uolumus deuenire ad effectũ, oportet primo proponere medicinas calidas quæ de bent deduci ad actum, deinde habere ad quem redu cuntur, sed quoniam calores sunt uarij, ideo oportet habere unum calorem tanquam regulam ad quem omnia referantur, ideo medici imaginati sunt calo rẽ temperatum qui non excedat in intentione neq; in remißione, tam in qualitate quam in substantia qui postea calor ubi intendetur & remittetur, fiet uarium iudicium harum actionum.

Proposita est *supra quæstio quomodo medicinæ deducantur ad actum, & utrum reducantur per ca lorem innatũ: nos breuitatis causa adduximus tres opiniones: prima fuit ascripta* Gale. *quod medicina reducitur ad actum per diminutionem, alia fuit opi nio*

nio Auer.quod deducatur ad actum per expreßionē chyli.tertia opinio fuit conciliatoris quod deducitur ad actum per excitationem:ſicut calx reducitur ad actum per excitationem caloris: aliæ etiam ſunt opiniones ſed uanum eſſet illas recenſere, ſunt enim meræ nugæ.Gale.tamen expreſſe loquitur & iſti non intelligunt,& idem dicunt ſed neſciunt exprimere.propoſueramus autem ut hoc intelligeretur, quædam ſuppoſita:primo quando dicimus medicinā eſſe potentia:duplex erat potentia,quædam actiua, quædam paßiua,paßiua autem indiget quadam alteratione,ut deducatur ad actum,ideo medici intelligunt de potentia paßiua, erat deinde ſuppoſitum, quod cum med.ſit in potentia,quod quando eſt deducta ad actum,producit effectum ratione cuius erat in potentia,ſi erat in potētia calida calefacit, ſi erat in potentia frigida frigefacit,ſi erat in potentia uenenum,interficit:ſi erat potentia cibus,nutrit,etiam eſt ſuppoſitum,quod cum ſit in potentia, medicina; debet referri ad actum,eſt in potentia reſpectu alicuius determinati,& illud determinatū eſt in actu: Suppoſuimus poſtea, quod omnia comparantur ad corpus humanum,& ſolum ad calorem in corpore humano, quia ſolū calor innatus eſt in actu,reliquæ autem partes corporis humani ſunt in potentia; dicebatur deinde quod iſte calor innatus cum ſit uarius corporibus,ideo quando medici referunt cibum uel medicinam ad calorem,referunt ad calorem temperatum,reſpectu humani corporis temperati: nam po

ſtea

Sed medicina quæ dicitur calida in primo gradu re
spectu temperati, non erit calida in primo respectu
corporis excedentis in caliditate, ut apparebit in no
stro discursu, his suppositis dicimus ulterius quod
omnis actio mixtorum imò omnis actio naturæ fit p
calorem, solus calor est ille qui facit omnes operatio
nes, & sine calore natura non operatur: quicquid
sit calor, uel natura, uel anima, uel instrumentum, di
co tamen esse immediatum instrumentum naturæ si
ue animæ. solus calor est qui generat, conseruat &
corrumpit. quæcunque enim generãtur, generantur
à calore qui est in semine qui respondet calori stella
rũ. q̃ conseruantur conseruãtur à calore temperato.
Quæ ãt corrũpũtur corrũpũtur a calore extraneo.
Etiam sciendum quod cum calori debeatur actio,
quod omnia mixta habent calorem in potentia: so-
lum corpus animatum habet calorem in actu, omnia
autem mixta mineralia habent calorem in potẽtia:
ex quo sequitur, quod nullum mixtum inanimatum
habet in se principium alicuius actionis: sequitur hoc
necessario, quia si calor est principium omnis actio
nis & inanimatum non habet calorem in actu, ideo
non habet principium alicuius operationis, nisi ad
actum ducatur ab aliquo calore, unde quando ma-
gnes trahit ferrum est necessarium quod intercedat
aliquis calor, sed est tamen occultus, id manifeste ta-
men per signum uidemus, nam si magnetem confri-
caueris facilius ferrum trahet, quia per frictionem
excitatur calor & facilius trahitur, & signum est

manifeſtum quod nulla eſt actio niſi ſit calor, calor igitur eſt ille qui ponit calorem, qui erat potentia in actu. Quod cum ſit, manifeſtum eſt ſiue cibi offerantur, ſiue medicinæ, ſiue uenena; quod omnia ſunt in potentia reſpectu humani corporis, neque enim cibus poteſt nutrire niſi ducatur ad actum, neque uenenum interficere, neque medicina aliquid agere, niſi ducatur ad actum. Nam ſi omnia mixta non habent calorem in actu, ideo ſequitur quod non poßint operari niſi calor quem habent in potentia ad actũ ducatur. Quando igitur conſideramus cibos, medicinas, uenena, conſideramus, ut habent calorem in potentia: & ideo quando dicimus quod calefit uenter, quando accipitur puer uel Catulus, aliter eſt quam ſi accipiatur oleum de abſinthio, quia quando ponimus animal, calor eſt in actu, quando autem oleum, eſt calor in potentia. Calor igitur quicunque eſt in potentia in cibis, in medicinis, & in uenenis: ac demũ in omnibus mixtis inanimatis, uerum eſt quod nũquam operantur, niſi ad actum ducatur eorum calor: ideo dicit Gale. quod ubi uolumus applicare aliquid, quod calefaciat locũ extrinſecũ, oportet fricare locum quem uolumus calefacere & ubi locus incaluerit applicare medicinam, quæ à calore illo deducitur ad actum. Cum igitur omnia ſint potentia reſpectu corporis humani cui applicantur, oportet etiam ſcire quod ubi deducuntur aliqua ad actum, quòd producunt effectum, quem apta ſunt producere, nam cum aliquid mixtum applicatur alicui alio

mixto, & debet deduci quod eſt in potētia ad actū, & neceſſarium quod unumquodque agat ſecundum propriam temperaturam uerbi gratia quando uene num applicatur humano corpori, uenenum non poteſt agere niſi ducatur ad actum; ſed quando calor deduxerit ad actum uenenum, eſt neceſſarium quod uenenum agat ſecundum propriam temperaturam & formam propriam, ideo uenenum interficiet, Medicina etiam ſuas producet operationes, cibus nutriet, unde dicit Gale. quod ſi quis accipiat, tria oua, ouum gallinæ, anatis, & ſerpentis, omnia ſunt in potentia, ponantur ſub gallina, deducentur ad actum, ſed pullus productus ex ouo gallinæ, incipiet quærere granum, productum animal ex anate, proijciet ſe in aquam, ex ſerpente quæret foueam, ecce deducuntur ab eodem calore gallinæ: producunt tamen diuerſos effectus, ſecundum diuerſitatem formarum: ſic eſt de cibo, medicina, & ueneno: ubi iſta diſtinximus, eſt neceſſarium ubi aliquid offertur cognoſcere, dum calor deducit hoc ad actum, ubi erit deductum hoc ad actum, uel erit inimicum uel conueniēs, uel neutrum: ubi erit deductum ad actum ſi erit familiare, adhuc, uel erit familiare ſecundum ſubſtantiam & qualitatem, uel ſecundum alteram tantum, ſi ſecundum ſubſtantiam, uel ſecundum molem, hoc eſt ſecundum materiam, uel ſecundum formam, talia modo quæ ſunt familiaria ſecundū ſubſtantiam & qualitates, ſunt cibus potus, & uertuntur in ſubſtantiam corporis humani, propter conuenientiam quā

habet calor humanus cum hoc quod offertur. Quod dam non conuenit in substantia, sed non in qualitate, ut calor humanus est cum quadam caliditate miti & suaui & cum humiditate temperata, quæ autem offeruntur sunt contraria, uel dißimilia, contraria sicuti quando offertur aliquid frigidum & siccum, sicut est & ista olera exiccantia, sicut portulaca exiccata, quantum attinet ad substantiam uertitur in nutrimentum, quantum ad qualitatem frigefaciet & exiccabit. Dißimilia sunt quæ frigefaciunt & humectant sicut lactuca uiridis, quædam calefaciunt sicut calamentum, & isti sunt cibi medicinales, quidam autem habent substantiam contrariam, non autem qualitates, sicuti quãdo offerimus chamæmelũ, quæ quantum ad qualitatem habet calorem mitem, suauem, cum humiditate temperata tamen substantia non alteratur neque potest uinci à calore naturali: qualitas autem mutatur & ista est medicina absoluta quia secundum qualitates agit & conseruat, non autem secundum substantiam. & istæ dicuntur absolutæ medicinæ conseruantes, tametsi nihil lædentes, quædam uero sunt quæ uincunt corpus, & nõ uincuntur a corpore, & quando uincunt corpus, uel uincunt secundum substantiam & qualitatem, & talia sunt opposita uero cibo, sicut uenena, quædam uero sunt quæ secundum substantiam sunt aduersa, non tamen secundum qualitatem, & ista sunt uenena quæ agunt à tota substantia sine aliqua immutatione de quibus. 9. de plantar. histo. Theophrastus, ubi

ubi dicit quod sunt quædã uenena quæ nullo pacto alterant humanum corpus, tamen interficiunt, agunt secundum formam propriam: nam ubi deducuntur ad actum, agit uirtus formæ, quæ dicitur qualitas occulta, huius rationem aßignauimus in nostro libello. Quædam uero sunt quæ secundum substantiã non sunt inimica, sed secundum qualitates, alterant notabili qualitate siue ad calidum siue ad frigidum & rite, quæ ita alterant, dicuntur medicinæ absolutæ. igitur calor semper deducit ad actum illud quod est potentia: unde offeratur isti medicina quæ habeat uim calefaciendi, alia habeat uim frigefaciendi, calor quid facit? deducit calorem illius medicamẽti qui erat in potentia, sicut faciebat calor gallinæ illa oua. Calor producit semper eundem effectum deducit calorem in actu qui erat in potentia, sed quãdo ille calor est deductus in actu producit effectum ratione cuius erat in potentia, quare diuersitas non rõne caloris, sed ratione mixtorum quæ erant in potentia, & sic nihil ualet argumentum illorum quod ab uno inquantum unum non prouenit nisi unum, à calore solum unum prouenit, sed diuersitas est ut dixi ratione diuersorum mixtorum.

Supponentes igitur quod omnia mixta inanimata habent omnes suas uirtutes in potentia & in potentia paßiua, ita ut non poßint producere aliquem effectum nisi reducantur ad actum per calorem, audiuistis etiam quod calor solum est à quo perueniũt actiones, & est instrumentum omnium formarum,

præterea etiam erat suppositum quod siue medicamenta, siue cibi, siue quæcunque, omnia sunt in potentia respectu humani corporis: & quod non possunt operari nisi à calore naturali in corpore humano actu existente reducantur ad actum, quæ cum sint deducta ad actum, faciunt illud quod erant apta facere. Supponendum etiam quod omne agens, quilibet calor agit secundum uires determinatas: & ideo unus calor poterat deducere ad actum aliquid quod non poterit reducere alius calor: & ideo secundum intensionem & remissionem caloris sequuntur diuersæ actiones, ex quibus dicimus modo quod omnia quæ referuntur ad corpus humanum sunt in potentia & reducuntur ad actum à calore naturali, secundum dispositionem quæ est in passo, actiones enim fiunt secundum uarias dispositiones passi. Quando igitur calor innatus agit in aliquid quod offertur illi; si ille calor iam deduxit ad actum passum, & tunc tamen illud passum est in actu agit & producit proprium effectum, & tunc uel illud est conueniens humano corpori, uel non est conueniens, si est conueniens, uel conuenit secundum substantiam et qualitatem, ita quod immutetur in propriam substantiam corporis animati, & appellatur iste cibus absolute, quia non facit aliquam alterationem: quandoque uero illud quod offertur conuenit quidem secundum substantiam corporis, & potest conuerti in humano corpore ratione substantiæ, sed qualitates aduersantur, ut lactuca & nasturtium non aduersantur

ſantur corpori humano ſecundum ſubſtantiam, nihilominus qualitates ſunt diſsimiles & contrariæ, eſt enim lactuca frigida & humida, & ideo calor naturalis offenditur à qualitatibus lactucæ & talia appellantur alimenta quidem, quia uertuntur in ſubſtantiam, ſed quoniam aduerſantur ſecundum qualitates dicuntur alimenta ſiue cibi medicinales. Alia uerò neque conueniunt ſecundum ſubſtantiam neq; ſecundum qualitatem ſunt talia omnino oppoſita ipſis cibis abſoluta. iſta quando ſunt deducta ad actū, ſunt adeo pernicioſa quod lædūt corpus humanum, & ſecundum ſubſtantiam & ſecundum qualitatem: & dicuntur uenena abſolute. Quædam autem contrariantur ſecundum ſubſtantiam, parum autem ſecundum qualitatem: ſecundum ſubſtantiam contrariantur quæ ſunt uenena, ut uenena occulta, peſsima ſunt autem guſtu iniucunda nullam penitus faciunt alterationem ſecundum qualitatem, ſed interficiunt ſecundum ſubſtantiam, ſicut ſunt illa uenena de quibus Theophraſtus: in iſtis modo membris ſūt diuerſi gradus, quædam enim in minima quantitate lædūt, quædam niſi in maxima, exem. gra. non poteſtis dare adeo minimam partiunculam aconiti uel cicutæ quin interficiat, ſcammonea etiam ſi exhibetur nocet ſecūdum qualitatem, quia excoriat, etiam in ſubſtantia aduerſatur & eſt uenenoſa, ubicunque ſubſtantia permanet eſt ita infeſta, quod interficit ſed non eo modo quo aconitum, quia ſunt gradus in iſtis malignitatibus quando omnia non ſunt æqualiter

talia, sunt tamen in genere omnia maligna. Quædã uero ex istis secundum substantiam non nocent, imò uertuntur quandoq; etiam in alimentum, & si non uertuntur, saltem non faciunt detrimentum. Secundum autem qualitates non conueniunt, sicut sunt medicinæ ut euphorbium, istæ dicuntur medicinæ absolute fuit ista diuisio. Gal. in 3. de tẽperamẽtis sed ista diuisio non amplectitur omnia membra, nam sunt nonnulla quæ in substantia non alterant, neq; in qualitate, neque alterantur, sicut si aliquis comedat paleam, nullam percipiet alterationem, ratio est ista, quoniam inter calorem naturalem & paleam nulla est proportio agendi et patiendi. Sunt etiam quædam, quæ in substantia conueniunt, tamen non uertuntur in alimentum, sicut omnia illa odorata, quæ nutriunt aliquo modo spiritus. quia in hoc etiam est dubitatio, sed quicquid sit sunt familiaria corpori humano, etiam substantia auri & smaragdi est conueniens humano corpori, Quæ tamen non uertuntur in substantiam nutriti. Id nostrum propositum erat, quod quodcunque refertur humano corpori cũ sit in potentia, debet reduci ad actum à calore, quando est deductum ad actum per calorem innatum, calor enim agit in illud quod offertur, siue sit amicũ siue inimicum, ut agendo excitet calorẽ illius ratione q̃ offertur, tunc res illa quæ agit, agit secundũ propriam uirtutem. Granum frumenti in granario non operatur, ponatur in terram incalescit, tunc ubi ponitur in actu statim proprias ædit operationes:

res:oportet igitur quod incalescat si debet facere aliquem fructum, a simili quando aliquid offerebatur humano corpori erat in potentia, calor innatus participauit illi calori ubi incaluerit illa res quæ offertur humano corpori, & redditur in actu cum est reducta ad actum, si est familiaris prodest, si inimica nocet; unde uenenum nisi incalescat non potest interficere. Dicimus *igitur quod quodcunque offertur humano corpori semper est in potentia, ratio quoniã omnia inanimata habent suum calorem in potentia, animalia tamen habent calorem in actu & quæ nõ habent calorem in actu nõ habent operationẽ formæ in actu, quoniam forma utitur calore in actu ut instrumento pro sui operatione, in proposito igitur hoc stante, si quis interroget* Gal. *cibus quomodo deducitur ad actum? respondebit quoniam incalescit a calore innato medicina calida, & ipsa ponitur in actu a calore in actu, qui calor excitat medicinam calidam, calor non est ille qui facit illum calorem medicinæ, sed excitat illum calorem, ista forma mixti est apta ut poßit facere operationes proprias, & unumquodque operatur secundum propriam temperaturam ubi est in actu, sunt diuerßißimæ temperaturæ in mixtis, piper habet naturam temperatam, quæ si comparetur humano corpori est longe calidior, piper tamen habet caliditatem in potentia est ibi sepultus ille calor, & ubi excitatur calor, piper ædit propriam operationem, quæ conuenit suo temperamento, quod cum sit calidius humano corpore*

ideo corpus humanum calefacit: a simili si operationi offeratur, non operatur nisi deducatur ad actum a calore innato. Calor innatus calefacit opium, & excitat formam opij, & tunc opium operatur, modo si opium comparetur humano corpori est frigidum, ideo frigefacit: & ideo tam medicina calida quàm frigida reducitur ad actum a calore naturali: quia unumquodque agens agit secundum propriam temperaturam, quando est in actu, non ponitur autem in actu, nisi excitetur a calore innato: & tunc agit secundum gradus suæ temperaturæ, si illud est amicum corpori humano, prodest: si inimicum nocet: idẽ enim calor existens in hepate facit quatuor humores diuersos, eodem tempore propter diuersitatẽ sui subiecti.

Quare illi qui dixerunt q̃d medicinæ actutãur per solam diuisionem, male dicunt, bene dicit Gale. *quod medicinæ diuiduntur a calore innato, sed illa diuisio est præparatio, ut melius calor agat, non tamen dicit* Gal. *quod sola diuisio sit deductio medicinæ ad actum, sed est calor innatus, qui deducit medicinam ad actum, sed facilius deducitur ubi est ad minima diuisa, unde omnes idem dicunt cum* Galen. *& primo* Auer. *dicit quod quando medicina deducitur ad actum a calore, extrahitur succus, chylus, & dubium est in hoc chylo, sed per chylum intelligit uapores, qui eleuantur a medicina frigida, & uapor est quidam succus extractus, hoc idem dicit* Gentilis. *unde* Auer. *idem dicit quod* Gale. *si ita uult dicere, ut*

impu-

imputat Gal. quod tamen non dicit. Quando etiam Conciliator dicit quod medicina deducitur ad actum quia excitatur calor qui erat in potentia, ut in calce, uoluit hoc dicere: tamen nesciunt exprimere, tandem uidebitis quod unusquisque uult hoc dicere, & si nesciuerit se explicare.

Propositum est nobis deinceps inuestigare utrum formæ intendantur & remittantur, occasio huius quæstionis primo est, quia loquimur hic de medicinis quæ habent qualitates intensas quæ miscentur cum medicinis, quæ habent qualitates remissas ex quibus dubium est an fiat aliqua actio, ita quod remissum remittat intensum, ob id nisi sciremus an formæ intendantur & remittantur, frustra quæreretur an remissum remittat intensum; occasio alia huius difficultatis orta est ex rei difficultate: præterea uidemus operationes esse intensas & remissas, & operationes a forma proueniũt: ideo quæritur an formæ intendantur & remittantur. Cum igitur uideamus operationes præcipue formæ substantialis intẽdi et remitti, uidetur quod omnis forma tam substãtialis quam accidentalis, intendatur & remittatur: in hac quæstione non procedam ut isti, sed deueniam ad rem ipsam, ut ueritas innotescat, & per rectum cognoscitur obliquum. Communiter isti respondent, quod formæ dupliciter capiuntur, uel in abstracto, uel in concreto. Si consideremus formas in abstracto prout sunt quædam essentiæ simplices consideratæ ab intellectu, ut sunt ideæ secundum esse suum ideale

omnes sunt prorsus simplices, indiuisibiles, non suscipientes magis neque minus, & hoc est commune tam formis substantialibus: quam accidentalibus, ut uerbi gratia anima humana in abstracto simplicißima est, non suscipiens magis neque minus, non habens cõtrarium, a simili, albedo in abstracto considerata secundum suam essentiam non suscipit magis neq; minus, & ideo non dicitur magis & minus albedo, bene dicitur magis & minus album. Sed si considerentur formæ in concreto, magna est differentia inter has formas, nam forma substantialis quæ est pars substantiæ actus, dicunt isti hanc esse prorsus indiuisibilem & adferunt rationem, quoniam forma est perfectio rei dans esse rei: & quod est perfectum est indiuisibile, ideo forma substantialis non suscipit intensionem neque remißionem, igitur illa forma prorsus indiuisibilis, tam in concreto quàm in abstracto, sed ipsa forma accidentalis quamuis secũdum essentiam sit indiuisibilis, tamen quando est in concreto suscipit intensionem & remißionem: nam talis forma in concreto est quidam modus essendi, & secundum diuersum modum essendi diuersimode se habet, scilicet secundum diuersitatem subiecti: prout uario modo tale subiectum potest alterari magis & minus, cum formæ accidentales non sint uere essentiæ sed quidã modi essendi, & ita dicunt isti quod forma accidentalis & substantialis in abstracto non suscipit magis & minus, substantialis nullo modo, accidentalis autem in concreto suscipit magis & minus, in hac re in illa

parte

parte quod formæ accidentales in abstracto non suscipiunt magis nec minus, in concreto autē suscipiūt, hoc concedatur; remanet igitur quæstio, an forma substantialis in concreto suscipiat magis & minus, in hoc est dubium quia si forma substantialis suscipit magis & minus, tunc contra Arist.*substantia susciperet magis & minus, & in substantia poneremus cō trarietatem.* Ex *alia parte uidemus expresse quod formæ substantiales intenduntur & remittuntur, ut apparet sensui, ut ostendetur.* Nonnulli *itaque dicunt quod formæ substantiales, possunt considerari dupliciter, primo prout dāt esse specificum unicuiq; composito, ita quod forma substantialis dicatur illa quæ determinat aliquod subiectum in specie, sicuti anima humana ponit hominē in specie humana, & separat hominem a cæteris quibusq; speciebus, hoc modo forma considerata, nemini dubium, quod non suscipit magis & minus: ut si comparemus* Thersitem *cum* Achille *quāuis maximi ualoris fuerit* Achilles *respectu* Thersitis, *tamē* Thersites *et* Achilles *uniuoce participabunt nomen hominis, & sic ea forma nullo modo suscipit intensionem & remißionem, sed alio modo potest considerari forma substantialis, prout dat esse indiuiduale huic indiuiduo, & hoc non prouenit nisi ratione illius tēperaturæ ipsius indiuidui, nam certum est quod ultimo termino mixtionis acquisito, acquiritur forma ista substantialis, quæ siue sit temperatura, siue forma dimitto, in hoc non immorabor, quia semper idem dicetur.* Dicimus *igitur*

quod forma illa quæ acquiritur post ultimum gradum mixtionis quod secundum perfectionem & imperfectionem mixtionis acquiritur perfectio maior & minor in forma, unde uidemus quod homines ubi habent meliorem temperaturam, operationes nobiliores habent, quæ operationes immediate sequuntur formam: ideo forma, ut sic intenditur & remittitur, & ideo si consideremus formam sub hac ratione formali prout sequitur illam temperaturam indiuidui mixti, dicimus aliam esse perfectiorem alia, unde uidemus quod sicut Achilles *non dicitur magis homo q̃* Thersites, *dicitur tamen perfectior homo achilles q̃* Thersites: *sicut & sanitas est quoddam indiuisibile, si uno modo consideretur: prout operationes sensibiliter apparent sanæ.* Cum *igitur hic sumimus sanitatē sanitas est indiuisibilis, hoc tamen indiuisibile ratione diuersorum subiectorum consideratum, prout ædit meliores operationes: sic suscipit magis & minus.* Hoc *modo isti dicunt quod forma substantialis suscipit magis & minus uno modo: alio minime.* Hæc *opinio prima facie uidetur satis bona, sed tamen habet multas instantias: uidemus enim expresse quod forma substantialis non solum, secundo modo suscipit magis & minus, sed primo modo etiam: et si in specie consideretur, uidemus expresse quod si asina & equus simul commisceantur, quæ tamen diuersæ sunt speciei, ut dicit* Arist. *secundo de generatione animalium cap.6. & ex istis duabus speciebus fit una species confusa quæ est remissa, mulus.n.*

est

est species impartibilis non equi nec asinæ sed est species remissa,& fit unum tertium, sicut fit quando album & nigrum commiscētur, ex quibus unum tertium distinctum resultat,quare datur species con fusa commixta & remissa sed hcc etiam est in alijs animalibus,& in homine, unde Nicolaus Leonicenus asseruit se uidisse quendam qui propter maxima naufragia quæ perpessus erat, deuenerat in insulam ubi erant simiæ,unde una ex illis amore capta illius, est illi coniuncta,& habuit filium & filiam,qui non erant penitus homines,neque simiæ sed erant anima lia mixta confusa,ita retulit Leonicen.de Genuensi, hoc idem in animalibus contingere potest, itaque fit intensio & remißio specierum. Deus scit quomodo tales difficultates,soluentur,unde summi illi philoso phi antiquiores formam nullam esse præter naturã uoluerunt sed omnes esse accidentales,& ex solo ordine & sic fieri uaria,& propterea forte esset dicẽdum,& dicam quod mihi magis uidetur probabile. Dico igitur quod certũ est, quod omnes formæ quæ considerantur in se ipsis secundum esse ideale, quod proculdubio non suscipiunt magis & minus, & sic sunt indiuisibiles. Differunt autem substantiales ab accidentalibus:quia ideæ substantialium formarum sunt causa eßendi,ideæ autem formarum accidenta lium non sunt causa eßendi,unde dicebat Arist.quod ratio naturæ est quæ præcedit ipsam rem,& ista ra tio est indiuisibilis,nec suscipit magis & minus,neq; habet contrarium. Sed si consideretur forma uniuscuius-

cuiusque generis in subiecto, dico quod patitur magis & minus secundum eße, non tamen secundum essentiam, & idem contingit de istis formis quod de lumine solis, quod lumen in se ipso non suscipit magis & minus, sed postea uidetis quantum sit diuersum prout in uarijs subiectis recipitur, idem est de forma quæ in mente artificis non suscipit magis & minus, sed ut informat ratione diuersorum subiectorũ, secundum eße suscipit magis & minus: imò dico q̃d formæ in hoc substantiales ab accidentalibus non differunt, imò dico etiam quod æqualiter secundum essentiam non suscipiunt magis & minus, in subiectis autem secundum eße suscipiunt æqualiter magis & minus, unde si consideremus corpora simplicia, habẽt suas qualitates indiuisibiles semper eodem modo se habentes, & quanto aliquod elementum est purius, tanto magis perseuerat in permanentia suarum qualitatum, quæ non alterant sed potius corrumpunt: unde ignis non reperitur actu in aliquo mixto, unde uidemus q̃d siccitas ignis et sua caliditas prout in igne, non suscipit magis & minus & sic de reliquis elementis, prout sunt simplicia eatenus saluant suas qualitates inuiolatas, sed ubi ista permiscentur immutantur qualitates elementorum: unde concludimus quod tam formæ substantiales quam accidentales, dum habent suum subiectum inuariabile, etiam sunt inuariabiles & nisi daretur occasio illis & subiectis, nunq̃ immutarentur. Quare teneo quod formæ substantiales & accidentales dum sunt in subie-

cto suscipiunt magis & minus, secundum esse non secundum essentiam, sed si considerentur secundum essentiam in abstracto; tam substantiales quam accidentales non suscipiunt magis nec minus. Affirmatum est in superioribus formas tam substantiales, quam accidentales secundum essentiam esse indiuisibiles, & non suscipere magis & minus ex quo oritur dubiũ, quoniã uidetur contradicere ipsi Arist. itaq; circa hoc sciendũ est, quod per essentiam intelligamus essentiam quæ abstrahitur per intellectum quæ est triplex, & dicitur ab istis uniuersale, et hoc cõcedunt omnes moderni peripatetici. igitur hoc uniuersale triplex est, quoddam est ante rem, quoddam in re, quoddam post rem, uniuersale ante rem, est quod est in mente artificis: quod quidẽ uniuersale codẽ modo facit natura, quæ agit ratione finis, est quædam idea, quam ideam credidit Plato esse extra animam, huiusmodi uniuersale quod præcedit rem, est ratio a qua forma postea inducitur in materia. Est aliud uniuersale uel alia essentia, quæ est in ipsa re sicuti ex. gra. quando homo est compositus ex duplici substantia ex materia & forma, illa essentia est quoddam uniuersale in re, in composito. Tertiũ est uniuersale quod est post rem, quod extrahitur ab intellectu, & est in intellectu, & dicitur secunda intentio. his tribus uniuersalibus propositis facile est uidere quomodo sit uerum quod diximus quod non contradicimus Aristoteli. O dicit Aristo. substantiam non suscipere magis, & minus & non ha-

 bere

bere cōtrarium quare poſſet hic aliquis dicere, quid intelligis per ſubſtantiam, uel.n. intelligis ſecundum eſſentiam in abſtracto, & tunc nihil dicis, quia cum Ariſt. intelligat de ſubſtantia, & tu intelligis hoc tam de forma ſubſtantiali quàm de forma accidentali, accidentalis modo ſecundum Ariſt. ſuſcipit magis & minus. ſi autem intelligis præciſe ſecundum ſubſtantiam, hoc eſt præciſe contra illud quod determinaſti. Dico quod ipſa forma ſubſtantialis eſt uniuerſalis, & ante rem, & in re, & poſt rem, & quoquomodo eſt impartibilis & indiuiſibilis, primo ante rem quando eſt in mente artificis, ſiue ſit natura ſiue intelligentia dicatur, eſt ea ratio in mente artificis æterni, eſt impartibilis proculdubio eſſentia illius formæ, in re quoque eſt pars compoſiti, eſt.n. cōpoſitum ex materia & forma, ideo eſt pars ſubſtantialis ſubiecti, id quod competit ſubiecto, competit etiam ſuæ formæ, quare ſi ſubiectū non ſuſcipit magis & minus, neq; forma quæ eſt pars compoſiti, quomodo igitur dicis formam ſubſtantialem in ſubiecto ſuſcipere magis & minus? Notetis quod dixit formam ſubſtantialem ſuſcipere magis & minus, quoad ipſas opationes neq; æqualiter operatur in hoc ſubiecto & in illo: ſed prout eſſentia & pars conſtituens ſubiectum formaliter, hoc modo non ſuſcipit magis & minus. ſed eſſentia formarū accidentalium ſecus ſe habet. nam primo ipſa accidentia ſecundum bonos Peripateticos eſſentia ipſorum accidentium eſt inhærentia ſui ſubiecti, & accidentia

tia sunt potius quidam modus essendi, accidentia insequuntur compositum, neq; illa intēdit natura nisi per accidens, unde accidentis non est propria essentia ante rem, de uniuersali autem in re cum essentia sua sit modus essendi, ideo essentia in re suscipit magis & minus, ratio est quia accidens non est essentia sed modus essendi, ut album in homine non est essentia in homine, sed quidam modus essendi: ideo homo potest eē magis albus & minus albus. In hoc igitur forma accidentalis differt a forma substantiali. Quantum autem attinet ad uniuersale post rem, natura essentiam albedinis abstrahit ab intellectu & est secunda intentio, & sic non suscipit magis & minus, ut albedo abstracta per intellectum non suscipit magis & minus, & in hoc accidentia a forma substantiali non differunt, quare ex his credo uos intelligere omnia. His ita positis quæritur modo quod erat intentum post talem quæstionē ex quo nos concedimus formas intendi & remitti & substantiales & accidentales. Quæritur modo unde proueniat hmōdi intensio et remisſio, quæ sunt causæ proximæ propter quas istæ formæ intendantur & remittantur. primo est una opinio quæ tenet quod omnis intensio & remisſio fiat ex commixtione contrariorum, & quanto magis aliquid est in termino alicuius contrarij tanto est intensius; immediata autem causa remisſionis est recessus a contrario, hoc uidetur esse Arist. 5. physic. 16. ubi dicit, quando fit mutatio de contrario in contrarium fit per medium, nā

ex.gra.cum ex albo fit motus ad nigredinem, necessarium est quod in mediis sit comixtio contrariorũ; non potest motus iste fieri ex albedine in nigredinẽ quin fiat per media, quæ media sunt per admixtionem contrariorum, nam omne quod est in motu in medio inter duos contrarios terminos, necessario participat utriusq; cõtrarij, quare ista sententia uidetur habere hoc quod formæ intendantur ratione propinquitatis ad extremum, remißio aũt in ratione approximatiõis ad medium & remotionis ab extremo. Ex *alia parte est alia opinio diuersa negans hoc, et dicens hoc esse ex uaria habitudine subiectorum: ex* Auerr. 2. *celi.* 15. *ubi* Auer. *contra* Alex. *dicit, si intẽsio & remißio in formis esset rõne cõmixtiõis contrariorum, si hoc esset uerum, tũc nõ posset aßignari ratio cur in corporibus cœlestibus in quibus nulla est contrarietas est magis, & remissum, quia uidemus lumẽ intensum & remissum, ergo falsum est dicere quod intensio & remißio formarum fiat per admixtionem contrarij, sed hoc fit propter habitudinem diuersorum corporũ, quia intensio & remißio luminis in cœlo prouenit ratione raritatis & densitatis, quæ sunt differentiæ, quæ se tenent ex parte materiæ attamen quando disputat contra Alexandrum* Auerr. *dicit quod non dicit* Alexander. Nam Alex. *secundo libro suarum quæstionum quest.* 17. *aßignans causam quare calor intẽdatur et remittatur, dicit, quod hoc est rõne diuersorum subiectorum, unde quando inflammatur cor*-

pus siccum, calor ille sicut in febre est intensior, quã do autem inflammatur subiectum humidum, ut aqua, non est ita intensus ille calor: unde quanto corpus est siccius, tanto calor est intensior, in eo subiecto receptus: quare Alex. uidetur uelle quod calor intendatur & remittatur ratione subiectorum. Præterea si Alex. illud etiam diceret, non uidetur sufficiens ratio Auer. qui hoc impugnat, quia in cœlo secus apparet: nam bene potest esse quod ex commixtione contrariorum fiat intensio & remißio, et etiam ex habitudine diuersa subiectorum: quia bene esse potest quod idẽ effectus proueniat a duabus causis, quemadmodum dolor fit a solutione continui, & a mala temperatura: pari ratione nos dicimus de huiusmodi intensione & remißione, bene ò Auer. cõcedo quod hoc fiat propter habitudinem diuersorũ subiectorum, sed etiam propter admixtionem contrariorum. Sunt igitur hæ duæ opiniones quid dicendum? Si consulamus sensus, nõ potest negari, quin per admixtionem contrariorum fiat remißio formarum, quia si aqua calidißima & frigidißima commisceatur, æquis portionibus fiet qualitas ualde remissa, simili modo pictores admiscent cerussam cum atramento & faciunt cœlestinum colorem medium inter album & nigrum. Apparet etiam sensui, quod secundum diuersitatem subiecti fit intensior & remissior forma. Nam sicut d. Alexander calor in ferro est intensior quam in palea, & sicut dicit Gale. calor in puero est longe mitior quam in iuuene qua

re etiam intensio & remissio formarum fit non tantum ratione admixtionis contrariorum, sed etiam ex uaria habitudine & dispositione subiectorũ. Sed posset hic aliquis dubitare, quia scimus quod est regula necessaria, quod ubi sunt æqualia producentia eundem effectum, est necessarium uel quod unum sit causa alterius, uel quod illa duo quæ æqualiter sunt causa, habeant aliam causam superiorẽ quæ sit causa horum: quia omne multiplex ad unum reducitur, & ita est reuera, quid est igitur circa hoc dicẽdum? Dicimus non posse negari omnes intensiones & remissiones ad unum principium esse reducendas, uidelicet ad uariam dispositionem subiecti. Quantum autem ad illam auctoritatem Arist. oportet uidere illa uerba. Nunquàm dicet Arist. quod qualitates cõmiscentur, nam quod est indiuisibile incorporeum non potest commisceri, ut Arist. in primo de generatione circa finem dicit, quod corpora miscentur & qualitates alterantur, non credatis quod Arist. somniet, quod qualitates misceantur sed qualitates alterantur, sed ex mixtione corporum sequuntur alterationes qualitatum. Sunt igitur ea corpora quæ miscentur, & secundum diuersitatem corporum, secundum quod densum cum raro miscetur diuersimode se habent qualitates, unde secundum quod magis & minus apparet de sicco de humido necessario fiunt intensiones & remissiones, & primo de coloribus. Color est secundum uariam receptionem luminis in diaphano terminato. prout corpus habet de diaphano

no

no plus recipit luminis, & plus consequenter habet de albedine quod minimum luminis recipit, habet de nigredine:receptio illa facit diuersitates coloris quare fit illa alteratio in corpore quod diuersimode se habet:ideo uario modo colores recipit. Quantum ad sapores cum proueniant ex uaria mixtione humidi cum sicco secundum uariam actionem calidi, ideo isti sapores intenduntur & remittuntur, fit sapor amarus, dulcis, secundũ quod illa corpora sicca et humida uario modo se habẽt:unde dicimus quod causa intensionis & remißionis, quamuis uideatur esse commixtio contrariorum est tamen secundum apparentiam & hoc est ratione corporum qui diuersam habent naturam quæ adinuicem miscẽtur, ex quorum cõmixtione sequitur illa forma uaria, quæ est modus essendi, & alteratur, etsi non admiscentur formæ, sicut quando ex asina & equo fit mulus, & est species quædam media, hic nõ est remißio formæ, sed est quod forma non potest operari sicut oportet propter indispositionẽ subiecti. quoniã materia & substantia est confusa, & commixta ex duabus subiectis diuersis. sed tu dixisti, quod intenduntur & remittuntur formæ secundum uariam habitudinem subiectorum; poßet hoc esse in aliquibus, sed in omnibus hoc nõ potest esse, nã elementa deueniunt ad eße elementi. i. quando ignis factus est ignis & quando terra facta est terra, memini dubium est quod ista elemẽta facta sunt materia primo purißima, non est pars materiæ alia magis densa alia

magis crassa, cur igitur sit calor hic intensus in igne, calor remissus in aere, unde proueniunt istæ intensiones in elementis & remißiones, cum hoc non poßit prouenire ratione subiecti, quia idem est subiectum, eadem est materia simplicißima & purißima. Oportet *aduertere quod alio modo generantur simplicia, alio modo composita, composita generantur ex mixtione corporum simplicium, sed elementa generantur ex calore cœlesti: qui quidem calor cum agat quanto est magis proximus & fortior, tanto magis imprimit, nam quanto materia est magis remota tanto in illam minus imprimitur calor, et ideo cum materia ignis sit propinquior, ideo ignis habet calorem intensum, unde dicit* Auic. *qualitates primæ respectu corporum simplicium sunt tanquam causæ in mixtis: nam sunt tanquam causata, quare est uaria & diuersa ratio in elementis & mixtis, igitur ista intensio in elementis est ratione corporum cœlestium, in mixtis autem ratione diuersarum habitudinum diuersorum corporum.*

ADDITIO *nostra.* P*ossemus tamen dicere quod etiam in elementis intensio & remißio caloris prouenit ratione diuersarum habitudinum subiecta siue materiæ.* O, *materia est eadem in omnibus elementis purißima & simplicißima,* Dico *quod est eadem materia, tamen in hac materia pura sunt diuersæ habitudines ratione propinquitatis & distantiæ ad corpora cœlestia, quæ quantum est in seipsis æqualiter agunt in omnia elementa, sed magis in hoc*

quam

quam in illud imprimunt, ratione diuersæ habitudinis materiæ illorum: quatenus scilicet huius materia est propinquior, illius autem materia est remotior.

Erat dubium quoniam diximus intensionem & remißionem formarum esse non ex admixtione contrariorum, sed ex diuersa habitudine subiectorum, quoniam uidetur hoc esse præter rationem, habet enim multas difficultates nam primo uidetur esse contra illud quod apparet: nam si accipiamus aquã frigidam & calefactam, hæc sunt eiusdem substantiæ, corporeitatis ut ita dicam, et speciei, tamẽ si per miscetur aqua frigida cum calida fit aqua tepida: quare hoc uidetur esse ratione contrariarum qualitatum, non autem ratione subiecti diuersi. Nonnulli *conati sunt soluere hoc dubium, ex* Alexan. *primo quæst. naturalium quæst. 3. ubi loquitur* Alexãder, *de aqua calefacta, & dicit quod ubi aqua calefacta fit rarioris substantiæ, est in potẽtia aer, sicut aqua quando densatur est potentia terra; & ideo mutatur subiectum mutatur substantia in aqua densa, & rara frigida & calida, quia aqua calida est rara, frigida autem est densa, & sic hic est diuersitas subiecti, sed si raritas esset in causa caliditatis, tunc aer esset calidior quam aqua calefacta, quia aer est rarior; quod tamen est falsum.* Vnde *aliter est dicendum.* Dicimus *igitur quod semper est uerum, quod nunquam illæ qualitates immutantur, nisi pro diuersitate corporum quæ miscentur, & per commixtionem*

nem istorum corporum refranguntur qualitates. Quantum autem ad instantiam, dicimus, quod aqua est calefacta propter plurimos uapores ignis coaceruatos in aqua, unde rarefit aqua, quia uapores calidi sunt in tota substantia aquæ, modo quando aqua calida cum frigida commiscetur, corpus cum corpore commiscetur: & ideo est diuersitas corporũ quæ miscẽtur, et si æqualiter potest frigiditas aquæ cum uaporibus calidis fit aqua tepida, si alterum magis potest secus est, quia fit excessus secundum illud quod dominatur. His *stantibus,* Q*uæritur si corpus in quo est forma remissa, addatur corpori quod habeat formam intensam utrum remissa forma remittat intensam, uerbi gratia nunquid aqua calida in primo gradu remittat aquam calidam in tertio gradu, nec ne? in hac difficultate sunt rationes ex utraque parte, nam experientia ostendit ita esse quod remissum remittat intensum.* Nam *si admisceatur aqua minus calida cum magis calida, quod illa aqua magis calida remittetur.* Præterea *si commisceatur uinum rubrum cum nigro illud quod est nigrum fit minus nigrum.* Præterea Aristo. *in 5. physic. 15. probat, quod non tantum ex contrario fit permutatio ad contrarium, sed etiam ex medio ad contrarium: & inquit quod medium habet rationem contrarij, quare medium quod est remissum remittet intẽsum.* Tamen *uidẽtur esse multæ instantiæ: & primo si accipiamus ignem paruum et applicemus igni magno, non tamen ignis ille maior remittetur, imò magis*

amplia-

ampliabitur,prætereа habent isti auctoritatem uulgarẽ quod simile additum simili facit furere. Præterea Auer.contra Galenum arguit 5.collig.51.& *dicit quod isti qui tenent* Galenum *prouideant supra hoc,quasi inferat,nunquam prouidebunt,et primo arguit ex fundamentis* Galeni.O Gale.*inquit si uerbi gratia patitur quis febrem, nemo est qui uolens remittere febrem,si febris est calor in tertio accipiet unquam quod est calidum in primo,quia caliditas febrilis non remittitur, sed intenditur; quare remissum non remittit intensum,ideo in febre exhibemus quæ sunt frigida*.De *frigido est eadem ratio, nam si quis habet ægritudinem frigidam cerebri,habet inclinationem ad sommum profundum ad uertiginem ad lethargum & similia,nemo erit tam delirus qui applicet oleum rosatum capiti, licet sit remisse frigidum respectu ægritudinis illud oleũ, sed potius prouidebit cum calidis, quare remissum non remittit intensum,sed potius intendit; & adeo magnifecit has rationes* Auerroes,*quod credidit se conclusisse contra* Galenum.Pro *declaratione huius rei dicimus cum* Galeno *proculdubio remissum remittere intensum,sicuti probatum fuit experientia, & ratione* Aristo.*quia remissum respectu intensi, habet rationem contrarii:ideo si applicetur remissum intenso debet fieri refractio illarum qualitatum.*

Sed quantum attinet ad instantias quæ contra fiunt,nihil sunt,quantum de primo, quando dicitur de igni quod paruus ignis applicatus magno igni facit

facit ignem maiorem, hic est alia ratio, quia quando multiplicatur ignis non fit ignis intensior sed fit maior copia ignis, augetur quantitas non autem qualitas, nos autem loquimur de intensione qualitatum, quare illa instantia non facit ad propositum. Praeterea *calor praecipue igneus cum sit summae actiuitatis, uertit quod debet in propriam substant iam: & ita auget seipsum. sed uidemus etiam si applicemus aliquid ipsi igni, quod ignis fit obtusior primo occursu, ut si ligna uiridia apponantur igni, ignis primo occursu fit turbidus & aliqualiter remittitur: sed quando absumpta est illa humiditas lignorum uiridium, tunc calor ignis fit clarior.*

Quantum uero ad illam rationem simile additum simili facit furere. ista regula intelligitur de simili agente intensiori tantum: idest quando aliquis gradus intensior apponitur alicui gradui remisso. si applicantur igitur tres gradus caloris extrinseci duobus gradibus caloris intrinseci, tunc simile facit furere quando agit: quia est in proportione maioris inaequalitatis. Quantum *autem ad argumenta* Auer. *ipse fuit deceptus, non aduertebat unum quod erat aduertendum.* Nam *longe diuersa ratio est, quādo applicamus medicinam humano corpori, & quando miscemus duas medicinas ad inuicem, exem. gra. quando applicamus rem calidam cum frigida humano corpori, uel quando frigidam tantum, uel calidā tantum applicamus: ideo non ualet quando applicamus medicinam calidam corpori calido calefacit, er-*

go medicina minus calida magis calidam non remittit:non ualet. Præterea *ratio diuersa est,* Nam *medicinæ quæ corpori applicantur, illæ sunt in potentia tales,ratione corporis cui applicantur,unde medicina potentia talis comparatur ad corpus temperatũ, sed si comparetur medicina corpori distemperato,febrienti.* Si *etiam accipiamus & iniiciamus igni picem,oleum,paleam,statim omnia incondentur & augebitur ignis,applicemus hæc humano corpori temperato,nunquam augebunt calorem in homine,ratio est,quoniam proportio olei cum calore humano ita se habet,quod non potest deduci ad actum, & ideo tẽperatura olei non potest aliquid cõtra agere in corpus humanum,& propterea oportet comparare ea quæ possunt corpori humano esse in potentia.* Sed *accipiamus oleum & demus febricitantibus uidebimus quod uertetur in ignem in substantiam calidã quibus ita se habentibus si aliquis febricitet, & applicemus medicinam quæ respectu corporis temperati posit calefacere in primo gradu,calefaciet in primo gradu. detis modo febrienti,febriens est calidior, illa caliditas comburit medicinam calidam in primo & uertit in ignem:uultis uidere,accipiatis mel, detis mel seni,detis etiam iuueni calidæ& siccæ temperaturæ,seni uertetur in optimum alimentum, quoniam illa caliditas naturalis quæ est in melle, non inflammatur ab aliquo calore igneo, facit optimum alimentum,sed ubi inuenit calorem igneum,inflammatur,& fit amarum,& uertitur in bilem; & ideo*

pessi-

peßimum est dare mel iuuenibus, & ideo si detur medicina in primo gradu calida febrienti, facile inflammatur illa medicina: quia in habentibus symbolum est facilis transitus, & uertitur in propriã substantiam caloris ignei, & augetur calor ille, sed cum commiscemus medicinam cum medicina, alia est ratio: idem de frigido, nam quando aliquis habet frigiditatem, est propterea quia calor innatus est diminutus, & indiget excitatione, si applicetur medicina frigida non excitatur, ideo si debet excitari oportet quod exhibeatur aliquid quod sit calidius, & licet illa medicina sit calidior intemperie, tamen non potest excitari quia debet excitari a suo contrario, quando autem medicina admiscetur medicinæ non est eadem ratio, quæ est cum corpore humano & medicina, sed debetis hoc scire, quod quando duæ medicinæ uel duæ res simul commiscentur, habent duplicẽ differentiam uel enim habent qualitates in actu, uel in potentia, in quibus qualitates sunt in actu, statim post mixtionem in istis fit refractio, & commisceatur aqua calida cum frigida statim sequitur remissio, ita si commisceatur rubrum cum nigro hæ qualitates sunt in actu, ideo statim sequitur actus medius. Sed quando qualitates sunt in potentia, ut in medicinis quæ non agunt nisi postquam sunt deductæ ad actum, quando simul commiscentur, non statim sequitur intensio & remißio sed tunc quando sunt deductæ ad actum, hoc autem euenit quoniam deducuntur ad actum à calore hominis, uel à calore extrin-

extrinseco, ubi fermentantur, & ideo si exhibeatur medicina frigida & calida, ista est in potentia, unde quando sunt in corpore humano, utraque agit secundum proprium gradum, at quando duo simul miscentur, ut unum agat secundum tres gradus, alterũ secundum unum, ista duo in corpore humano dum simul miscentur habent aliquam remißionem, quod magis declarabimus. Dicimus *igitur quod medicinæ quando applicantur humano corpori, non operãtur nisi quando sunt deductæ ad actum.* Vnde *si exhibeatur theriaca fermentata habet similitudinem cum mixtione naturali, quia est fermentata à calore naturali, sed quantum attinet ad materiam est potius coniectura mixti.* Accipiatis *theriacam ante fermentationem, refrigerabit primo, deinde calefaciet, quia non est fermentata.* Sed *modo illud quod est difficile & non adhuc cognoui est hoc quod si remissum remittat intensum, in qua proportione hoc fiat.* Nam *si* Gale.*unquam fuit fugitiuus, fuit in hac parte.* Gale. 1 .*catageni cap.* 3 .*dicit, quod si nos permiscemus medicinam* 5 .*graduum exem.gr. caliditatis, cum medicina quæ habeat tres gradus caliditatis. quod ista commixtio facit illud mixtum esse calidũ in quarto gradu, ita quod fiat remißio unius gradus, à remissa caliditate, & hoc tamẽ non probat. uides hoc* Hebræus *quidam mathematicus fecit librũ, & addit difficultatem difficultati & nihil dicit: unde* Auer. *merito deridet illum hominem:* Auerroes *autem in* 58. 51 .*collig. potius ostendit difficultatẽ*

rei

rei quam doceat. Sic nos igitur uolumus dicere quod sit ratione proportionis. Dicit Auer. si misceatur medicina calida in tertio cum medicina calida in primo totum hoc fiet calidum in secundo gradu. Dicit uero Gal. quod si accipiantur tres gradus, & quinque, quod fuit remissio unius gradus, quare uidemus fallaciam in hac proportione, quia proportio inter tres & duos gradus est diuersa a proportione inter quatuor gradus & quinque non est eadem proportio tamen uolunt quod eodem modo in quarumq; proportione fiat remissio unius gradus, unde Conciliator imaginatus est duodecim Mansiones & mathematice probat rē absurdā, ut neq; ipse seipsum intellexerit. Dico igitur & dicam sententiam meā unico uerbo, quod credo quod neq; Gal. neq; Auerroes, neq; aliquis sciat quod dicit, bene sciunt quod intensum & remissum si misceantur, quod fit aliqua remissio, sed quis sit iste gradus isti ignorant, quod igitur remissum remittat intensum habetur tāquā manifestum, sed in quo gradu fiat illa intensio & remissio, ego uellem quod aliquis me doceret, satis igitur fuerit uos admonuisse.

De Phlebotomia. Cap. 20.

PHLEBOTOMIA est euacuatio uniuersalis, quæ multitudinem euacuat) Cum tradituri simus sequentes Auicen. mittēdi sanguinis doctrinam, ut seruetur ordo, sine quo nec doctrina, imo

nec natura potest consistere, ut probabat Aristo. 2. cœli, ideo oportet reminisci: quæ alias nos diximus, quemadmodum in hac quarta fen Auicen. *tradit artem & methodum curandi, quæ ars curatiua tres habere partes dicta est: prima fuit dietetica de alimentis, secunda de medicamentis, tertia hic modo sequitur de phlebotomia, quæ dubium est an reponatur in ordine medicinæ pharmaceuticæ, uel chirurgiæ. Scire igitur oportet primo quid scilicet sit hoc nomẽ phlebotomia, ut æquiuocationẽ fugiamus; secundo quid sit phlebotomia, tertio quanta sit dignitas & utilitas phlebotomiæ, quarto commoditates, quinto sub qua parte sit collocãda phlebotomia, ultimo uidebimus qua methodo debemus incedere ad inuestigandam phlebotomiam.* Q*uantum igitur attinet ad primũ, ad nomẽ.s. nihil aliud significat, quã sectionem uenæ, & hoc modo considerando hoc nomẽ phlebotomiæ non est aliquid artificiosum quod attineat ad medicum dogmaticum, sed attinet solum ad artificem mechanicum, barbitonsorem, & si* Auicẽ. *doceat quomodo tonsor debeat dirigere nouaculam in secanda uena, sed hoc modo non intelligemus hic phlebotomiam materialiter sed formaliter intelligemus eam curationem quæ quidem sequitur phlebotomiam, illam sectionem uenæ.* D*istincto igitur hoc modo nomine quid sit phlebotomia, satis apparet esse genus quoddam euacuationis, nam ubi secatur uena sequitur euacuatio sanguinis, præterea finis hoc indicat, quia medicus nunquam accedit ad sectionem*

 uenæ,

uene, nisi euacuare intendat, & quoniam euacuatio etiam fit à pharmaco, & phlebotomia fit et ipsa euacuatio, erit utriusque unum genus commune, quod est distinguendum, ut habeamus distinctam phlebotomiam. Quapropter sciendum est Gal. 17. aphorismæ secundæ parti. euacuationem quandam esse uniuersalem, quandam particularem, quæ determinatũ aliquem humorem euacuat, Græci dicunt καθαρσιν Latini purgationem. Dicitur autem purgatio quia sanguis qui alioqui debet esse purus, est cum aliquo humore mixtus, cum purgamus euacuando illum humorem quæ est tanquam sordes in sanguine, quoniã scilicet ille humor redundat, euacuatio autẽ uniuersalis est, quando æqualiter omnes humores educuntur, & præsupponit Gale. in sanguine esse actu omnes humores, quod idem uoluit Hippo. primo de nat. hum. & Gale. in lib. de elementis, cum igitur in corpore sint actu illi quatuor humores, quotiescunque ista massa augetur, tunc quando euacuamus, indigemus euacuatione quæ dicitur uniuersalis: quia non euacuatur determinatus humor, sed euacuatur tota illa massa, & æqualiter euacuantur illi humores, intelligimus autem æqualiter, æqualitate iustitiæ, quia plus de sanguine euacuatur, quia etiam plus est de sanguine, quoniam est humor principaliter intẽtus à natura, talis igitur est euacuatio uniuersalis, & ita habemus hactenus quod phlebotomia est euacuatio uniuersalis & per hoc distinguitur ab euacuatione quæ fit per pharmacum, sed quoniam aliæ

sunt

sunt euacuationes uniuersales, ideo non conuertitur ista definitio, sunt autem aliæ euacuationes uniuersales quæ non sunt phlebotomia, ut dicit Gale. secunda apho. 17. ubi dicit quod frictiones, balnea, sudores, imò etiam media omnia ista sunt euacuationes uniuersales & per ista humores omnes æqualiter euacuantur, oportet igitur quod sit aliqua alia differentia in definitione phlebotomiæ, quod scilicet p phlebotomiam habetur euacuatio uniuersalis massæ sanguineæ per uenæ apertionem, quare phlebotomia est euacuatio uniuersalis omnium humorum per uenæ apertionem & talis est uera definitio, quæ est conuertibilis cum suo definito, quæ habet proprium genus quod gerit uicem materiæ, & differentias, quæ gerunt uicem formæ, ex quo apparet quomodo definitio Auicen. sit confusa ut uidebitis sequitur ex hac definitione quod quando est uera phlebotomia, quod semper est ratione multitudinis humorũ æqualiter auctorum in uena, ex quo etiam sequitur quod phlebotomia euentatiua & diuersiua sunt phlebotomiæ per accidens, quia quando euentamus & diuertimus, non habemus scopũ euacuandi humores æqualiter auctos, hoc igitur quantum attinet ad essentiam phlebotomiæ. Tertio est considerãda dignitas phlebotomiæ, nam reuera (dimissa tantum dietetica quæ in uictu ordinando consistit) si comparetur ea pars quæ dicitur pharmacia, cum phlebotomia, est magis naturalis phlebotomia, q̃a sæpe utitur natura missione sanguinis, quod uidemus in fœminis quæ purgantur,

tur,per sanguinis mistionem,per menstrua,ui demus etiam quod natura ubi bene regulatur & sanguis uitiosus colligitur in humano corpore, quod statim natura uel per hæmorrhoides,uel per fluxũ sanguinis narium euacuationem sibi parit, etiam animalia plura sibi ipsis sanguinem mittunt, nam capræ mittunt sibi sanguinem dum accedunt ad spinas,scimus etiam equum fluuiaticũ exire ex aquis & inuenire cannas præacutas & sibi mittere sanguinem: deinde obturare uulnus ex luto paludis, quæ omnia animalia natura ducuntur non ratione, quare uidemus hoc remedium intentum a natura,esseq; remedium dignum,uidemus etiam equos sibi ipsis mittere sanguinem à collo,& hoc est signum optimi equi,quare natura docet hoc remediũ. De utilitate, *est maximum commodum, quia ubicũque sunt uenæ & undecunque possumus mittere sanguinem.* Præterea *nulla expectatur concoctio in mißione sanguinis, sed mittimus sanguinem quocunque tempore, dummodo non habeatur cibus in intestinis aut in uẽtriculo,præterea est alia commoditas,quia hic possumus euacuare quantum uolumus, quod non est in pharmaco,possumus enim sistere sanguinem quando uolumus, præterea nihil imprimit uenenosi in corpore, unde omnino hoc remedium commodißimum est. Sub qua parte modo debeat collocari, nunquid sub diæta debeat collocari, uel pharmacia; uel arte chirurgica,de hoc est dubium.* Nam *si consideremus fluxum menstruorum,uidetur attinere ad rationem*

tionem uictus, quia inanitio & repletio attinent ad dieteticam. si etiam quis habeat naturalem fluxum per hæmorrhoides, etiam iste quando euacuatur, uidetur attinere ad ratione͂ uictus, ad conseruandam sanitatem, & ista est apertio uenæ, per quam æqualiter omnes humores euacuantur. uidetur etiam quod debeat collocari sub pharmacia, nam est euacuatio per pharmacum quæ dicitur pars medicinæ. cum igitur & per phlebotomiam fiat euacuatio attinet ad physicum, non autem ad chirurgum, intelligendo scilicet phlebotomiam formaliter uidetur deinde quod deberet collocari sub arte chirurgica, quoniam sine chirurgo fieri non potest. Quid igitur dicendum? Non inconuenit quod eadem res uario modo considerata sub diuersis collocetur. Si igitur mißio naturalis sanguinis consideretur, nulli dubium est quod est sub dietetica. Si etiam consideretur mißio sanguinis artificialiter facta per intentionem quam habet Medicus scilicet euacuare, sic pertinet ad pharmaciam imò si consideremus phlebotomiam ut est euentatiua aut alteratiua reponitur sub pharmacia. Si aute͂ phlebotomia consideretur materialiter prout ille chirurgus deuenit ad opus, ad apertionem uenæ tu͂c reponitur sub chirurgia.

Dictu͂ est in præcedenti phlebotomiam si secundum propriam rationem intelligatur esse sub genere euacuationis, & non differre ab euacuatione per pharmacum, nisi ratione instrumenti. Sunt igitur sub eodem genere, sed differunt ratione instrumen-

ti: & per differentiam superadditam, quia medicina euacuat determinatum humorē, phlebotomia autem uniuersaliter omnes humores æqualiter auctos in corpore. differunt etiam instrumento, nam euacuatio quæ fit per pharmacum, fit uel per scammonium, uel rhabar. uel quid huiusmodi, euacuatio autem per phlebotomiam fit per uenæ apertionem. Quibus stātibus cum Auicen. egerit de euacuatione quæ fit per medicamentum in genere modo agit de euacuatione uniuersali quæ fit per mißionem sanguinis: quæ cū ita se habeant ut omnia colligamus quæ polliciti sumus primo habuimus nomen, phlebotomiæ, quæ essentia, quæ dignitas, quæ utilitas, & sub qua parte medicinæ reponatur, modo restat uidere qua methodo, qua arte phlebotomia haberi debeat.

Sciendum igitur quod phlebotomia est quædam actio medici, intendit aliquid agere medicus, omnis actio medici imò omnis actio humana, dirigitur & indicatur ab aliquo quod est secundum rationem, omne enim agens agit propter finem, & ille finis dirigit actiones nostras, quare medicus agens oportet quod habeat aliquem finem propter quem dirigatur & indicetur ita esse agendum est igitur intentio medici agere propter aliquem finem, quis est iste finis? scimus in arte medica principium esse quod contraria contrarijs curantur, ergo quando medicus intendit euacuare per sanguinis mißionem, dirigitur necessario ab aliqua repletione præter naturā ergo repletio erit illud quod indicat euacuatiōnē, sed cum

reple-

repletio sit quiddam confusum & a confuso actio distincta esse non potest, ideo nihil adhuc medicus scit nisi distinguat repletionem, scitis autem quomodo repletio in genere duplex est ut ostendit Gale.*lib.de humoribus præter naturam, quædam est repletio quam ipse appellat quoad uasa, alia est repletio quo ad uirtutem,* R*epletio quoad uirtutem est quando superabundat aliquis determinatus humor, huic repletioni distinctæ, debetur euacuatio distincta, quæ fit per medicamēta, est alia repletio quæ dicitur quo ad uasa. uidelicet ubi humores æqualiter augentur in uenis æqualitate iustitiæ, ista est repletio sola quæ indicat nobis sanguinis mißionem.*

His ita constitutis, oportet modo uidere, si mō medicus qui uersatur circa indiuidua uelit recte agere, ut distinguat adhuc, quoniam repletio quoad uasa, quædam est simplex, quædam composita: simplex repletio quoad uasa est quando æqualiter omnes humores augentur, contingit tamen quandoque quod in uenis sit plus sanguinis quàm oportet cum hoc tamen sit etiam aliquis humor excedens determinatus, talis est repletio composita, loquamur primo de repletione simplici, mox de composita. R*epletio igitur simplex est, sicut dixi, quando humores æqualiter augentur in uenis, ista repletio simplex non est ut dicit* Gale. 3.*meth.cap.* 2.*unica, sed est in duplici differentia quia uel est ista repletio, ut sit periculū ne repente uenæ frangantur, ut dicit* Hip.*in eo aph.* Habitus *athletarum &c. ubi est periculum de ruptu*

ra uel de suffocatione, hic peccat quantitas solum; alia modo est repletio in uenis, non tamen quia quantitas faciat periculum suffocationis uel ruptionis, sed ille sanguis uitietur, corrumpatur, putrescat, ut contingit in febribus pestilentibus ubi massa sanguinis putrescit, istis duobus modis contingit repletionem fieri quoad uasa. Nemini dubium est quod cum sint hic diuersæ naturæ repletionis quod medicus habebit diuersas intentiones operandi, quomodo fiat diuersitas audiatis, ut habeatis totam rem. Si erit repletio simplex quoad uasa, & sola peccat quantitas, ubi habemus repletionem nascitur indicatio euacuandi, sed uiro prudenti hoc non sufficit scire, scilicet quid agendum quod sit euacuandum, sed debet etiam scire, quantum sit euacuandum, quando, quomodo, & locum in quo sit euacuandum. Si nos consideremus utranque repletionem ubi sola quantitas peccat, & ubi sanguis uitiatur, nemini dubium est quod euacuatio nunquam uariatur: quacunque enim existente repletione semper est euacuandum, in aliis autem quæ est differentia, scilicet in quanto, quando & reliquis, incipiamus a quanto, si plurimum est de sanguine, indicatur nobis quod plurimum est euacuandum, & hoc est uerum in utraque repletione de qualitate; uidelicet quomodo sit mittendus sanguis. sunt aliqui qui dum stant si illis mittatur sanguis, incidunt in syncopem, alij qui dum iacent uidentur suffocari, quare hoc indicat hominum natura,

tura, quantum autem ad locum, hoc indicat natura humoris, secundum quod ad hanc uel ad illam partē raptum habet, ideo quandoque mittitur sanguis a saphena, quandoque a cephalica. Quantum uero ad tempus attinet, dicit Gal. 8. Meth. cap. 5. *quod in missione sanguinis nullum tempus est expectandum, sed in quocunque tempore indicetur tibi a repletione euacuatio, fiat euacuatio siue sit morbus in principio siue in augmento siue etiam in statu: dummodo in uentriculo & in intestinis non sit cibus incoctus, quare istæ conditiones in quacunque repletione eædem sunt.* Sed *quoniam si medicus uult recte agere nō solum considerat illas.s.conditiones, sed etiam limitātia illa considerat, tyrannos illos, qui cogunt medicū nō agere secundum quod illi indicatū fuerit, ut uirtus, quia si fuerit repletio & uirtus sit debilis, non debet mitti sanguis, etiam ætas, ut ætas puerorum, in anni tempore calido, & simili constitutione, in simili regione, symptomata etiam prohibent, ut si quis solitus sit facile in syncopem incidere. & reliqua quæ omnia medicus considerare debet, quia in istis est maxima differentia inter illas duas repletiones, quia quantum de prima repletione, ubi sanguis peccat solum in quātitate, est necessario uirtus fortis, & ideo indicatur de maxima quantitate euacuanda, quare si consenserint reliqua omnia, est mittendus sanguis usque ad syncopem. unde* Gal. *in synocha mittit sanguinem usque ad animi defectum, quia est maxima repletio, & est maxima quantitas sanguinis, & uirtus*

modo ſint diſtinguendi nemo dicit excepto. Gal. qui tamẽ ſparſim de his loquitur & ideo operæ fuit pre cium ut colligerem quæ Gal.ſparſim dicit,& declararem,quæ erant declaranda,ideo in heſterna lectio ne propoſuimus finem,quem finem medici appellant indicationem,quæ indicat quid agendum,& diximus repletionem eſſe quæ indicat eſſe euacuandum,diximusq́; repletionem aliam eſſe ſimplicem , aliam com poſitam,ſimplex autem diuiditur. Quædam enim eſt quando augetur tantum quantitas, & non mutatur qualitas,alia eſt quando non ſolum augetur quanti tas,ſed qualitas uitiatur,& uidemus qđ ubi ſolũ quã titas peccat quod ſecundum quantitatem mittimus ſanguinem,& mittimus uſque ad ſyncopem quia uir tus eſt fortis,poſtea oſtendebamus quomodo ea pleni tudo,in qua peccat qualitas, ubi tota maſſa ſanguinea corrumpitur,& fit febris maligna,ut dicebamus quod quantum attinet ad plenitudinem,indicat euacuationem : nihilominus ſi uires prætendamus non poſſumus euacuare,quia uires debiles ſunt , quia in ſanguine eſt ſpiritus,unde ſi ſanguis eſt uitiatus etiã ſpiritus ſunt uitiati,quibus uitiatis non poteſt ſtare uirtus, quæ tamen maxime requiritur in miſsione ſanguinis,igitur quãdo continget nobis maſſam ſan guinis in uenis uitiari, & fieri febrem malignam , non deeſt nobis in hoc Gal. qui docet quid agendum: dicit enim in 9.Meth.& in xi.quod ubi habemus ſan guinem uitiatum quod indigemus euacuatione per ſanguinis miſsionem,& non poſſumus propter debi-

lita-

litatem uirtutis, quod debemus parum trahere de ſanguine, deinde alterare ſanguinem uitiatum cum ſuo contrario, cum frigidis & ſiccis, & talis modus operandi dicitur epycraſis, hoc eſt facere contemperantiam. igitur euacuamus ſanguinem paulatim, & poſtea debemus facere epycraſim, non propter partem quæ eſt putrefacta, ſed propter illam in qua imminet periculum putredinis, neque enim tota maſſa ſanguinis putreſcit, quia uita non ſtaret: ſed pars putreſcit, & talis debet euacuari. debet autem fieri epycraſis, propter partem quæ poſſet de facili putreſcere, & ideo uidetis iſtos modernos ſemper & bene cum frig. & ſiccis curare febrem peſtiferam experientia ducti: & ideo non ſunt ſpernendi. H*æc igitur quantum attinet ad eos ſcopos ubi eſt plenitudo quoad uaſa, ſimplex.* Si *modo plenitudo ſanguinis ſit compoſita, & ſit ſanguis intra uenas auctus, & cum hoc etiam alius humor determinatus auctus, ut hoc frequentiſſime accidit, & tunc talis non eſt plenitudo ſimplex, quia ſunt duæ plenitudines, plenitudo quoad uaſa ratione ſanguinis abundantis, & plenitudo quoad uirtutem ratione humoris putrefacti præter naturam exiſtentis, & ubi illud quod indicat eſt compoſitum, etiam intentio & ſcopus eſt compoſitus, & propterea, ut obiter hoc quoque dicam, quando dicitur quod quando uolumus refrigerare non debemus refrigerare, cum his quæ aſtringunt intelligit* Auic. *quando eſt indicatio ſimplex, quando ſolum adeſt caliditas, ſed quando præter caliditatem etiam*

ſunt relaxata membra,hic eſt indicatio compoſita, quare ſcopus etiam eſt compoſitus,igitur oportet frigefacere & aſtringere. Redeundo igitur ad propoſitum,*dicimus quod ubi indicatio eſt ſimplex, ſcopus eſt ſimplex,ubi indicatio compoſita,intentio compoſita,ſi igitur hic eſt plenitudo compoſita, etiam eſt indicatio compoſita,quæ indicat eſſe mittendum ſanguinem propter plenitudinem quoad uaſa, indicat autem euacuationem per pharmacum,propter plenitudinem quoad uirtutem. Quando igitur incidimus in talem plenitudinem,quid agendum? uideatis igitur humores,uel enim cum ſunt mixti cum ſanguine,uel plurimum recedunt a ſanguine, uel non recedunt,ut benè dicit Gal.in 4. de tuenda ſanitate, ſi igitur uidetis eſſe duas plenitudines,conſiderate an ille humor recedat a natura ſanguinis. Verbi gratia eſt aliqua pituita dulcis,quæ non diſtat multum a natura ſanguinis,& facile poteſt reduci: quædam autem eſt inſipida,quæ maximæ recedit a natura ſanguinis,ut nunquàm ferè poßit uerti in ſanguinem. Sic de bile,eſt bilis illa citrina,quæ nòn decedit plurimum a natura ſanguinis eſt autem bilis quæ maxime recedit a natura ſanguinis. Si igitur humores nõ multum recedunt a natura ſanguinis eſt mittendus ſanguis,non tamen ea copia ſicut ſi eſſet ſolum plenitudo quoad uaſa,ſed tamen ſola mißio ſanguinis ſufficit,quia reliquum poſtea concoquitur & difflatur uel per ſudorem,uel per urinam excernitur, ſi autẽ humor diſtet a ſanguine,uel diſtat ſecundum quanti*

ta-

tatem,uel secundum qualitatem, si distat secundum quantitatem,hic sunt duæ indicationes diuersæ,altera indicat esse euacuandum per sanguinem, altera p pharmacum:hic prius debemus incipere ab euacuatione per pharmacum, quia si inceperis a mißione sanguinis,longè plus de sanguine euacuatur: & tūc humor uel effrænitaret,si esset bilis,uel deueniret ad frigidorum incrudationem si esset pituita,quare hic debemus prius euacuare pharmaco, deinde quoniã permanet secunda indicatio,quoniam est plurimum sanguinis,debemus euacuare per phlebotomiam, qđ si humor peccet in uenis in qualitatē,ut si sit bilis, uel uitellina,uel æruginosa quæ peccat malitia, si fuerit bilis quæ peccat solum qualitate, hic debemus incipere ab euacuatione per pharmacum,aliter effrænaretur,sed ante euacuationē,debet præparari, quia est feruentißimus acris & erodens,dummodo det inducias,debet autem præparari cum epycrasi,quia aliter natura molestabitur, & fiet pigra ad expulsionem,& posset figi in aliquo membro ut in intestinis, & fierēt tunc dysenteriæ,& mala alia accidentia. Si uerò fuerit pituita,quæ peccat qualitate, sit nimis crassa,debet præparari,deinde purgari, ultimo autem est mittendus sanguis. Sunt autem aliæ phlebotomiæ quæ non sunt ueræ phlebotomiæ & consequenter non sunt ueræ euacuationes,sed solum alterant & diuertunt multitudinem, phlebotomia enim cum euacuet & euacuet multitudinem non debet fieri,dicit Hippoc.in 4.de ratione uictus, 14. Apho.in

mor-

morbis acutis, ubi fuerit morbus magnus, uirtus fortis & ætas florens est mittendus sanguis. quos scopos maxime laudat Gal. in lib. de missione sang. hæc omnia uerba sunt cõsideranda, prætermittamus illud in morbis acutis, dicit igitur si morbus fuerit magnus, ætas florens, & uirtus fortis, est mittendus sanguis, in morbo magno isti intelligunt in futuro magno, quod est mittendus sanguis, tamen non est uerum, quod ubi est morbus futurus magnus sit mittendus sanguis, ut in lethargo, in comate, in apoplexia, isti sunt maximi morbi, tamen est perniciosum mittere sanguinem, quare non ualet consequentia, est morbus magnus, ergo est mittendus sanguis, o est consequentia Gale. imò dicit Gal. si est morbus magnus, & uirtus fortis, & ætas florens, loquitur copulatiue, quare oportet esse non solum morbum magnum, sed etiam uirtutem fortem, & ætatem florentem, modo in illis morbis ut in hydrope, apoplexia, lethargo, comate, & similibus, nõ potest esse uirtus fortis, quia cum ista frigiditate non stat uirtus quia non est copia sanguinis, quia ubi plurimum sanguinis, constat uirtus, & ideo ubi est morbus magnus & constat uirtus, est multitudo sanguinis & ideo sanguis est mittendus, sed cum hoc etiam debet esse florens ætas, quia bene potest esse morbus magnus, & uirtus constans, tamen non est mittendus sanguis, ut in puero, propter ætatem, etsi sit morbus magnus, & uirtus fortis, tamen non debemus mittere sanguinem, ratio est, primo quoniam sanguis est alimentum, pueri, plu-

rimo

rimo indigent alimento, quia non tantum nutriũtur, sed etiam augentur: præterea pueri plurimum difflantur, & ideo resoluuntur, & ideo per sectionem uenæ detrahimus alimentum, quo indigent & non possunt nutriri, quia ægrotant & illud alimentum quod remanet non sufficit, ideo in pueris cauendum a mißione sanguinis, quare regula optima est non esse mittendũ sanguinem nisi morbus fuerit magnus, uirtus fortis, & ætas florida.

Supra, circa partem illam in qua agebamns de plenitudine quando humor est deprauatus, dubitatũ est a quibusdam et uisum idem esse cum cacochymia; sed non bene concipiunt quid sit cacochymia, quia cacochymia est quando aliquis humor præter naturam determinatus augetur, & multiplicatur in uenis, sicuti pituita uel acida aut uitrea, aut humor aliquis biliosus, adustus, aut atra bilis, & qui redundãt talibus humoribus non indigent alimento, quia corpora impura quanto magis nutries tanto magis lædes, quia natura occupatur in concoquendo alimentum, & diuertitur a separando bonum humorem a malo, & ideo augetur cacochymia, quando autem dicit Gal. prima Aph. 17. quando humores sunt uitiati in uenis, quod homo indiget alimento plurimo, sed non confertim, sed separatim & paulatim est homo nutriendus, & sæpe cibandus, ratio est, quoniam hi habent uitiatos humores quoniam scilicet tota massa sanguinis est uitiata, ideo & spiritus sunt pauci & mali, ideo non possunt tolerare ieiunium, & cum

habeat imbecillem uirtutem, non tolerat multum cibum, quare parum debet exhiberi sed sæpe, erit igitur expedita illa dubitatio. Dictum est præterea ubi est compositus scopus, & indigemus simul euacuatione per pharmacum, & mißione sanguinis, nunq̃ debemus mittere sanguinem in ea quantitate, quæ nobis indicatur a multitudine sanguinis, sed infra est subsistendũ, ne uirtus reddatur imbecillis, ita ut pharmaco postea poßimus euacuare, fuit ista sententia Gal. tum 8. Meth. 1. tum etiam in xi. cap. 14. & hoc idem dicit Auic. in hoc capite, cum dicat serua sanguinem tanq̃ thesaurum, modo ad propositum; deueneramus eo, ut exponeremus 14. Aph. in 4. de ratione uictus, ubi dicitur si morbus est magnus, si ætas & uirtus consentiant, est mittendus sanguis: dicebamus quomodo ille Aph. copulatiuè debet intelligi, erat unum dubium, cur tam magni faciunt uires & ætatẽ in mittendo sanguine: quod tamen non ita obseruatur in euacuatione per pharmacum, quia pueris exhibemus medicamenta soluentia, uenam autem non secamus? unde igitur est hoc? Sciendum est sanguinem esse alimẽtum humani corporis: esse sparsum per singulas corporis partes, præterea in sanguine sunt spiritus, uirtus & calor innatus: ideo maximum est periculum in mittendo sanguinẽ: primo quia est proprium alimentum; secundo quoniam trahimus spiritus, tertio quoniam rarefit corpus, & ratio est quoniam sparsus est per singulas corporis partes, & dũ pars cedit parti ne detur uacuum, unde corpus red

ditur spongiosum & rarum, ut facile possit difflari, cum uires omnes maxime resoluuntur, quod Gal. in 12. Meth. considerauit, ubi loquitur de deliquiis animi, & ideo in pueris nihil perniciosius quam mittere sanguinem, quia plurimo indigent alimento pro nutritione, & pro augmento, praeterea propter plurimum motum, & exercitium non possunt stare loco ideo indigent plurimis spiritibus, tertio pueri sunt tenelli molles, sanguis facile euaporat, postea cum mittitur sanguis uires omnes euanescunt, dicit autẽ in eo Aph. in acutis morbis &c. ergo in cronicis non erit mittendus sanguis, exponens Gal. dicit fuit diminutus, ideo debemus addere in cronicis, sed ista supplementa mihi non placent, quia magni uiri non deficiunt. Dicerem ego unum aliud quod Polybius, uel Hipp. bene dixerunt, & solum intelligunt in morbis acutis illa uerba, quoniam euacuamus ubi est multitudo sanguinis, & tunc semper sequuntur aegritudines acutae, & ideo in acutis tantum semper est mittendus sãguis. ò argumẽtatur bilis facit aegritudinẽ acutam: & tamẽ non est mittendus sanguis, & ideo dicit Gal. in erysipelate ubi abundat bilis, non mittas sanguinem. Aduertatis dicit in acutis morbis ubi uirtus constat, modo ubi uirtus constat, esset sanguis, non autem bilis, si autem est bilis uirtus debilis est, & syncopes & accidentia saeua, si autem dominatur pituita uel melancholia, tunc causantur aegritudines cronicae, in quibus semper pharmaco euacuamus, o non mittimus sanguinem in febre quotidiana, & in quartana

tana mittimus,sed ista est mißio sanguinis euentatiua,quæ analogicè reducitur ad phlebotomiam,neq; respicit multitudinem,sed solum qualitatem:quia fit solum propter ebullitionem humoris, & ut tollat illam ebullitionem,siue sit cum putredine,siue sine putredine,& talis mißio sanguinis euentatiua, si habebit indicationē simplicem sua operatio erit simplex, si compositam,composita.Simplex indicatio quando non est aliqua multitudo sanguinis in corpore,sed solum ebullit propter aliquam causam, cum igitur sit ista simplex indicatio,habebimus etiam indicationē mittendi sanguinem euentatiuam tantum, & tūc parum mittemus de sanguine,& hoc est quod dicit Auic.in hoc capite,cum dicit, & melior est multiplicatio numeri q̃ quātitatis,sed si sit copia sanguinis magna,& ebullitio,hic oportet duo facere, primo euacuare sanguinem qui peccat in quātitate,& sanguinem qui ebullit,tunc confertim simul euacuabis totum sanguinem quo indiges,usque ad syncopem quādo opus est ut Gal.in 8.& 9.Meth. in synocha sine putredine mittit sanguinem usque ad deliquium animi,quod tamen non faceret Gale. si esset synocha cū putredine,& ratio est,quoniam ubi iam est putredo etiam si euacuabimus quoad syncopem non euacuabimus putredinem, quia putridus sanguis est factus terreus,& ideo non potest expelli, nam si mittimus in magna quantitate,remanebit putredo , & uirtus erit debilis,quare postea non poterimus remouere putredinem quæ remansit.

In calce præcedentis, sermo fuit de phlebotomia quam euentatiuam appellamus, ostendebamus enim quandam esse analogiam inter euacuantem phlebotomiam & illam euentatiuã: & dicebamus tunc hãc phlebotomiam euentatiuam habere suas indicationes simplices & compositas, ut quotiescunque occurrit nobis esse mittendum sanguinem qui ebullit, tunc habemus indicationem simplicem, & tunc parum sanguinis mittendum est. Si autem fuerit indicatio composita, ut si fuerit sanguis in multa copia & ebulliat, indigemus phlebotomia etiam usque ad syncopẽ, cuius ratione sanguis refrigeretur & copia sanguinis euacuetur, sicut fecit Gal. in synocha sine putredine, si uero est putredo, debemus reseruare sanguinem, & ideo non est facienda euacuatio sanguinis usque ad animi deliquium. Sed in nono Terap. habemus illam auctor. Gal. ubi in synocha cum putredine mittit sanguinem usque ad syncopem, oportet uidere quid dicat Gale. in eo exemplo de seruo a quo misit sanguinem usq; ad syncopem. dicit se accessisse ad illum, & apparuisse quædam signa putredinis, & secunda die secuit uenam, ita quod incipientib. signis putredinis misit sanguinem, non tamen adhuc erat synocha cum putredine, præterea erat semper declinans, & dico hoc si febris esset cum putredine, quod si secaretur uena, quòd interficeretur æger, unde debemus tenere dogma firmum Gal. in quo non est aliqua contradictio. His igĩtur ita se habentibus audiuistis de phlebotomia euẽtatiua simplici & composita. ex quibus quædam se-

quun-

quuntur corollaria quæ dant utilitatem in praxi circa febres putridas.Sequitur igitur corollariũ ex his:quod in febre tertiana,& in erysipelate phlebotomia aliqua non est necessaria,nõ euacuatiua, quia non est repletio sanguinis,sed cacochymia, non etiã euentatiua,quoniam paroxysmus tertianæ non perdurat nisi per 12.horas,& habet interuallum maximum:ideo non est tanta ebullitio sanguinis, ut indigeat euentatione per tantum remedium, quale est mißio sanguinis:non est etiam necessaria in erysipelate si simplex est,sicut dicit Gale. *propter eandem rationem,non euacuatiua,quoniam non est multitudo sanguinis,sed bilis uel serositatis sanguinis,& ita solum pharmaco indigemus quod euacuet bilem a serositate sanguinis.*Non *est etiam necessaria euentatiua;nam ista inflammatio est in parte aliqua corporis,& non in toto,intelligimus autem de erysipelate extrinseco,quia si esset in aliquo uiscere intrinseco, a principio si uirtus constat,debet secari uena,ut contingit in pleuritide,in reliquis etiam febribus apparet quid agendum,in febribus continuis est necessaria euacuatio per sanguinis mißionem,quæ euacuatio est euentatiua,ut remoueatur ebullitio sanguinis si non sit febris continua per subintrationem paroxysmorum,quos proportionales appellat,est necessaria mißio sanguinis propter euentationem, & propter apertionem obstructionum, ut prohibeatur putredo,in febre uero pituitosa,si phlegma fuerit crassum & uitreum,sicuti in epyalis contingit,nullo pa-*

quia sunt quædam putredines ratione quarum non est tanta ebullitio in sanguine ut euentatione indigeamus, confusè igitur & formaliter uera est propositio, distributiuè autem non est uera, quomodo etiam Gal. exponit Hipp. in eo Aph. 19. secundæ par. Sed dicunt medici imò Gal. in 8. Meth. cap. 4. ubi curat diarias, docet quemadmodum in febribus factis p obstructionem cõueniat mißio sanguinis, quare erit aliud genus phlebotomiæ. Notetis hic hoc punctum, quia multi decipiuntur, quia poßumus obstructionē intelligere tripliciter quantum ad nostrum propositum, uel est obstructio in meatibus cutis ex qua prohibetur transpiratio: alia est obstructio, quæ dicitur coarctatoria a nonnullis quando intra uenas continetur multitudo humorum ut impediat transitus spirituum ne permeare poßint per uenas, & sit periculum suffocationis, tertio est obstructio, quæ dicitur oppilatio, quando est aliqua materia quæ canales & ductus uenarum oppilat, ut materia non poßit permeare neque spiritus. Modo in prima obstructione, cum sanguis sit sparsus per singulas corporis partes. ideo cum mittimus sanguinē corpus rarefit, imò euacuātur humores existētes extra uenas in ambitu cutis, ad uenas traducũtur & exeunt, ut docet Gal. 4. de tuē. sa. in fi. ideo ubi sunt obstructiones meatuũ cutis facta mißione sāguinis obstructio cessat, & ideo dicit Gal. quod facta sanguinis mißione statim, debemus abstergere. In alia uerò obstructione, quādo humores conculcantur intra uenas & non recedunt a

natura sanguinis multum, debemus mittere sanguinẽ quia illa conculcatio cessat, & sanguis euentatur, sed propterea non sunt multiplicanda genera phlebotomiæ: nam in utraque euacuatione euentamus sanguinem, sed quantum attinet ad tertiam obstructionem, uidelicet quando humor aliquis obstruit canalẽ uenæ, dico quod ubi mittimus sanguinem, peius facimus, quia humor ille existens in primis uenis crassus impactus non euacuatur sed augetur sicut optime dicit Gal. in eo 4. de tuend. sanit. & hæc satis de euacuatione per sanguinis missionem euentatiua: Quantum uero attinet ad aliud tertium membrum siue genus quod dicitur diuersum & deriuatiuum.

Ex his quæ de phlebotomia tam euacuatiua quã euentatiua iam conclusimus, eliciebãtur regulæ certæ, & certa Meth. qua uidebamus in quibus casibus erat mittendus sanguis in quibus non, erat modo tertium genus phlebotomiæ, quod appellamus phlebotomiam diuersiuam, in qua ponimus etiam deriuatiuam, habet enim cum illa affinitatem. Sciendum primo quod phlebotomia est diuersa ab illis, quia habet diuersum scopum, quia euacuatiua respicit plenitudinem sanguinis, euentatiua autem ebullitionem, diuersiua autem respicit impetum humoris, & præcipue sanguinis, quia quærit diuertere impetum humoris. Oportet igitur uidere nunquid ille impetus humoris ad aliquam partem sit propter aliquã causam intrinsecam uel extrinsecam. propter causam intrinsecam quoniam aliqua pars est reddita imbecil-

lis,

lis,uel quia sit facta frigida,uel laxa,uel etiam quia sit membrum mandans plenum,quod mittat ad membrum debile,quod facile suscipiat;debemus etiam cōsiderare an membrum mandans sit certum & determinatum,uel sit totus ambitus uenarum, antequam deueniamus ad diuersione:n:ista omnia oportet distinguere.ubi est aliquid,quod extrinsecus aduenit, & fuit in causa impetus humoris,sicuti uel uulnus, uel percußio,uel casus ab alto,uel ruptio oßis, uel dislocatio,ex quibus ratione doloris,ratione inflammationis,& caloris impetuosi humores currunt ad illum locum & excrementa. Qui igitur accedit ad phlebotomiam diuersiuam,debet prospicere an sit a causa externa,an sit repletum totum corpus,nec ne, uel etiam an sit a causa intrinseca, & nunquid deueniat a toto corpore,uel parte determinata: facta ea distinctione,incipiemus ab ea parte,quando unus humor deuenit ad aliquam partem, a certo & determinato loco, & ponamus uerbi gratia pleuritidē; fiat igitur pleuritis inflammatio circa pleuram uidemus quomodo est impetus humoris in illam partem, ut augetur tumor, & inflammatio indicat nobis ut ille impetus euertatur. hic oportet considerare,unde deueniat ille humor,an a superiorib.an ab inferioribus partibus,ut poßit seruari rectitudo & auerte ad partem oppositam secundum rectum:uerbi gratia est aliquis calidi capitis,laborarit in sole, biberit uinum potens,inflammauerit caput, requiescat,& in loco præcipue frigido repente moretur,

tunc ut par est per frigus exprimitur materia per uenas, & descendens per uenas descendit ad costas illas supernas, uel inferiores, & sequitur dolor: sit igitur talis casus, talis impetus: habemus membrum mandans caput, & membrum suscipiens, costæ ipsæ, sit inflammationis situs in latere dextro: uolumus auertere à quo loco est mittendus sanguis? Si debemus facere rectam diuersionem, si debemus ut dicit Hippo. 2. *de ratione uict. &* Gal. *mittere sanguinem a basilica eius lateris, interficiemus hominem, quia non intelligitur* Gale. *nec* Hippo. *quia si mittimus sanguinem in hoc casu a basilica dextra, si sanguis prouenit a capite, habet impetum a superioribus partibus. est autem regula quod trahatur ad oppositum si humor repat inferius, sursum trahi debet: Si igitur hic est impetus ad inferiora, non debemus trahere ad inferiora aperta basilica, quia ille est suus raptus, et ita augebimus apostema. Quid igitur agendum? Plenitudo est in capite supra caput nihil est quia si esset aliquod membrum supra caput, ab illo euacuaremus: sed quoniam nullum membrum supra caput est, ideo uel a capite est facienda deriuatio, uel apertis uenis quæ sunt post aures, & si possemus habere fluxum sanguinis narium optimum esset, uel scindere uenam sub lingua, uel ut faciunt medici peritiores ut arabes mittere sanguinem ab opposito latere quia cum non potuerunt habere auersionem ad superius, & si habuerunt raptum ad inferius, tamen trahunt saltem secundum rectitudinem situs a dextro*

xtro latere ad sinistrum, quia scilicet non possunt trahere secundum rectitudinem lineæ secundum sur sum & superius quia scilicet non datur aliquod mẽ brum supra caput, & ideo quando uident raptum humoris esse ad partem dextram, trahunt inferius sed ad partem oppositam, quia si mittimus sanguinẽ ab eodem latere, erit bona fortuna si non interfeceri mus ægrum, quare in hoc casu est mittendus sanguis ab opposito latere. Archigenes hac ratione noluit in pleuritide esse mittendum sanguinem ab opposito la tere, & Areteus uidentes quod multi periclitaren tur si aliter fieret, tamen locuti sunt sine distinctio nibus, quæ tamen distinctiones omnia soluunt, quia quandoque hoc modo est agendum, sicuti in casu pro pósito, quandoque autem alio modo, dico igitur ubi est plurima repletio capitis & fit apostema in infe rioribus partibus cum non poßimus auertere a par te opposita quia non est aliquid supra caput, quod debemus trahere ad partem oppositam, quia si tra bimus ab eodem latere, interficiemus ægrum, quia trahemus ad locum & sequetur maior inflam matio, & mors, sed si membrum mandans est infe rius, ut hepar repletum sanguine uel bile quod mit tit humores ad costas per uenam ascendentem, quia hic fit raptus ab inferioribus ad superiora, uultis mittere sanguinem in hoc casu & prohibere raptũ illius humoris, a qua uena mittemus sanguinem nun quid à basilica dextri lateris? nonne dum trahemus materiam ad dextrum, nonne trahemus materiam ad

ad locum? quia sanguis ad eandem partem repit: quid igitur faciendum? Quod præcipiebat Auicen. *ubi curabat pleuritidem*. Auicen. *in hoc casu dum materia est in hepate, quando est liberum nobis trahere inferius & superius, quia habet aliquid infra & supra se, quare trahemus per uenam suphenam eiusdem lateris, quando uult remouere impetum humoris, raptus autem est superius quia trahit per eãdem lineam a superiori ad inferius, quare* Auicen. *rationabiliter operatur, quia membrum mandans euacuatur & impetus humoris sistitur.* Si *uero non uultis hanc diametrum, saltem seruetis alterum, trahatis a parte opposita superius. sed quando est magna plenitudo, est mittendus sanguis à saphena, quando autem uolumus deriuare aliud est.* Versaba*mur supra circa tertium genus phlebotomiæ, quod appellatur diuersiuum, dicebamusque quemadmodũ rationis indicatio est faciendæ phlebotomiæ diuersiuæ, impetus humoris, ut ad partem oppositam trahatur, & quoniam huiusmodi indicatio satis uniuersalis est, & medicus non potest operari, nisi distinctas habeat indicationes, ideo non oportet medicum manere in ea uniuersali indicatione, sed oportet ulterius distingui. erat igitur sciendum quemadmodum intentio indicans uel indicatio indicans phlebotomiam diuersiuam, uel est simplex uel composita, simplex, quando solum impetus nobis indicat.* Composi*ta autem quando ultra impetum humoris, est etiam multitudo sanguinis, uel etiam multitudo quoad uir-*

tutem,

tutem, erat primo autem inuestigandũ et distinguendum de indicatione simplici. in hac igitur nemini dubium est quod debemus aduertere tam ad terminum ad quem, quam ad terminum a quo: terminus ad quem idem est, terminus a quo uero diuersus, uel est pars corporis determinata, uel uniuersum corpus, tractabamus autem illud membrum, quando scilicet humor fluit a determinato membro ad determinatum membrum, & afferebamus exemplum de humore fluente a capite ad membranam succingentem constas, est igitur impetus humoris a capite ad membranam illam. sit exem. gra. in dextro latere, est facienda phlebotomia diuersiua, quærebatur quomodo fieri debeat ista mißio sanguinis, certũ enim est quod debet trahi impetus illius humoris ad partem oppositam hoc debet esse perpetuo uerum, ita quod si humor repit uersus partes inferiores, debemus trahere uersus superiores. stante hoc fundamento, fluit humor a capite ad membranam dextram succingentem, nolumus facere auersionem antiperistasim, uocant græci, quomodo mittemus sanguinem? Si mittimus a basilica eiusdem lateris, non seruamus regulam retractionis, sed debemus trahere ab inferiori ad superius, quoniam trahimus humorem ad eam partem ad quam habet impetum, & sic inflammatio augebitur, quia deuenit materia ad partes inferiores, & suffocatur æger, si præterea fuerit in hepate sanguis, & rapiatur ab hepate ad eandem membranam dextri lateris, ut faciat inflammationem,

nem, est raptus ab inferiori ad superiora, quomodo fiet sanguinis mißio? nunquid a basilica dextri lateris? nequaquam: quia tunc trahetur humor ad eandē partem ad quam repit humor. quare sic operantes interficiemus hominem, et ideo oportet trahere ad partem oppositam illi parti ad quam habet impetum humor. Quid igitur agendum? Cum defluit humor a capite ad pectus oportet trahere ab inferiori ad superius, sed hoc fieri non potest, quia non est aliquod membrum supra caput, quare oportet facere quod facit Auicen. s. mittere sanguinem ab opposito latere; quia saltem nos habemus unam diametrum oppositam quæ est inter dextrum & sinistrum. Si autem humor repat ab hepate ad costas, debemus trahere sanguinem a saphena, quia sic auertemus materiam ad partem oppositam, a superiori ad inferius, neque enim fit diuersio propter materiam fluxam sed fluxuram. Et hæc quæ hic dico mea non sunt, sed omniū bonorum auctorum Græcorum excepto Gal. et Hippo. etsi isti non aliter dicant ut uidebitis. Hoc igitur seruat Auicen. & secat saphenam eiusdem lateris, si repit humor ab inferiori ad superius, si a superiori ad inferius ab opposito latere. Sed si materia defluat a toto ambitu corporis, a toto ambitu uenarum ad membranam succingentem, in eo casu non debemus aduertere duos terminos, sed solum debemus magni facere terminum ad quem, quoniam est in magno periculo ne inflammetur, sed de termino a quo non debemus habere magnam curam, quia fluit a singulis mate-

materia, non poßumus aßignare locum, nam plurima fluit materia ideo solum attenditur terminus ad quem ut auertatur fluxus materiæ ad illum locum: & debemus adducere ad partem oppositam & auersio sit respectu unius termini tantum. ideo debemus facere quod præcipiebat Gale. *in lib. de sang. mißione ubi dicit quod ubi uolumus diuertere, oportet seruare debitum spatium, inter terminum ad quem trahimus, & a quo trahimus; deinde quod seruetur id, quod ab ipso* Hipp. *cataixim, hoc est secundum rectitudinem, quid debeat seruari debitum spatium & non debeat esse multum spatium a quo retrahitur humor, primo propter rationem, secundo propter auctoritatem, propter rationem, quia quando fit retractio, quomodocunque fiat, certum est quod ubi est magnum spatium, siue sit ratione uacui siue sit ratione caliditatis, siue etiam ratione formæ specificæ, semper debilitatur uirtus: præterea est auctoritas* Galeni *ideo præcipiebat* Gale. *quando uolumus auertere ab omnibus partibus quæ sunt supra collum debemus mittere sanguinẽ ab humeraria uena, & ut magis declaret seipsum, quod ubi fuerit affectus infra collum debemus mittere sanguinem a basilica; per partes autem infra collum, intelligit a collo ad renes & tunc trahi debet sanguis a basilica: quia trahitur sanguis per debitum spatium, hic autem semper considerамus solum terminum ad quem fluit materia, ubi autem fuerit affectus infra renes, debemus mittere sanguinem a saphenis, quia est debitũ spatium,*

ſpatium,nam ſi trahemus ad partes ſuperiores, eſt nimis longum ſpatium,quando autem affectus eſt in renibus poſſumus trahere ad quam partem uolumus,quia medium ſapit naturam extremi,quare Gale.uult eſſe ſeruandum debitum ſpatium, ſecundo debemus ſeruare cataixim,non intelligatis tamen ſolũ rectitudinem ſitus,& uiarum,ſed intelligatis ſecundum aduẽtum,hoc eſt ſecundum quod commodè progreditur ſanguis,qua ſanguis poteſt commode progredi euacuare oportet,hoc intellexit p cataixim. Modo quando uolumus diuertere aliquem humorẽ quanto magis ſeruamus ductum lineæ rectæ, tanto commodius euacuatur ſanguis, quia in angulis ſequitur impedimentum ſanguinis:debemus igitur ſeruare illum progreſſum uerum, uidelicet ut ſanguis facile poßit euacuari,& ideo iſta duo debent fieri ſcilicet quod debemus ſeruare debitum ſpatium, & cataixim, ideo Hippo. *quando eſt inflammatio in parte dextra,in pleuritide,iubet quod fiat phlebotomia ab eodem latere,quia ſic ſeruatur cataixim, & debitum ſpatium,aliter remedium eſſet tardum & nullum,quare hoc dicit?quoniam cum non ſeruetur cataixim neque debita diſtantia, neque cita neque facilis fiet retractio,quare erit tarda illa retractio uel nulla,quare nihil retrahet,hoc autem dicit quia non cõſiderauit terminum a quo fluit materia, quia fluit a toto ambitu corporis,quare ſolum conſiderauit terminum ad quem* Areteus *autem,&* Archigenes *et* Arabes *conſiderarunt terminum ad quem,et termi-*

*terminum a quo,quia ſcilicet conſiderabant quando humor fluit a parte determinata:quare uidetis quã do phlebotomia diuerſiua eſt ſimplex quid agendum. Quoniam uero diuerſiua phlebotomia eſt compoſita & non ſolum debemus reſpicere terminum a quo fluit humor,& impetum illum,ſed debemus etiam conſiderare multitudinem humoris quando duæ ſunt indicationes,altera diuertendi,altera euacuandi.*His *ſtantibus ſi ſit multitudo ſanguinis,& fluat ad membranam, quid debemus facere? qui ſeruatis* Galenum *trahetis ne ab eodem latere? nequaquam,quia oportet trahere uſque ad ſyncopẽ & tunc dicit* Areteus *uel homo morietur,uel fiet peripneumonia,quod ſi trahamus parũ ſuffocabimus ægrum,quare longe plus profluet ſtante tanta multitudine quàm euacuabitur, quare præcipit* Auicen.*quod primo trahatur ſanguis a ſaphenis, deinde ab oppoſita brachij,ultimo ab eodem latere, quare primo euacuat multitudinẽ, deinde diuertit,ultimo ab eodem latere etiam euacuat a loco. Si uero fuerint humores uitiati corrupti,ſicut contingit quod complicetur febris peſtilens cum putredine trahemus ne ab eodem latere?interficiemus ſtatim, quare ubi ſunt humores uitiati,debemus trahere a locis maxime longinquis a membris nobilibus, ne humor ille malignus accedat ad cor uel ad hepar uel ad cerebrum.*

Vt compleatur totus diſcurſus de miſsione ſanguinis explicabo partem illam quam diuiſimus de

phlebotomia deriuatiua. Circa phlebotomiam deriuatiuam oportet ut sciatis quod est quædam deriuatiua uniuersalis, quædam autem particularis, declaro: primo oportet scire quid sit deriuatio, quid deriuatiua phlebotomia, quæ quidem nihil est nisi traductio humoris ab una parte ad aliam, non autem intendit auertere fluentem humorem, sed uult aliquē humorem fixum permanentem deriuare, deducere ad partem proximam, talis igitur est intentio deriuationis, quædam igitur est uniuersalis, quædam particularis: uniuersalem appello, quando humor nō est in parte determinata corporis, sed in pluribus partibus: de tali deriuatione uniuersali meminit Gale. 4. de tuenda sanit. ubi loquitur de laßitudine ulcerosa, quæ est propter humores acres erodentes, qui sunt circa cutem uel circa carnem, ubi uolens deriuare illum humorem fixum de proximo ad proximum, deriuat ab illis locis ad uenas proximas, & paulatim deriuat per partem post partem, donec trahatur exterius, & dicit Gale. quod debemus iterare mißionē sanguinis, & bis & ter & quater, quia dum mittimus sanguinem, primo uenæ exinanitæ trahunt humorem ad intra uenas tamen tali deriuatione nunquam usus sum (ut uerum fatear) imaginatur igitur Gal. quod ubi humores sunt extra uenas quod ingrediantur in uenas ex prima phlebotomia, qui postea etiam sunt in uenis per secundam phlebotomiā euacuātur & si non omnes per secundam saltem per tertiam & hæc est deriuatio uniuersalis, tamen ego nō

credo

credo quod isti humores ita facile ingrediantur uenas,& si ingrediantur,tamen melius euacuantur cũ sunt extra uenas,si euacuãtur frictiõibus uel p apertionem uel abstergentibus,tamẽ Gal. eo modo operatur. Alia uero est deriuatio particularis ubi trahitur materia de loco ad locum, uerbi gratia quando in aliqua parte fuerit materia fluxa, ubi locus est repletus aperimus uenam proximam,& euacuamus materiam a loco,non debemus tamen accedere ad talem deriuationem nisi prius totum corpus sit euacuatum,quoniam tunc omnes humores confluerent ad locum,& inflammatio augeretur.ex consequenti perfeci iam omnium discursum de phlebotomia,siue sit euacuatiua siue diuersiua siue deriuatiua. Nunc superest ut legamus literam Auicen. & uideamus quomodo in phlebotomia procedat.dicit Auicen.

PHLEBOTOMIA est euacuatio uniuersalis &c. Si agimus de aliquo subiecto oportet scire ẽt quid nominis,& quid rei,quia cognita essentia rei proprietates etiam cognoscũtur quæ essentiam consequuntur,nam ab essentia fluunt accidentia.Definit igitur hic Auicen.phlebotomiam euacuatiuam solũ & ideo oportuit facere illum discursum.Dat igitur diffinitionem quæ conuenit solum phlebotomiæ euacuatiuæ & dicit phlebotomia est euacuatio uniuersalis.Audiuistis quæ sit euacuatio uniuersalis,ubi scilicet humores æqualiter aucti in uenis æqualitate iustitiæ euacuantur, est igitur euacuatio uniuersalis euacuans multitudinem,declarat autem quam mul

titudinem intelligit, scilicet quando humores æqualiter augentur in uenis, dicit deinde: Et *nemo quidem est phlebotomandus, nisi unus duorum.* Pro *quibus sciendum quod medicina quatuor habet actiones uel conseruat sanitatem, & dicitur opus conseruatiuum, aliud opus medicum est oppositum ubi aliquis recedit ab ægritudine, tamen habet sanitatem secundum habitudinem, est imbecillis adhuc & ita conuenit cum conseruatione, quia est sanus sed debiliter, & dicitur reassumptiua. sunt duo alij actus quorũ alius dicitur curatiuus, ubi actu est ægritudo in corpore, & dicitur* Græcis *therapeutica, nostris curatiua, quarta est præseruatio quoties imminet periculum alicuius morbi & dicitur profilactica, a nostris præseruatio. & ita habetis quatuor actus medici. unde uel medicus addit in reassumptiua, uel demit, quãdoque autem neutrum facit, ideo medicina in curatione & præseruatione dicta est ablatio & additio, & per extrema antiqui illi medium etiam intelligebãt quod scilicet quandoque neque addit neque demit.* Cum *igitur conseruamus non addimus neq; tollimus, ideo non oportet mittere sanguinem quia esset ablatio in reassumptiua non conuenit, quia reassumptiua addit, quare solum in curatione & præseruatione est intentio aliquid remouere, quotiescunque igitur in præseruatione uel in curatione habemus multitudinẽ quo ad uasa, debemus mittere sanguinem, unde eodem modo præseruamus & curamus, in duabus igitur operationibus medicus utitur mißione*

ne

ne sanguinis, in præseruatione. s. & curatione.

Inter quatuor genera operationum medici, quæ erant genus conseruatiuum, curatiuum, reassumptiuum, & præseruatiuum ostendebamus quod phlebotomia euacuatiua sit solum in præseruatiuo & curatiuo. Cum igitur proposuerit Auicen. in his duobus generibus tantum esse faciendam euacuationẽ, exemplificat in præsentia in præseruatiõe, in his qui sunt parati ad ægritudinem & dicit quod in tribus casibus conuenit sectio uenæ, primo quando est plenitudo intra uenas, propter quam homo solet incidere in aliquam ægritudinem, ut in podagram sanguineam in epilepsiam & apoplexiam, quando iste ægritudines pendent a sanguine sunt sanguineæ, hoc autem faciendum est debitis temporibus præcipue Vere. secundus casus est non ratione multitudinis adæquate, sed quando aliquis erat consuetus euacuari per apertionem uenæ naturalem, & talis naturalis euacuatio fuerit intercepta, in hoc casu debemus mittere sanguinem etiam si nõ sit plenitudo. Nã ubi natura assueta est euacuare sanguinem, per aliquam uiam & cessauerit, si non adiuuetur natura homo incidet in ægritudinem, ideo si menstrua supprimuntur, debet saphena secari. Si quis etiam sit consuetus fluxui hæmorrhoidum, & cessauerit, debetis mittere sanguinem, eodem modo si cessauerit fluxus sanguinis narium, est mittendus sanguis. Quod si esset fluxus narium, sed non sanguinis, sed pituitæ, tunc non liceret mittere sanguinem, sed ubi fluxus sanguinis

cessat, tunc sanguis est mittendus, licet dicit Auicen. non sint plenitudinis signa, nam etsi appareat color non sequēs sanguinem tamen dicit Auicē. mittas sanguinem, quam regulam obseruauit etiam Gal. ut in hydrope quæ contingit propter suppreßionē mensium uel alicuius consuetæ euacuationis per sanguinem, tum mittit sanguinem Gale. & etiam Auicen. Tertius casus in quo debet fieri mißio sanguinis, est ubi aliquis habet insignem caliditatem alicuius membri, ut hepatis uel renum uel thoracis, ratione cuius facile recipiat excrementa & incidat in ægritudinem propter illam intemperiē calidam. unde si fuerit caliditas renum, fiunt calculi, si hepatis, fit ictenus, si pectoris fit catarrhus salsus. in hoc casu dicit Auicen. quod debemus mittere sanguinem, quamuis non appareant signa sanguinis, ut scilicet homo prouideatur ab ægritudine. quare tota illa pars sufficienter est declarata.

Et illis quibus percußio accidit, aut casus: quoniam quandoque minuuntur, timendo ne eis accidat apostema. Modo cum Auicen. tradiderit illos tres casus nunc ponit conditiones in quibus mittimus sanguinem per phlebotomiam diuersiuam, & dicit quod fit propter apostema uel futurum, uel quod iā fit siue inceperit a causa extrinseca, uel interna, a causa externa propter percußionem propter uulnus, cum aliquis ceciderit ab alto, ratione quorum facta sit solutio continui uel contusio, ita quod cum ille locus doleat & incalescat, trahit plurimam materiam

teriam & fit tumor,ideo est facienda phlebotomia, & si non sit plenitudo,quia ut diximus in discursu phlebotomia diuersiua non respicit plenitudinē sed impetum humoris.Si uero hoc accidat a causa intrinseca eodem prorsus modo debemus procedere quandoque enim contingit quod nulla iniuria oblata humano corpori,tamen ebullit sanguis, & aliquis humor decumbit ad aliquod membrum debile & facit inflammationem,eadem omnino est ratio dum fluit humor debemus aduertere ad partem oppositam & si cum impetu est etiam plenitudo, est facienda phlebotomia in maxima quantitate, si autem est solum impetus humoris,debemus trahere sanguinem in minima copia,iste igitur est primus casus in phlebotomia diuersiua.Alius casus est,quando factum est apostema,& uult Auic.quod etiamsi nulla fuerit plenitudo,debemus facere phlebotomiam diuersiuam, & quoniam non explicat,ego tamen declaro. quando est apostema calidum, ratione cuius sit periculum ne etiam trahat aliquid nouæ materiæ,ex quo sit periculum gāgrænæ propter suffocationem caloris innati,propter multitudinem,uel quod rumpatur apostema ante maturationem,quia tunc dicit Gal. cogimur curare duas ægritudines,oportet curare solutionem illam continui quæ indiget exiccatione, materia autem illa faciens apostema indiget concoctione,indiget emollientibus quæ contraria sunt solutioni continui,& sic cogimur in eodem membro opposita applicare,ob id in tali casu ubi fuerit factum apo

cemus hominẽ ad ebullitionẽ, & sanguis fiet subtilis & penetrabit p uniuersum corpus, iō prius sanguis est mundificandus, & ideo dicit Auice. & cum phlebotomas caue ne deuenias ad crassorum incrudationem, uel ad calidorum ebullitionem. Sed hic decipiuntur isti moderni, quia implicitè satis locutus est Auic. indefinite enim locutus est, quia uniuersaliter locutus non est, & sic est intelligendus, dicit enim quod in principio ubi fuerit ægritudo facta non debemus mittere sanguinẽ, ubi scilicet fuerit duplex indicatio, si scilicet fuerit sanguis mixtus uel cũ bile uel pituita, & si aliter facias, uel nimis attenuabitur sanguis, & fluet ad aliquam partem, si fuerit scilicet bilis, uel non euacuabis quod intendis, quando scilicet fuerit pituita crassa quia non euacuabitur.

PHLEBOTOMIA *quoque, neque euacuatio uentris est facienda in die motus ægritudinis.* De*betis scire illud, quod a nobis iam toties est repetitũ, quemadmodum* Auicenna *posuit ordinem in suis capitibus sed quando accedit ad particularia capita, profert* Aphorismos, *quos* Canones *isti appellant.* I*gitur sequens* Auicenna *ponit documentum in missione sanguinis.* E*st igitur unum documentum, q̃ non solum, quando sumus missuri sanguinem, sed etiam sumus quacunque alia ratione purgaturi, debemus cauere ne fiat talis euacuatio in die motus ægritudinis.* Et *affert rationem, quia ille dies est dies ebullitionis.* Deinde *dicit, quòd ille dies est dies quietis & somni.* Circa *quæ primo debes scire, q̃ motus ægritu*

*dinis nihil aliud est nisi pugna quædam materiæ cũ ipsa natura.*Iste *autem motus dicitur, uel quãdo materia sua multitudine uel mala qualitate mouetur ut bulliat & turgeat, uel quando natura pugnat cũ materia, & quærit expellere uel concoquere.* Secun*do debemus notare, q; iste motus est uniuersalis, & respicit totam speciem ægritudinis uniuersaliter. i. a principio ad finem, in quo sunt dies motus, critici appellati, sicut* 4.7.11.14.17.20. *& alij quoque dies critici. Est alius motus particularis, ubi in aliquo morbo mouetur materia, quibusdam certis periodis, & in quartana febre mouetur materia in quarta die, in tertiana tertia die, in quotidiana singulis diebus.* Tertio *debemus cõsiderare uerba* Auicennæ, *cùm enim dixit, quòd in die motus ægritudinis non debemus euacuare, modo contingit plerunque quòd in diebus motus ægritudinis nihil mouetur, imò sunt quieti illi dies, neque mouetur materia, quia illam concoquet natura uel expellet, uel mouet ratione malitiæ.*His *ita uisis, habemus regulam, quomodo debeat obseruari, quando mouetur materia, sicut in die critico siue non critico, mouetur autem materia non quia natura illam concoquat, sed quia est furiosa.* In *hoc casu, & si sit motus ægritudinis, tamen debet euacuari, nam ubi materia est furiosa, debet euacuari, ex* Hippoc.*primo* Aph.*&* Auic.*Ideo quando materia est furiosa in motu ægritudinis debemus euacuare uel mißione sanguinis uel pharmaco, secundũ quod materia exigit, sed quando est motus ægritudinis,*

nis, quoniam scilicet natura concoquit materiam, tūc talis est dies quietis, & non debemus euacuare & ideo dicit, In principijs si quid uidetur mouēdum moue, in statu autem, hoc est, in die motus ægritudinis, in tempore pugnæ, melius est quiescere. Et ideo de *hoc tantum motu intellexit* Auicennā, *siue sit motus uniuersalis siue particularis.* De *motu uniuersali intellexistis, de particulari etiam, quando natura mouet, est quiescendum.* Et *ideo dicit,* In *accesśionibus quiescere oportet.* Et *ratio est manifesta, quoniam quando natura occupatur circa materiam, non oportet illam distrahere: quia quando damus medicamentum, nonne damus ut natura adiuuetur? Si igitur natura facit illi debemus permittere.* Et *ita habemus quando debemus euacuare, & quando non. sed debemus considerare illud quod dicit,* In *die motus, nam est ꝑpendenda ista dies, quia posset eē error: siquidē isti* Medici *in* 4. *uel* 7. *uel xi. non audent mouere, propterea quòd sunt dies motus ægritudinis; sed non intelligunt* Auicennam, *quia intelligimus dies ægritudinis, quando. s. actu est motus. uerbi gratia patiatur aliquis febrem tertianam, si uolumus mittere sanguinem, expectabimus diem in quo non sit paroxysmus.* Sed *si in die paroxysmi esset quies, deberemusne euacuare?* Minimè, *quoniam quando est dies paroxysmi, & non mouetur materia ad faciendum paroxysmum, uel non est materia.* Quare *non debemus euacuare, uel quia natura est debilis, & tunc non debemus euacuare, uel quia natura iam præualet & cō*

co-

coquit totam, & non uult expellere ante concoctionem, ideo non est euacuandum. Et ideo dicit Auicenna, *quòd in die motus ægritudinis particularis non debemus euacuare, sed in die motus ægritudinis uniuersalis, in die critico, quando est quies. Hic est dubium.* Omnes *ferè uolunt quòd in die critico, etsi sit quies, quòd tamen non sit mittendus sanguis.* Hoc *tamen est falsum, iuxta illud* Auicennæ, *quando dicit,* Quando *natura mouet, nihil moue: sed quando non mouet, moue tu quando est hora motus eius. Sed quando est hora motus naturæ?* Est *dies criticus.* Igitur *in die critico est mouendum.* Sed *oportet quòd medicus sit prudens: nam uidemus quòd natura fecit aliquem motum, & quarta est indicatiua septimi, ideo in septima non debemus euacuare.* Et *si in septima aliqua appareat motio, in xi. non debemus mouere. sed si accedunt isti dies critici, & nihil indicetur, debemus euacuare in die illo, in quo natura debet mouere, & non mouet.* Et *ideo quando natura uel mouet, uel indicat se uelle mouere, non est facienda euacuatio in die critico, sed quando non mouet, neque indicat, tunc in die critico est mouendum, quia talis est hora motus naturæ.* Ad *rationem, quando ibi dicis est dies in quo est somnus eliciendus, hic est dubitandũ quomodo sit prouocandus, somnus imò præcipiunt omnes, quòd debet homo probiberi a somno, quia somnus impedit euacuationem.* Hic *debemus scire, ꝙ hic non intellexit somnum esse prouocandum, quãdo est actu ille somnus, sed antequam actu adueniat ille*

*le motus:quoniam in somno uirtus concentratur & fit fortior, & materia magis paratur. & ideo est prouocandus somnus,non in principio paroxysmi, sed per duas horas ante paroxysmum,& in fine etiã, & quies est prouocanda. iuxta illud, Circa statum melius est quiescere silentium habere. s. in omnibus quiescere a motu & cibo. (& est dies ebullitionis, uel est ebullitio materiæ, uel ebullitio naturæ cum materia.)*Et *hoc iam est declaratum.*

E T *cum ægritudo est habens crisim in cuius tempore est longitudo,nullo modo sanguis multus est minuendus.* A*ffert aliud documentum quod est consequens præcedenti.* A*udiuistis quemadmodum in die motus ægritudinis non debemus mittere sanguinem, ideo dat aliud documentum in simili materia,& dicit,*Q*uòd dum uolumus mittere sanguinem,debemus uidere an sit tarda futura crisis:& si sit futura tarda crisis,tunc debemus mittere sanguinem,sed non in eadem quantitate,si esset cito futura.*R*atio est,quia uirtus præualet omnibus.* Q*uando igitur uidemus tardam futuram crisim, oportet seruare uirtutem.* E*t cùm sit futurum longum iter,ideo non est deterenda uirtus,*I*deo etsi indicatio sit mittendi sanguinem,etsit tardè futura crisis, mittimus sanguinem, sed in minori quantitate quàm indicetur,(& seruat sanguinem tanquàm* T*hesaurum.)* I*mò inquit* A*uicenna,si est poßibile dimittere sanguinem,q; est melius quiescere:nihilominus si est mittendus,parcè est mittendus,& est seruandus sanguis pro* T*hesauro.*

Q*uòd*

Quòd si multum temporis &c. Adfert aliud documentum & exemplum in mittendo sanguinem commodum. Proponitur igitur nobis talis casus. Sit aliquis consuetus sibi frequenter mittere sanguinem, & contingat quòd non miserit sanguinem iam diu. Reducatur ad tempus hyemis, & sentiat se esse confractum, labascere membra ac si essent confracta, quæro an in hoc homine sit mittendus sanguis? In quo casu oportet considerare multa. Proponitur homo qui est consuetus sibi secundum rationem mittere sanguinem, igitur necessariũ q̃ mitteret sanguinem uel ratione phlebotomiæ euacuatiuæ uel diuersiuæ. Vel igitur præseruabat se ab affluxu aliquo consueto, sicuti contingit in podagra & pleuritide, sicut enim audiuistis in nostro discursu, talis impetus humoris fluentis indicat diuersiuam phlebotomiam. Vel igitur iste homo uolebat auertere sanguinem, uel euacuare, ubi scilicet respiciebat multitudinem. Mittebat autem sanguinem propter euacuationem. & hoc colligimus ex casu, quia non dicit q̃ percepit defluxum humoris ad aliquam partem, sed dicit q̃ percipit se esse confractum, & talis est laßitudo quædã. cum igitur omnis laßitudo, quæ est à causa intrinseca, sicut dicit Gal. 4. de tuen. san. quando. s. est plenitudo quo ad uasa, uel quo ad uirtutem. Laßitudo igitur prouenit ab altera duarum causarum, loquimur autem nunc de laßitudine spontanea, non autem de laßitudine quæ prouenit a causa extrinseca. Laßitudo igitur spontanea prouenit uel propter humores uitiatos

tos multiplicatos in toto ambitu corporis: ista replētio facit lassitudinem, quam Gal. ulcerosam appellauit. nam ubi materia illa a uenis tendit ad musculos pungit sua acrimonia & stimulat illa membra sensibilia, ut illa uideantur exulcerari, & ideo dicitur lassitudo ulcerosa. Et isti percipiunt quasdam puncturas, quendam pruritum, quem scalpendo non possunt remouere. Quæ modo plenitudo nisi tollatur, sequitur ægritudo. Est alia lassitudo simplex, quæ respicit plenitudinem quo ad uasa, ubi homines percipiūt tensionem, & uidentur illis omnia membra extendi, ista appellatur lassitudo extensiua uel tensiua. Quādoq; uerò complicatur utraq; plenitudo: sæpe enim contingit, quòd maxima copia sanguinis multiplicetur, & cum hoc aliquis humor uitiatus, & tunc ubi ista fuerint, sequitur lassitudo composita ex causa cōposita, & dicitur lassitudo phlegmonodes, Apostemosam Latini isti appellant, & homines pcipiūt in hac lassitudine utrumq; affectum. & licet uideatur quòd membro pungantur, uidetur etiam quòd membra frangantur, percipiunt onus maximum, mēbra franguntur, habent hanc lassitudinem. Quare in casu proposito homo habebat utranque plenitudinē sit igitur ille homo in tempore hyemis, qui dimissa missione sanguinis inciderit in hanc lassitudinem apostemosam, ex quo est utraque plenitudo, indiget euacuatione per sanguinem & per pharmacum, sumus in hyeme. Quantum attinet ad plenitudinem quo ad uasa, deberemus mittere sanguinem etiam usque

que ad animi defectum, quia periculum est ne iste homo incidat in febrem, ut dicit Gal. *in* 4. *de tuend. san.* Et *nisi prorumpat sanguis uel per nares uel per hæmorrhoidas, incidit in febrem.* Q*uare debemus mittere sanguinem in magna copia.* Tamen Auicenna *non uult esse mittendum in magna copia, ut seruetur sanguis tanquàm* Thesaurus. Debetis *scire, quòd* Auicenna *respexit ad hyemem, & per hyemem oppositum intellexit, scilicet æstatem, in quibus temporib. non licet sanguinem mittere in magna copia.* De *tẽporibus intermedijs nil dicit clarum est quòd licet mittere sanguinem in magna copia.* In *hoc ergo casu in hyeme non licet mittere sanguinem in magna copia, quia multiplicabuntur excrementa plurima, & corpus stante hyeme refrigerabitur, quia frigus penetrabit intra corpus ad membra nobilia.* Corpus *enim per sanguinis missionem rarefit, & ideo facile frigus intra corpus penetrat, & inde ægritudines lõgæ causantur.*

AMPLIVS *phlebotomia propterea quòd ad diuersum trahit, naturam secundum plurimum retinet.* E*st documentum tale, quòd missio sanguinis ut plurimum astringat aluum.* Dicit *ut plurimum, non semper.* Q*uæ autem fiunt utplurimum, ut dicit* Arist. 2. Physic. *fiunt a causa determinata.* Q*uæ autẽ raró accidunt, fiunt per accidens a casu.* Q*uare missio sanguinis per se astringit aluum, laxat per accidens.* Primo *enim phlebotomia trahit semper, & ubi ducimus sanguinem, ne detur uacuum, fit attractio*

a toto corpore, per successionem partium. Quando igitur sanguis mittitur, exinanitur uena, & illa trahit ab altera successiuè, donec trahat a uentriculo, sicuti contingit in fame, quòd una uena trahit ab altera, donec uena trahat ab hepate, hepar a mesaraicis, mesaraicæ à uentriculo. Quare astringitur aluus, sequitur hoc, quia ubi mittimus sanguinem, & fiunt illi motus, & mesaraicæ trahunt a uentriculo, trahunt humorem, unde fæces indurantur, & ideo non exeunt facile. Quòd si etiam mittatis sanguinem, trahitur bilis a poro felleo, astringitur aluus, quia retrahitur bilis stimulans ab intestinis. Etiam si sit diarrhæa, ubi mittimus sanguinem, sistimus diarrhœam, quia trahimus ad partem oppositam. Quare phlebotomia sistit fluxum alui uel naturalem uel præter naturam. Contingit autem per accidens quòd laxet, ut si aliquis pertimescat, præ nimio timore egerit, præterea quando mittimus sanguinem usque ad syncopē, ita refrigeratur corpus ut postea omnia relaxentur & fluat aluus, & hoc est quod dicit Gal. 31. Apho. primæ part. quòd ubi mittitur sanguis, fluit alúus, & sequitur sudor. Hoc autem raro contingit.

SYNCOPE præterea &c. Meminisse debetis, omnia documenta quæ traduntur ab Auicenna in hoc cap. omnia reduci sub ea Methodo quam docuimus in principio & in illa exercet nos his documentis Auicenna. Dat igitur unum documentum, & dicit quòd sæpe contingit syncope, ubi aliquis non fuerit assuetus ut illi mittatur sanguis, & docet quomō

in talibus syncope est prohibenda, & quando accidit quomodo sit curanda. Vt igitur *intelligatis hoc sciendum quòd syncope multipliciter sumitur.* Quãdoque *enim dicitur syncope & eo deliquio animi, quando quis repente amittit sensum & motum.* Hoc *maxime apparet in mulierib. utero gerentibus, quæ perfectè deueniunt ad deliquium animi. Sumitur deliquium animi ampliori significato, pro eo quod appellant* Angustiam, *quando est aliquis defectus spirituum, ut non poßit homo mouere & sentire, sicut deberet quia omnia frigeant.* Auicenna *autem non intelligit de syncope illa uera, quando priuatur homo sensu & motu, & respiratione, quæ sensui appareat, sed intelligit de syncope secundo modo dicta, similiter quando dicit* Gal. *quòd est quandoque mittendus sanguis usque ad syncopem, intelligit usque ad pallorem, ad angustiam quandam & anxietatem.* Deinde *debemus scire quòd syncope contingat in misßione sanguinis, qui exercent artem sciunt, & uidi multos incidere in syncopem antequàm etiam incipiat aperiri uena. Causa proxima huius est timor & perturbatio humorum, repentinaq; agitatio.* Quando *enim aliquis non sit assuetus, & repente humores agitantur, sequitur illa anxietas.* Si *autem esset assuetus, hoc non contingeret, quia ab assuetis non fit paßio.* Quòd *autem ex perturbatione & timore fiat syncope, apparet in istis qui sunt in mari, qui propter timorem & perturbationem humorum propter maximum motum nauis incidunt in syncopẽ, ad quã sequi-*

sequitur uomitus & exitus etiam per secessum. Vnde nam prouenit quòd ex timore & humorum agitatione cõtingat syncope? Debetis scire quòd proueniat primo quoniam timor est affectus cordis, ideo in timore spiritus & calor naturalis retrahũtur ad cor, tunc necessario ex ea cõtractione repentina spirituũ refrigescit totum corpus, unde fit in mòtu & sensu maxima læsio. Quandoque autem contingit, quòd ubi hòmines timent & perturbentur omnes humores, ubi calor naturalis & spiritus retrahuntur ad cor, reliquæ facultates in reliquis partibus corporis amittant suas uires, & hinc sequitur postea amißio sensus & motus, & inde postea quæ sunt grauia descendunt per secessum, quæ autem leuiora, ascendunt ad os uentriculi, & afficiunt illud. Vbi autem os uentriculi mordicatur a bile, cum habeat os uentriculi maximum consensum cum corde, ideo sequitur syncope, sicuti etiam cõtingit in canina fame. Cùm igitur syncope fiat uel quando spiritus retrahitur ad cor, uel quia materia biliosa commota & agitata regurgitat ad os uentriculi, & causat syncopem, Auicenna intelligit de syncope quando humor biliosus ad os uentriculi ascendit. ideo dat etiam remedium, quod est prouocare uomitum, quia bile uacuata non est amplius periculum de syncope, quia remota causa proxima syncopis, remouetur etiam effectus. Auicenna autem in prima quarti, ubi curat syncopem ex humore bilioso, curat alio modo, cũ modico uini granatorum, & modico panis, uel cum modico aquæ fri-

gidæ uel succo citoniorum.ut extinguatur illa acrimonia bilis & refringatur.Sic habetis quantum attinet ad hoc documentum,quomodo intelligat de syncope non uera quomodo remoueatur & prohibeatur.

ET scire debemus quòd minutio est perturbans, donec quiescat. Aliud documentum est,& dicit q̃ ubi occurrit nobis aliquis laborans dolore colico,cauere debemus mißionem sanguinis, nam sunt oppositæ indicationes:nam phlebotomia respicit multitudinem uel impetum humoris,colica autem uel fit a materia frigida & crassa,uel a frigiditate & causa extrinseca.Phlebotomia uerò refrigerat. præterea humor est frigidus & crassus, quare per sanguinis mißionem non euacuetur,præterea ille humor indiget concoctione,& si mittimus sanguinem,magis incrudatur.Dicit autem utplurimum,quia quandoque fit colica propter inflammationem in colo intestino propter sanguinem uel bilem fluentem ad illam partem,& in hoc casu si non mittatur sanguis,æger moreretur.Ideo dicit,ut plurimum.

PRAEGNANS præterea & menstruata non minuantur,nisi propter magnam neceßitatem. Modo dat aliud documentum, est mulier menstrua & prægnans.Hic sunt duo diuersa, unde hic admiscuit; quæ alioqui erant separanda. Hoc autem fecit studens breuitati,nos autem separabimus.Dicimus igitur,ubi mulier habet menstrua,non debemus mittere sanguinem,supponimus autem menstrua esse naturalia:quia ubi menses essent superflui,mitteremus sangui-

guinem a basilica, pro diuersione. Sed ubi menses sũt naturales, non debemus mittere sanguinem, quoniam si sunt naturales, sunt in debita quantitate, quare nõ conuenit phlebotomia euacuatiua, secundo phlebotomia diuersiua longe minus, quoniam hæc respicit impetum humoris fluentis, at huiusmodi impetus est naturalis. Tu occurres cum aliquo præter naturam, & tolles motum & impetum naturalem, quod non est faciendum. Euentatiua longè minus, quia non euentat seipsam cum euentatione sanguinis, nisi in tempore magnæ necessitatis, inquit Auicenna. Ista magna necessitas fundatur in illa regula Hip. 1. Aph. Cõcocta medicari &c. Debemus semper uidere in qualibet operatione, nunquid debeat sequi maius nocumẽtum uel iuuamentum. Est aliqua mulier quæ habet menses, sed habet aliquam ægritudinem, quæ indicat aliquam missionem sanguinis. Sit uerbi gratia mulier habens menses naturales, quæ incurrat instrumẽtũ sanguinis, uel pleuritidem, uel febrem acutam, & sit periculum ne incidat in febrem pestiferam. Hic habemus menses, qui indicant non esse mittendũ sanguinem. Ex alia parte habemus impetum humoris, & uidemus q illi menses non ita euacuantur, ut prohibeatur pleuresis & putredo humorum. Hic quid agendum? scio ex una parte, q ubi sunt menses naturales, non est mittendus sanguis, ex alia parte uideo, q si nõ sedauero fluxum sanguinis per sputum, quòd fiet ulcus in pulmone. Video etiam, nisi sedo impetũ humoris ad pectus, quòd suffocabitur. Idem de febre

*acuta.*Oportet igitur non curare damnum quod fiet ex auersione menstruorum, & eligere maius iuuamentum, quia postea poterimus prouidere huic nocumento. Et ideo dicit Auicenna, quòd ubi mulier habet menstrua, non est mittendus sanguis, nisi sit maxima necessitas, & tunc a saphena est mittendus, non a basilica. Et hoc totum iam est declaratum. Modo de muliere prægnante.

Vbi est indicatio mittendi sanguinem. Ponebat Auicenna duos casus, Quando prohibetur mißio sanguinis. Primus est quando mulier habet sua menstrua, & hoc considerauimus ubi menses erant naturales. Si uerò menses fluerent & essent præter naturam, & contingant ægritudines, nunquid eodem modo sit secanda uena? Dico quòd oportet uidere an fluxus sit diminutus uel superfluus. Si est diminutus, & talis etiam absque alia ægritudine, debemus mittere sanguinem a saphena. Si uerò habuerimus redūdantiam, debemus auertere, & mittere sanguinem a basilica, & in his non difficultas. Si uerò mulier fuerit prægnans, quid agendum? In prægnante habemus suspectam mißionem sanguinis & quamlibet uacuationem, duplici ratione. Prima, ratione alimenti. Secunda ratione fœtus, ne euellatur. Ratione alimenti. alimentum duplex est. Primo ratione mulieris, secundo ratione fœtus. uterque enim indiget alimento, quo substracto, uirtutes fiunt debiles, & sequitur interitus. ubi enim educimus sanguinem, debilitamus uires. Et hoc idem accidit in febribus putri-

tridis. Quanto magis igitur est timenda mißio sanguinis in prægnante? Secundo ex quarto Aphoris. primo, non est facienda mißio sanguinis in prægnãte ne decerpatur. Ibi dicit Gal. quòd fœtus assimilatur fructui plantæ nondum acerbo, & ideo paratũ esse ad defluxum. Quando etiam est prope maturitatem, facile decidit. In tempore autem intermedio non est facile deciduum. Idem accidit in fœtu ante quartum, etiam post septimum, quia accedit prope maturitatem, sed a quarto mense usque ad septimum est illud tempus intermedium, quod aßimilatur fructui acerbo, in quo tempore non facile decerpi potest. Sunt igitur illæ duæ rationes quæ faciunt quòd medici procedant cautè in mißione sanguinis. Debemus autem scire quòd ubi timemus ne fœtus decèrpatur, quòd magis nocet purgatio per pharmacum quàm mißio sanguinis, tamen ratione pharmaci quod calidum est & siccum, & etiam acre, ideo irritat, tum etiam dum soluit per intestinum rectum proximum utero, agitat uterum, & ex illo enixu fit maxima iniuria ipsi fœtui. Ideo Galen. in eo Aphorismo dicit, Aduertendum dixisse Hipp. esse timendam purgationem, & esse periculosam, ideo dicit purgationem, nõ euacuationem. Et ideo quando attendemus ne fœtus euellatur, debemus magis cauere a medicamento per pharmacum. Ideo dicit quòd debemus cauere ab euacuatione per pharmacum, & post septimum, etiamsi materia sit furiosa, propter periculum scilicet euulsionis, & non propter defectum alimenti. Quantum

uerò ad alimentum attinet, huiusmodi purgatio per pharmacum magis prodest quam nocet: neque.n.fœtus nutritur ab illis humorib.malis, imò corpa malorũ humorũ quanto magis nutries, tãto magis lædes. Oportet igitur quòd Medicus prudens utrunq; consideret. *Modo quando timetis ne deficiat alimentum tunc sanguinis mißio est periculosa, quia cum trahitur sanguis, trahitur alimentum, ut tunc postea cogamini in statu ægritudinis euacuare prægnantem, ut suffocetur.* Ob id dicit Hippo. Mulieri *utero gerenti si mittatur sanguis, sequitur abortus, præcipue si fuerit maior.* Dicit *si fœtus fuerit maior nam si fœtus esset paruus, & non indigeat multo alimento, longe maius mittimus sanguinem ante quartũ, quia ille fœtus paruus non indiget multo alimẽto, sed quãdo fœtus est magnus, tunc est periculum in mißione sanguinis, quia multo indiget alimento.* Et *sic omnia distincta sunt, sequuntur ex his corollaria, nam sæpe contingit q̃ mittatur sanguis à muliere prægnante, & sequatur non damnum, sed iuuamentum, ubi.s. fuerit mulier sanguinea maxime.* Et uidi mulieres *quasdam, a quibus si singulis mensibus non fuisset missus sanguis, q̃ male habuissent, & ubi extractus fuit sanguis, abortum non fecerunt.* Et non est, *quoniam si mißio sanguinis non fit ne alimentum deperdatur, si igitur adest malus sanguis & superfluus, si euacuetur, propter hoc non tollitur alimentum, sed remanet.* Dicit *deinde Auicenna, q̃ quamuis appareant signa repletionis quo ad uasa, q̃ non statim debe-*

debemus mittere sanguinem nisi prius alia conside- remus. Oportet enim uidere nunquid in sanguine sint etiam alij humores. Et cùm sunt alij humores, debemus uidere an sint crudi, sicut pituita: uel adu- sti, sicut bilis uel melancholia. Si sit sola repletio quo ad uasa, accedemus tutò ad mißionem sanguinis. Si autem cum repletione quo ad uasa est cacochymia, debemus uidere quisnam sit humor. Supponamus ꝙ sit humor crudus, & sit citra uenas mesaraicas, ca- ueas (inquit Auicen.) a mißione sanguinis, nam illud est crudum, trahitur propter uacuum ad interiores uenas, & fit obstructio maior, & augetur febris. In hoc igitur casu debemus cauere a mißione sangui- nis, nisi prius concoxerimus hos humores & euacua uerimus. Si uerò isti humores crudi fuerint ultra cō uexum hepatis, in hoc casu statim non est mittendus sanguis, damus ea quæ concoquant, sed quæ non di- stribuantur per uenas. Quare Gale. in 4. de tuen. sa- ni. dicit ꝙ ubi humores crudi sunt in uenis mesarai- cis, debemus cauere a diospolitico et diacalamentho, etiam a balneo, quoniam per uenas distribuerentur. Quare somnus solum sufficit & diatrion pipereon, quia concoquit humores & non distribuit, dissolui- tur enim piper, & ideo non distribuit humores ad ulteriores uenas. Sed si modo humores sint ultra ue- nas mesaraicas, debemus uti diospolitico, diacalamen tho & similibus et accedere etiam ad balnea. Quod si humores fuerint non crudi, sed biliosi uel melan- cholici, dicit Auicen. si fuerit tensio uenarum signū

est q, dominatur sanguis, & tunc est incipiendum a missione sanguinis. Si uerò non fuerit tensio, mittendus sanguis non est, ne bilis effrænetur. Quare primo bilis est euacuanda. Et ideo dicit Rasis, & cùm phlebotomare uolueris, prius mundifica sanguinem a cholera, quod tamen satis indefinitè pronunciauit. Sed iste fuit mos Arabum.

Vidimus in calce præcedentis, ubi essent duæ repletiones quo ad uasa & quo ad uirtutem, ubi indicaretur de missione sanguinis & de uacuatione per pharmacum, ubi ista cõueniunt, sunt indicationes cõpositæ. Dedimus etiam modum quo in his incedere debemus. Dicimus adhuc, q, ubi sunt istæ duæ repletiones, uel cum sanguine est humor crudus uel adustus. Si crudus, uel in primis uenis, ut in uentriculo et in intestinis, prius debemus concoquere illos humores & expellere, deinde sanguinem mittere. Si uerò humores crudi fuerint in toto ambitu uenarum, debent concoqui illi humores, alio uerò modo sunt concoquendi quàm humores in primis uenis existentes, ut docuimus, & docet Auicen. Docet enim præsertim concoctionem quæ est quando humor est in toto ambitu uenarũ, quæ omnia docet Gal. 4. de sanit. tuen. Sed si cum sanguine fuerit bilis uel humor melãcholicus, dicit Auicen. q, debemus uidere an appareat tẽsio, quia tunc sanguis superat, & tunc a missione sanguinis esse incipiendum. Parcè tamen mittendus est. quia ut dicit Gale. 9. Meth. ubi uolumus mittere sanguinem, debemus uidere an etiam sit aliud faciẽdũ.

Et

Et tunc debemus animaduertere ut seruetur uirtus. Et ideo parca mißio sanguinis esse debet, ut uirtus sit fortis. Cùm igitur sit multitudo sanguinis, mittamus sanguinem, tamen parcius, quia postea erit homo purgandus per sanguinem. Et idem dicemus ubi uel bilis uel melancholia sit in corpore. Sed si isti humores superabundant sanguine debemus parcius hos humores euacuare, deinde sanguinem mittere: quia si prius euacuamus sanguinem, isti humores peccãt, & tunc bilis effrænabitur, & melancholia frigidior & magis rebellis reddetur. Et ideo prius illi humores sunt euacuandi, deinde sanguis est mittendus. Modo in hoc eodem paragrapho interponit Auicẽ. unũ, & dicit, Quid si fuerit paucus sanguis cum humore uitiato? Prius erat magna copia sanguinis & humoris. Sed si paucus sit sanguis, et humores sunt multi uitiati, dicit Auicen. Vel sanguis erit bonus, uel malus. Si bonus, ne mittas sanguinem: si paucus & malus, inquit Auicenna, ex quo est paucus, oportet q̃ parum euacuetur: ex quo est malus, debet euacuari. Ideo dicit Auicen. in hoc casu parũ admodum sanguinis educimus, ut unam unciam uel duas deinde nutries ægrum cum aliquo cibo optimi alimenti: deinde redibis ad euacuationem, iterando mißionem sanguinis mali. & hoc est præceptum Gal. 9. Metho. & appellat hunc modum procedendi ἐπίκρασιν. Et ita consequenter declaratus est totus ille paragraphus, qui erat adeo difficilis.

CVM *autem phlebotomia necessaria fuerit cũ*

debi-

debilitate uirtutis,causa febris, aut aliorum humorum,partire phlebotomiam,ut diximus. Est unũ *ualde difficile documentum,quando aderit febris putrida,uel erunt alij humores simul cum sanguine,et sit uirtus debilis,oportet parcere mißioni sanguinis. est idem quod paulo ante diximus. Quia si est uirtus debilis est paucus sanguis, & econtra eadem est ratio.*Ideo *in hoc non est euacuandum.*

AMPLIVS *phlebotomia stricta magis est conseruatiũa uirtutis.* Hic *isti nostri moderni mouẽt quæstiones,& nesciunt quid docent. Sciendum est q; quando aliquis incidit uenam uel facit magnum foramen uel paruum.*Si *facit paruum, nõ exit sanguis crassus,sed subtilis.*Scimus *enim q; sanguis habet partes crassas & subtiles,ut oculis constat, quando extrahitur.*Vbi *igitur fit paruum foramen, exit sanguis subtilis,non crassus.*Præterea *est compertum,q; ex paruo foramine non exit tanta copia sanguinis,sicut si esset magnum foramen.*Ergo *uidemus quæ sit differentia inter magnum foramen & paruum.* Cũ *igitur ita sit,dicit* Auicen.*si erit foramen paruum, exibit sanguis subtilis, & retinebitur crassus: nam ista phlebotomia magis conseruat uirtutem, tũ quia exit solum sanguis subtilis & aquosus,tum quia non exit ita repente sanguis, non ita repente exhauritur calor & spiritus,sed habet istud incommodum modo q; non euacuatur pars crassa,quæ fortasse indigeret euacuatione. Quarę habet commodum & incommodum.Similiter quando fit foramen magnũ*

habe-

habemus commodũ,quia euacuatur pars crassa quæ debet euacuari. Habet *autem incommodum,quia uirtus fit debilis.* His *ita præcognitis, medicus sciet præeligere quando debet fieri foramen strictum, quando.s.sanguis erit subtilis,& uirtus fuerit debilis.nam tunc uirtus non debilitabitur, & euacuabitur sanguis qui debet euacuari.* Quando *autem fuerit sanguis crassus,& uirtus fortis, fiet magnum foramẽ,sed si medio modo res se habebit, medio etiam modo procedendum erit.* Auicen. *autem unum tantũ dicit,q quando homo debet præseruari, debet fieri foramen magnum.* Nam *quando aliquis nondum incidit in ægritudinem,talis habet uirtutem ualidam, ideo debet fieri foramen amplum, quia constans est uirtus,& præterea indigens festina euacuatione,ne incidat homo in ægritudinem.* Hoc *igitur est illud quod uult* Auicen.*in hac parte* 3. Modo *docet* Auicen.*de hoc foramine circa tempus, & dicit q in hyeme debemus facere foramen amplum, quia frigiditas aeris prohibet exitum spirituum.* Præterea *si fieret paruum foramen,congelaretur sanguis.* In *æstate autem est oppositum,quia sanguis est subtilis,deinde calor adiuuat ad dilatationem,præterea calor expanditur & exhauritur repente,ideo in æstate est faciendum paruum foramen.* In *temporibus intermediis medio modo procedendum.*

PHLEBOTOMANDVS *præterea supinus iaceat,quando phlebotomatur.* Audiuistis *quemadmodum in mißione sanguinis potißimum quod attendi-*

tendimus est uirtus. Ideo *optimè* Auicen. *præcipit, quando mittimus sanguinem, eligere situm hominis debemus ut quiescat æger, & prorsus nullum membrum exerceat.* Non *est autem maior quies quam si homo iaceat supinus.* Cuius *signum est* ꝙ *homines defeßi etiam prope mortem existentes natura ducti statim supini iacent.* Ratio *est, nam cùm omnes nerui motiui oriantur a uertebris spina, ideo ille situs est naturalis.* Vnde *ubi homines iacent in spina & in dorso, nerui quiescunt, & non suspenduntur, & non est aliquis conatus naturæ.* Vnde et *corpora mortuorum tali situ iacent.* Et *ideo phlebotomandus in tali situ locari debet.*

IN *febribus autem à minutione cauendum est.s. in his quæ uehementis sunt calefactionis & inflammationis.* Istud *est aliud documentum declarandum.* Dicit Auicen.ꝙ *in febribus in quibus est uehemens inflammatio, non est mittendus sanguis aliquo pacto, ubi autem non est uehemens inflammatio, non est mittendus sanguis neque in principio, neque in paroxysmo.* Quantum *ad primum, quando dicit* ꝙ *in febribus ubi est uehemens inflammatio, non est mittendus sanguis, hoc idem uoluit* Gale. & Hippo. *quia ubi est febris cum inflammatione uehementi, ibi est causus ardens, qui prouenit a bile in uenis putrescente, quando.s. est uera febris ardens talis febris est cõtinua, et ardẽtißima omniũ febriũ, quoniã materia q̃ putrescit est calidißima et siccißima.* Cũ *igitur talis sit bilis erodẽs et feruescit, fiet lõge calidior*

dior seipsa, & fit ferè ignea. Est igitur febris arden tißima, ideo eam appellauimus febrem ardentem. De *hac febre intelligit* Auicenna, *& prima quarti in cura causonidis dicit quòd non debemus mittere sanguinem, nisi apparuerit rubedo & craßitudo urinæ. sed illa potius est synocha.* Etiam Hippo. *in* 4. *de rat. uict. docet curationem huius febris, & dicit ueram curam esse per extinctionem ardoris, dando maximam copiam aquæ uel ptisanæ, neque aliquo pacto proponit mißionem sanguinis.* Et *ratio dictat, nam sicut audiuistis, mißio sanguinis respicit plenitudinē quoad uasa. loquor enim de* Phlebotomia *euacuatiua. Sed hic ubi dominatur bilis indicatur de purgatione, non autem de mißione sanguinis.* Præterea *est alia ratio, est indicatio quæ sumitur a uirtute, nam in tali febre maximè cōcidit uirtus, quia spiritus humidus uaporosus facile exoluitur in tali febre, unde omnia membra concidunt, quoniam absumitur spiritus.* V*ultis uidere hoc?* In *anatome hoc uidi, facies cadaueris contabescit. nos ponebamus follem in ore, & intumescebat facies ex illo spiritu.* At *oppositum est, quando corpus spiritu priuatur, statim concidit.* Et *ideo in tali febre prima die fit facies tornatilis ideo* Hippoc. *non dat aliquod pharmacum, neq; mittit sanguinem, sed solum extinguit, & dicit quòd nō curatur talis febris, nisi fiat absceßus uel fluxus sanguinis narium erumpat, uel fiat aliqua crisis, uel p sudorem exeat, uel per seceßum.* Nunquam *aliter curatur, quoniam medicus illam curare nō potest, quia*

illam materiam non potest euacuare, bene medicus extinguit, unde natura postea insurgit ad expulsionem. Et *ideo boni* Medici *transacta quarta dant maximam quantitatem aquæ, & homines curantur.* Be*ne igitur dicit* Auicen. *q. in febribus uehementis inflammationis, hoc est in febribus ardentibus non est mittendus sanguis.* I*sti autem moderni miscent febres synochas, & male, imo in synochis est calor mitis, & in istis conuenit mißio sanguinis.* Q*uantum autem ad aliam partem, ubi dicit, in febribus uerò non acutis non mittas sanguinem in principio, neque in die paroxysmi, clarum est, & superius audiuistis rationem.* Q*uod uerò in principio, audiatis rationē: quia est febris non acuta ergo chronica.* I*deo dominatur humor craßus, sicuti in febribus quotidianis & melancholicis.* Et *si mitteretur sanguis, ille humor crassus & crudus fiet magis rebellis.* Q*uare oportet prius concoquere humorem & euacuare, & postea si uidebitur q. sit aliquis sanguis dominans et uitiatus, debet secari uena.* V*nde isti male uniuersaliter dicunt, in sola mißione sanguinis non esse expectandam concoctionem, & ideo mittunt sanguinem, & homines interficiunt.* Oport*et igitur circa hæc maximè considerare.*

IN *febribus præterea in quibus aduenit spasmus est a minutione cauendum.* Q*ui uolunt rectè curare, non solum oportet attendere ad morbum, ad uirtutem, sed etiam ad accidentia, sunt enim quædam quæ febrem comitantur & lædunt uirtutem.*

uerbi

uerbi gratia est aliquis febriens in quo dominatur sanguis, qui patitur maximas uigilias, uel inflammationem & maximum dolorem, uel spasmum. ubi aliquod istorum fuerit, non est mittendus sanguis, quia hic tu uides accidentia quæ resoluunt uirtutem. Si detrahis sanguinem, debilitas uirtutem. Accidentia *illa detrahunt uirtutem, morbus etiam.* Tu *requiris insuper dare tenuem cibum, quare æger morietur.* Et *ideo in hoc casu prius accidentia sedanda sunt.* Et *ideo superius dixit* Auicen. Et *cùm euacuare uolueris, seda prius dolorē.* Et *hic* Auicen. *ab exēplo spasmi cætera uult intelligantur.*

ET *similiter oportet ut ex minutione febricitantis, cuius febris non est ex putrefactione, minoratio fiat.* Notetis *etiam istum* Canonem, *qui uidetur paradoxum.* Dicit Auicen. *quando aliquis &c.*

Quoniam *in calce præcedentis lectionis dicebatur ab* Auicc. *q; in febribus in quibus contingit spasmus, etiamsi necessaria sit phlebotomia, tamen ab illa cauendum est.* Etiam *dictum est, q; ubi est inflammatio cum febre, nō est mittendus sanguis.* Quidam *dubitant ex 23. apho. primæ partic. ubi dicit Gal.* In *febribus ardentissimis, in maximis inflammationib. & in maximis doloribus est mittendus sanguis usq; ad syncopen.* Quare *in istis dictis uidetur esse discordia.* Dico *autem,* Videtur, *quoniam idem dicunt. Sciēdum igitur q;* Aui. *dicit q; licet sit necessaria phlebotomia, tamen non est mittendus sanguis.* Certū *est, q; in maximis febribus ubi est maximus calor, cōue-*

nit mißio ſanguinis copioſa, hæc enim maxime refri gerat, ut dicit Gale. 9. Meth. Cùm igitur ſit ardentiſ ſima febris, non eſt remedium magis efficax, quam misſio ſanguinis uſque ad ſyncopen, quoniam maxi mè refrigerat. Eadem ratio eſt in uehementisſimis doloribus & inflammationibus nam cùm eſt maxi- mus raptus materiæ ad locum, qui faciat dolorē uel inflammationem, non eſt præſtantius remedium quā phlebotomia diuerſiua uſque ad ſyncopen. Quid igi tur dicendum? Deberetis facere hanc misſionem ſan guinis. Sed quare non facimus? Quia eſſet maius no cumentum quam iuuamentum. Ob ìd dicit Gal. ꝙ nō ſolum debemus reſpicere morbum, ſed etiam uirtu- tem. Quantum attinet ad morbum, conuenit phlebo- tomia: quantum ad uirtutem, minime, ideo dicit Aui cen. Et ſi phlebotomia fuerit neceſſaria, quia crede- bat Auicen. ratione morbi phlebotomiam eſſe neceſ ſariam, ſed ratione uirtutis nō conuenit, quia ubi eſt febris illa ardentisſima, uirtus concidit. Præterea ꝑ phlebotomiam non tollitur putredo, & cùm uirtus ſit debilis, quomodo poſtea tolletur putredo, uel fiet alia euacuatio per pharmacum? Ideo bene dicit Aui cen. ꝙ etſi phlebotomia ſit neceſſaria, tamen non de- bemus mittere ſanguinem, quia uirtus concidit et re ſoluitur, non autem quoniam morbus non requirat. Vnde in ſecunda tertij, cap. 7. dicit ꝙ ſi fuerit ſpaſ- mus ſine febre, ꝙ debemus mittere ſanguinem, quia non timet caſum uirtutis, quia non adeſt febris, & ideo nec putredo. Quare uirtus tolerabit. In febrib.

etiam ardẽtißimis mittas sanguinem, ubi uirtus erit fortis. Ideo dicit Gale. q; in ardentißimis febribus et uehementißimis doloribus & inflammationibus est mittendus sanguis usque ad syncopen. Sed addit Gal. uiribus existentibus & hoc non negaret Auicẽ. imò in cura febris ardentis ubi apparet rubedo urinæ et großities, & uirtus fuerit fortis, dicit q; est mittendus sanguis. Tamen in febre ubi est facies tornatilis propter uirtutem non est mittendus sanguis etiamsi morbus requirat, quia magis potest uirtus, & illi præcipue debemus attendere. Modo dat Auicen. unũ documentũm, & dicit, Quandoque erit febris sine putredine, in qua indigemus mißione sanguinis, non debemus tamen mittere sanguinem, nisi parcè, ut seruetur sanguis pro thesauro. Tamen isti moderni dicunt ex Gal. 9. Meth. q; ubi est febris sine putredine, debet mitti sanguis in magna copia. Si autem erit cũ putredine, debet esse parua mißio sanguinis, ut tolli poßit putredo, si igitur fuerit febris sine putredine, uel erit hectica, & tunc non adest neceßitas mittendi sanguinem, uel est ephemera, & tunc uel est media, quæ dicitur synocha, & in hac mittimus sanguinem usque ad animi defectum. Quare non seruatur sanguis tanquam thesaurus, ut dicit Gal. 11. Meth. 4. Sed hoc idem dicit Auicen. Dicit Gale. in 9. Meth. 4. ubi dicit, q; ubi est cacochymia in corpore & humores acres præcipue, & aliquis occurrat aeri frigido uel aquæ aluminosæ, fit obstructio, ut ille homo incidat in febrem putridam, etiamsi mittatur sanguis,

ideo præcipit Gale.*q; debemus modicem mittere san guinem,deinde euacuare,& postea aperire meatus. Quare illa ephemera ex obstructione ubi est caco- chymia curatur primo parua mißione sanguinis, de inde euacuatione,tertio apertione meatuum, parce autem mittit sanguinem,ut seruet uirtutem, & suffi ciat ad alimentum,ac ad euacuationem, secundo ut sufficiat ad putredinem, quia ferè semper sequitur putredo,ideo hoc idem dicit* Auice.*Est secundus san guis tanquam thesaurus, in febre etiam ubi non est putredo,et ideo non est mittendus sanguis in magna copia,quia caderet uirtus. Quare nō possumus eua cuare,nec in uictu tenui ægrum seruare.* Itaque *di- ctum* Auicennæ *uerißimum est, obscurum tamē pro pter breuitatem.*

ET *si fortis inflammationis non fuerit & fuerit febris putrida,attende decem regulas, & postea in- tuere in urinali.* Hîc *erit febris,si erit magnæ in- flammationis,si erit febris ardens pura, caue a mis- sione sanguinis,quoniam cadit uirtus,& apparet fa cies tornatilis.*Si *uerò febris non fuerit magnæ inflā mationis,quid agendum?*Auicen.*non profert absolu te.nam potest esse q; sit febris non multæ inflamma- tionis,sit pestilens,uel propter humores crudos pu- trefactos in uenis,in quibus non conuenit mißio san guinis,& ideo dicit* Auicen.*Quando febris non fue rit cum magna inflammatione, attende decem illas regulas quæ tamen omnes ad uirtutem referuntur, ut superius declarauimus.quare omnes sunt conside*

randæ,

*randæ,sed præcipue uirtus:ubi postea uirtutem considerauerit,& fuerit fortis,tunc non debemus mittere sanguinem statim,si.s.fuerint humores crudi, sed prius sunt concoquendi,deinde euacuandi,ac tandem sanguis est mittendus.*Et ideo dicit Auicen. Oportet *urinam intueri,& si rubea appareat & crassa, & maximè constiterit uirtus,tunc audacter mittendus est sanguis,& tunc erit febris synocha, & non aderit magna inflammatio.*Sed *si ista febris, dicit* Auicen.*fuerit non multæ inflammationis, & fuerit facies tornatilis,& urina subtilis ignea, tunc caue a phlebotomia,quia tunc febris est pestilens.* Hîc *est urina tenuis.quare est magna inflammatio intus,etsi extra non appareat, quia quando massa sanguinis putrescit,spiritus resoluuntur, & ideo exterius ille ardor apparere non potest,& hinc facies tornatilis sequitur. Caueatis igitur in hac febre a sanguinis mißione.*Etiam *est urina subtilis,sed quandoque est subiugalis,ut urina iumentorum. Cùm in principio harũ febrium appareat urina ignea,postea fiunt urinæ craßiores sicut iumentorum. Quid si erit urina subtilis alba,& appareat facies subtumida & albida,& ideo sit magnæ inflammationis,in hoc casu nõ est mittendus sanguis,quia talis febris pendet a pituita.*Habemus *igitur,quando sit mittendus, & quãdo non. Vnde elicitur corollarium,ꝙ ubi occurrit nobis febris pestilens,ꝙ non debemus mittere sanguinem,etsi ratione febris pestilentis non sit maius remedium quam mißio sanguinis,quia corpus rarefit,*

extinguitur ardor ille internus, euacuatur sanguis putridus. Tamen si mittatur sanguis, omnes moriuntur, quia tollimus uirtutem, & ideo a sanguinis missione cauendum in febre pestifera, quia breuissimo tempore cadit uirtus.

AMPLIVS *sanguinis qui egreditur colorem attende, & si fuerit subtilis albedini attinens, ipsum illico retine.* *Istud est corollarium præcedentis documenti. in quo dicit, si uidemus sanguinem aquosum, spumosum, feruentem, & citrinum, cauendũ esse a missione sanguinis, quoniam in summa semper debes cauere ne deducas hominem ad calidam ebullitionem, uel ad cruditatem frigidorum. Quando igitur mittis sanguinem, si tendit ad albedinem, cauendum ne deducas ægrum ad frigidorum cruditatem. si uideris ipsum feruentem, spumosum & citrinum, caue ne mittas sanguinem, ne deducas hominem ad calidorũ ebullitionem.*

CVMQVE *in febre oportebit phlebotomare, non attendas quod quidam dicunt.* *Dat aliud documentum, nonnulli seruarunt tempora in mittendo sanguinem, & ubi excidit quarta dies, non mittebãt sanguinem. Gale. contra illos disputat et dicit, ubi est multitudo sanguinis euacuandi, & uirtus constet, dummodo stent ista duo, etiam die centesima potest mitti sanguis: sicut dicit Gale. 3. Meth. ubi loquitur de ulceribus antiquis non enim considerant tempus medici quatenus est tempus, sed considerant tempus quatenus ratione diuersorum tẽporum fiunt in morbis*

*bis uariæ mutationes.Ideo stante uirtute & stante multitudine humoris peccantis semper licet mittere sanguinem.*Bene *uerũ est,ꝗ in febribus acutis quia plerunque post quartam uirtus concidit, ideo sanguis non est mittendus nisi in principio in febribus acutis.*Et *ideo in 21.primæ partic.dicit* Hippoc. *in ægritudinibus acutis a principio si quid uidetur mouendum moue,quia ægritudines acutæ habent statum in septima,& ideo sanguis si debet mitti debet mitti ante quartam.& hoc apparet in febribus pestiferis,ubi sunt signa febris putridæ pestilentis, & mittimus sanguinem,moritur æger. Sed si sint signa futuræ febris,antequam incipiat malignitas febris, et mittatur sanguis,res poterit bene habere.*Et ideo *quartam transire non debemus.*Quocirca *bene dicebat* Auicenna,*non esse transeundam quartam, nisi fuerit cruditas humorum,tunc enim in principio nõ licet mittere sanguinem,& ideo in cura* Anaxionis *pleuritidem patientis non fuit secta uena ante quartam,quia illa ægritudo fuit chronica,non acuta.*Hoc *autem fuit,quia cum humoribus calidis frigidi erãt commixti.ideo* Hippo.*uoluit prius concoquere illũ humorem,antequam mitteret sanguinem, ne euacuato sanguine maior fieret cruditas humoris, & apostema magis periculosum.*Quapropter *distulit missionem sanguinis ad octauam.*

QVOD *si fuerit er.* Dicit Auicenna, Me*lius est mittere sanguinem ante quartam.*Sed *si fuerit curatum,& non sit missus ante quartam,& in-*

uenias uirtutem fortem, tunc quacunque hora mittas sanguinem. Sed hoc rarò accidit, ut uirtus sit fortis. Dicit modo Auicenna, quòd contingit quandoque non esse dominium sanguinis, ideoq; non esse necessariam sanguinis mißionem, tamen in hoc homine fortis est uirtus, ætas, tempus anni, & cum hoc est etiam aliquis humor qui dominatur, tunc aggredi licere phlebotomiam dicit Auicenna, quando scilicet adest febris putrida, quia ex mißione sanguinis sequitur refrigeratio, secundo fit habitus corporis uerior, & sequitur euentatio, & remouetur putredo. Tertiò euacuamus aliquid de humore, quia phlebotomia uniuersaliter æqualiter euacuat omnes humores. Ideo in tali casu etiam si non sit copia sanguinis mittemus sanguinem, propter causas dictas.

Modo dat unum documentum, in quo isti moderni ualde dubitant, quia dicit Auicenna, cum sit febris sanguinis putrida in principio debemus parcè euacuare, sed postea apparentibus signis concoctionis q; tunc debemus mittere sanguinem. Tamen certum est quòd sola mißio sanguinis sufficit, cùm sit dominiũ sanguinis. Quare in principio debet mitti sanguis, nec debemus quartam pertransire. Contra etiam Auicenna in cap. de febre sanguinea, ubi mittit sanguinem a principio etiam hoc idem facit Gale. 9. Meth. quid igitur dicendum? Bene dicit Auicenna, sed non intelligitur. Debemus igitur scire, quòd febris sanguinea, quam synocham appellant, triplex est. Quædam

dam homotona, quæ a principio usque ad finem eũ dem tenorem seruat. Quædam semper augendo ad statum usque procedit, diciturq́; Epacmastica. Tertia semper decrescit, diciturq́; Paracmastica. His stã tibus ænigmaticè & obscurè loquutus est Auicenna, & dicit, si occurrat febris sanguinea, sitq́; ex Epacmasticarum genere, in hoc casu in principio non debemus mittere sanguinem usque ad syncopem, quia si de ratione huius febris est ut procedat augendo propter plurimam putredinem, tunc uirtus caderet propter illam mißionem sanguinis, nec postea toleretur putredo, ut bene dicit Gal. xi. Meth. Ideo bene dicit Auicenna, si febris fuerit in principio. i. quando adhuc non apparent signa concoctionis, tunc est mittendus sanguis, sed parcè, quia in tali febre in principio morbus superat naturam, sed si fuerit uel homotona uel paracmastica, nõ apparet principium, quia statim in principio natura superat morbum, uel saltem æquat. Et ideo in utraque mittimus sanguinem audacter, quoniam statim speramus resolutionem humoris. Quocirca cum apparent signa maturationis, audacter mittimus sanguinem. Quòd sit uerum, in curatione harum febrium in 9. Meth. apparet de illo qui habuit synocham sine putredine, in quo misit sanguinem usque ad syncopem. Et in illo qui habuit synocham ex putredine, in quo misit sanguinem usq; ad syncopem, quia ista febris erat paracmastica, semper diminuendo procedens, ideo quia apparebant signa maturationis, misit sanguinem usque ad animi

defectum, non uult etiam quòd post balneum mittatur sanguis, quia balneum resoluit uirtutem. Etiam *post coitum non licet mittere sanguinem, propter eandem rationem, neque uult quòd mittatur sanguis ante duodecimum annum.* Etiam *in senibus prohibet, propter imbecillitatem uirtutis, nisi pueri & senes fuerint fortes, habentes carnes solidissimas & plenas sanguine. Sunt enim etiam pueri carnis solidæ, et qui possunt phlebotomari.*

DAT *aliud documentum, & dicit quòd ubi præcessit aliqua ægritudo longa, non debemus mittere sanguinem, nisi appareant signa putrefactionis. Istud documentum est satis confusum. Sciendum igitur quòd post longam ægritudinem non est mittendus sanguis.* Hæc *indeterminatè locutus est, quoniam fortasse diceret aliquis, non est mittendus sanguis post longam ægritudinem, quia longa ægritudo pendet ab humore frigido. tamen habemus quòd ubi peccat humor melancholicus in uenis, & est cum sanguine permixtus, facit longam ægritudinem. tamen si mittatur sanguis, curatur ægritudo.* Bene *ratione uirtutis non conueniret, quia in longa ægritudine uirtus concidit.* Est *sciendum igitur, ubi fuerit longa ægritudo, an uirtus concidat, uel etiam an humor aliquis dominetur.* Quare *duo sunt consideranda, morbus & natura.* Vbi *igitur occurretis alicui longæ ægritudini, & appareant signa corruptionis sanguinis, debemus sanguinem mittere.* Corrumpitur *autem sanguis dupliciter, uel quando putrescit & foe-*

tet & est uera putredo. uel quando uertitur in aliã naturam, quando scilicet corrumpitur ex permixtione aliorum humorum, quando scilicet exarescit, & pars subtilior uertitur in bilem, & remanet pars crassa. cum igitur duobus istis modis intelligere possimus corruptionem, primo modo non intelligemus, quia ubi sanguis putrescit uera putredine, ut accidit in febribus pestilentibus non debemus mittere sanguinem, indicationem. s. sumpta a uirtute. Bene ratione putredinis possemus mittere sanguinem, sed uirtus non tolerat, quia concidit. Sed ubi est corruptus sanguis secundo modo, quòd redditus fuerit crassior seipso, uel subtilior, tunc si sanguis redditus est seipso crassior propter ipsum calorem; dicit Auicenna quòd debemus mittere sanguinem. Si autem sanguis propter frigiditatem factus fuerit aquosus, in hoc casu non est mittendus sanguis. Vbi igitur ex lõga ægritudine est factus sanguis craßior, debet euacuari, sed non una uice, sed pluribus & interim oportet ægrum uictu humido nutrire. quod est facere epicrasin. Et ita habemus quòd si in longa ægritudine appareant signa sanguinis craßi, non sint obstructiones, non sit corpus cachecticum, in hoc casu licet modo dicto accedere ad misßionem sanguinis. Et sic habetis declaratum documentum Auic. quod difficillimum erat. Ideo dicit Auicenna, si sanguis fuerit niger & crassus, euacua. Si autem fuerit albus, non euacues quicquam, quia fieret cachexia & hydrops. Dat modo unum documentum manifestum ex 9. Therap.

cap. 5. & dicit, Quando accedis ad mißionem sanguinis, si cibus fuerit crudus in uentriculo, prius cõcoqui oportet, quia aliter crudus in uenas traheretur, propter fugam uacui. Et ita obstructiones augerentur, fieretq́; febris intensior. Ista autem regula tam est de cibo quàm de quolibet humore crudo & corrupto, qui est in uentriculo. Et ideo dicit Auicē. caue ne mittas sanguinẽ ubi est aliqua repletio uel in uentriculo uel in intestinis. Docet tamẽ quid agendũ ubi materia esset in superioribus intestinis: iubet enim cum aliquo leniente per os sumpto emitti & hoc erit melius cum aliquo clystere. Quare cassia maximè conueniet in hoc casu. Si autem materia fuerit in intestinis inferioribus, uel quia oportet festinare ad misßionem sanguinis, ubi tandem non possumus uti aliquo lenitiuo per os, uti debemus clystere. Si autem fuerit repletio aliqua in uentriculo melius uomitu uacuatur.

CAVE præterea ne phlebotomes fastiditum, sed prolonga ipsum ab hoc ut eis fastidium digeratur. Dicit Aui. quòd & dixit, tamen isti mouent quæstiones, quia dicunt quòd ubi est fames non est mittendus sanguis, tunc enim uentriculus corrugatur a fame. Vnde ubi est repletio in uenis hepar non trahit, neque mesaraicæ a uentriculo, neque etiam uentriculus. Quare tunc potius egemus misßione sanguinis, & maxima. Quid igitur dicit Auicenna? Dico quòd Auicenna per fastidium non intelligit habere famẽ, sed habere nauseam. Quando igitur uentriculus labo-

borat, quando habet nauseam, non debemus mittere sanguinem, quia sequeretur syncope. nausea enim est motus uentriculi debilioris redditi propter expulsionem alicuius materiæ in uentriculo existentis.

E T *tibi etiam caue ne subtilitatem sensus oris stomachi habentem, aut ipsius debilitatem, phlebotomes.* Perseuerans Auicenna *in eodem proposito de missione sanguinis, aduertit tria.* Primum *est de respicienda uirtute ut conseruetur, & toties audiuistis quomodo uirtus omnium limitantium est regina.* Ad quod *respiciens* Auicenna *ponit tria, ratione quorum debemus cauere a missione sanguinis.* Primum, *si fuerit oris uentriculi maxima sensibilitas.* Secundò *si fuerit debilitas.* Tertio *si fuerit fluxus materiæ biliosæ ad os uentriculi.* Primò *si fuerit magna sensibilitas oris uentriculi, quod omnium membrorum maxime est sensibile, quia neruosum ualde est, & cum cerebro habet maximam affinitatem & cum corde, & ideo ubi est magna sensibilitas oris uentriculi facile patitur cerebrum & cor, & sequitur facile deliquium animi.* Et *ideo in tali casu est cauendum a missione sanguinis. Si autem aliquis quærat,* Quare *os uentriculi est sensibile magis quàm aliæ partes corporis, dicendum hoc factum esse ut perciperet famem, ut cibo animalia conseruarentur.* De *debilitate dicit* Auicēna, *quòd ubi aliquis habet debilitatem uentriculi, quòd non debemus mittere sanguinem: nā tales facile incidunt in syncopem.* Debilitas *potest accidere ex quacunque intemperie.* Quæ *igitur est de-*

debilitas oris uentriculi, quam hic intelligit Auicen*na? quia non determinat.* Dicimus *quòd non intelligit de debilitate proueniente ex intemperie, sed de illa quæ fit ex relaxatione uentriculi, ita quòd uentriculus non potest se constringere super cibum & illũ amplectatur. Quando igitur os uentriculi non potest amplecti cibum, dicitur debile, relaxatum, deest illi uirtus toni. non igitur intelligit de aliqua intẽperie.* Bene *uerum est quòd relaxatio fit ab humido, cuius signum est quòd curantes debilitatem uentriculi, curant cum astringentibus & exiccantibus.* Tertium *symptoma est infelicitas ex defluxu bilis ad os uentriculi.* Circa *quod sciendum quod dicit* Gal. *secũdo de* Temp. *quòd ex ignorantia anatomes multi decipiuntur, quoniam sunt aliqui biliosi qui nunquàm euomãt bilem, aliqui uerò frigidæ temperaturæ qui bilem euomant.* Hoc *autem fit, quia ab ipso hepate et uesica fellea duo meatus proueniunt, quorum unus est magnus, alter paruus.* Magnus *deuenit ad intestinum ieiunum, paruus autem deuenit ad fundum uentriculi. Sunt nonnulli qui unicum tantum meatum habent, illum qui tendit ad ieiunum: quidam illum tantum, qui tendit ad uentriculum.* Et *ideo dicit,* ꝙ *fuit aliquis biliosæ temperaturæ, qui nunquàm bilẽ euomuit, se bene bilem egerebat.* Alij *autem fuerunt temperaturæ frigidæ, qui bilem euomebant.* Hoc *autem accidit quoniam habent illi meatum deuenientẽ solum ad os uentriculi, uel solum ad intestinum ieiunum, & ideo isti tales dicũtur habere infelicitatẽ ex*

ge-

generatione,propter defectum alicuius meatus,unde fit ille impetus bilis ad os uentriculi. Isti autem cognoscuntur,ut dicit Auicenna, ubi si illis offeratur aliquid acidum,acre & mordicans, quòd statim lædantur,ut omphacium,succus limonum, piper &c. Vbi igitur uidemus ab istis homines tam facile lædi, isti habent magnam sensibilitatem uentriculi, & ideo in istis non debet mitti sanguis. Illi autem qui habent uentriculi debilitatem,cognoscuntur ubi non aderit fames:quia ubi est uentriculus relaxatus, non fit corrugatio,nec illa titillatio,& ideo non sequitur fames. Præterea isti habent humidum os uentriculi, quod autem est humidum facile alteratur. Quando igitur tale est os uentriculi, facile incidit in dolorẽ, & læditur a leui causa. Cognoscemus tertio uentriculum quando est aptus recipere bilem, ex meatu illo,quia habent semper os amarum, euomunt bilem a quacunque leui causa. Tales habent porum felleum infeliciter compositum:tendentem ad fundum uentriculi. Modo docet Auicenna, si contingat necessitas in talibus mittendi sanguinem,ut aliter fieri non possit,ubi.s.fuerit magna sensibilitas & debilitas, quia ista sunt affinia,proueniunt enim ex humiditate, dicit quòd debemus accipere ante missionem sanguinis buccellas panis lotas & ponere in aliquo quod habeat uim astringendi. Per acetosum autem non intelligit acidum,sed quod astringit, sicuti est succus citoniorum & pyrorum quando sunt bene matura. Si autem fuerit humiditas relaxans cum caliditate,debet

bet adhiberi succus citoniorum. Sed si fuerit humiditas cum frigiditate, exhibenda est aqua cum saccharo & aromatibus. Cum aqua enim & zuccharo fit abstersio illius humiditatis: cum aromatibus autem exiccamus, ut optimè considerabat Gale. 7. *de comp. sec. loc. in compositione hieræ. illi uerò qui habent infelicitatem ex bile, sunt mundandi ante mißionem sanguinis cum aqua calida & syrupo acetoso, quia ex aqua calida relaxatur os uentriculi, ex syrupo acetoso materia inciditur & præparatur, & prouocato uomitu materia exit, deinde bile per uomitum eiecta debet uentriculus corroborari cum buccella panis, & tandem mitti sanguis.*

PRAEPARANDVM *præterea est, ut quid ex bono sanguine resolutum fuerit, restauretur. Cum* Auicenna *plurima dederit documenta antequàm ad misßionem sanguinis accedamus, iam nonnulla addit quæ fieri debent post misßionem sanguinis: semper autem respicit ad uirtutem.* Ideo *hoc loco dat documentum corroborandi uirtutem.* Dicit *igitur, supponendo in misßione sanguinis bonum simul cum modo euacuari.* Cùm *igitur bonus sanguis restauret, dicit* Auicen. *si uirtus fuerit fortis, debemus nutrire cibo multo & permanente, qui non ita facile resoluatur: sicut sunt carnes assatæ.* Hoc *autem fit ut conseruetur uirtus quæ fortis est.* Dicit *igitur, quod post misßionem sanguinis debemus exhibere cibum solidum, sed hîc uidetur esse contrarietas: nam supra dixit, quod ubi mittimus sanguinem, debemus cauere ne nutriamus*

mus, quia augebimus obstructiones & cruditates, & est periculum ne æger suffocetur. Præterea *hoc documentum uidetur esse præter rationem. nam certū est quòd ex inanitione sanguinis resoluitur uirtus, & uentriculus patitur, quia propria sua natura mēbranosus est, & consequenter frigidus, ideoq; facile refrigeratur.* Ratio *igitur uult, quòd ubi uentriculus est frigidus, & corpus est exinanitum, corpus paulatim impleatur. ut etiam dicit* Hippoc. *secundo de ratione uict. cap. de consuetud. ubi dicit, quòd nihil est deterius quàm corpus euacuatum repente replere. quod ēt dicit primo* Aphor. *cum dicit quòd repletiones extremæ sunt periculosæ. ut ubi* Gal. *idem quoque testatur.* Quare *hoc documentum uidetur esse præter rationem.* Hæc *igitur distinguere oportet.* Verißimum *dicit* Auicenna, *nec rationi nec sibijpsi pugnans.* Dicit *enim si uirtus fuerit fortis, ponamus casum esse aliquem fortis uirtutis, calidæ temperaturæ, uentriculi calidioris, cui si mittitur sanguis indiget restauratione: corpus enim illud calidum est, ideo plurimum consumit quotidie. etiam per misſionē sanguinis est sanguis euacuatus, insuper habet uētriculum calidum, qui plurimum concoquit & resoluit.* Quare *oportet nutrire, aliter ebulliet.* Dicet *aliquis, nutriatur ex aliquo quod facile nutriat.* Hoc *fieri nequit, quia tunc omne in fumum uerteretur, & aresceret.* Quare *oportet exhibere aliquem cibū solidiorem.* Vnde *in rustico si exhiberemus carnem pullorum, & panem istum buffetum, statim resolueretur,*

retur, quia uentriculus calidus & fortis non tolerat istos cibos liquidos, quia statim in fumum uertũtur, in bilem. Et ideo dicit Auicenna, si fuerint hi fortes, dabimus illis, carnem assatam, sed tamen paucam: Quoniam isti redditi sunt imbecilliores. ideo dandus illis cibus familiaris, quia illum uentriculus amplectetur, sed paucus, quia repletio post euacuationẽ est periculosa. Igitur parum dandum, & de cibo consueto: consuetudo enim plurimum facit. Dicit autem Auicenna, De carne super prunas assata, quia repente coquitur, unde non ita facile humiditas interius absumitur, & nulla est caro assata deterior quàm quæ paulatim assatur, quia interius & exterius assatur, & exiccatur. Debetis igitur confertim assare, quia humiditas interna concoquitur, ebullit, & non extremè nutrit.

AMPLIVS uenæ quandoque phlebotomantur propterea ut fluxus sanguinis è naribus matrice, ano & pectore prohibeantur. Hactenus locutus est de mißione sanguinis euacuatiua, nunc autem uult loqui de diuersiua, & dicit quòd quandoque mittimus sanguinem ut auertamus uel sistamus aliquem fluxum, ut quando redundat fluxus sanguinis ab utero uel hæmorrhoidibus, uel a naribus tũc euacuamus sanguinem, etsi non indigeamus euacuatione sanguinis, sed mittimus sanguinem ne fluat, quoniam retrahimus sanguinem ad partem oppositam, hoc autem fit ne detur uacuum. Debemus autem seruare rectitudinem, & debemus facere foramen strictum,

ctum,ut parum sanguinis exeat, & sæpe, ut semper minus & minus de sanguine trahamus, non autem singulis diebus, sicut eadem die, si morbus dat inducias. Gale. tamen eodem die missionem sanguinis iterat. nam dicit q, siue una die siue altera die fiat, non est inconueniens, si non adest necessitas. Sed ubi fit diuersio ferè semper adest maxima necessitas, ratione impetus humoris, ad quem respiciens Gal. *dicit quòd eadem die est mittendus sanguis.* Auicenna *autem ad uirtutem respiciens quæ conseruari debet, inquit q, non eadem die bis est mittendus sanguis, & sic* Gale. *&* Auicenna *si sano modo intelligantur, uerum dicunt.*

DE CAVTERIIS, CAP. XXIX.

CIrca hanc materiam Cauteriorum resecatis superfluis breuitatis causa non occupabor circa continuationem huius cap. sed rem ipsam statim aggrediemur. Et primo uidẽdum quid importet hoc nomen Cauterium. Nemini dubium est, nil esse aliud quàm Combustio: ideo in hoc non oportet immorari. Quantum ad rem ipsam, primo inquirenda essentia, nobilitas & utilitas, quæ essentiam consequuntur. Discurremus igitur per omnes causas Cauterij, ut habeatur essentia. Et primo quæ sit causa finalis, secundo formalis, tertio materialis, insuper & instrumentalis, ultimò quæ sit efficiens, quæ omnia cũ recte inuestigata fuerint habebimus facile essentiam

perfectam Cauterij & facile etiam sciemus acciden tia, quæ consequatur. Quantum attinet ad causam finalem certum est quod intenditur cauterium a medico, ut membrũ cui applicatur exsiccetur corroboretur & euacuetur, et quãdoq; ita distinguũtur istæ intentiones, ut quandoque una ab altera separetur, & quandoque fiat cauterium ratione solum euacuãdi, quandoque solum ratione exiccandi, quandoq; ratione omnium. Omnes autẽ cõueniunt quando uertebræ coxæ applicamus cauterium, ratione humoris cõiungentis illas partes cum partibus superioribus cũ pituita illa lubricans redundat & relaxat ligamenta, applicamus cauterium loco affecto, primo, ut materiã euacuemus secundo ut exsiccemus, tertio ut corroboremus: fuit ista sententia Gal. 6. Aph. 6. dicit ibi Gal. q. ubi applicamus cauterium loco affecto coxæ, quod applicamus ut materia illa muccosa euacuetur & locus exsiccetur & cutis & caro astringatur, ut os retineatur, et sic locus corroboretur, quandoque autem fit principaliter ut euacuetur materia, & hoc fit præcipuè in ipsa hydrope, quod dicebat Galen. 6. Aph. 27. ibi dicit quod in epygmate & hydrope fiũt cauteria ut euacuetur materia; est enim principale intentum medici ut materiam euacuet sed confortare locum & exiccare principaliter est ubi hepar suppuratur, ut dicit Gal. 7. Aph. 28. ubi docet Gale. quomodo suppuratio in hepate curatur. sed semper habemus hoc, q. semper cauterium fit in loco affecto ex quo sequitur q. ista quæ uulgo dicuntur fontanel

læ,

læ,non ſunt uerè cauteria, quia nō habent cauſam finalem. bene habent cauſam formalem, quia combuerunt,ſed prorſus ſunt contraria intentioni cauteriorum:cauteria enim uolunt exiccare, fontanellæ aūt humectant,ſemper fluit locus. Intentio eorum qui applicant cauteria eſt membrum ægrum reddere ſanum:intentio autem eorum qui ponunt fontanellas eſt facere membrum ſanum ægrum.Cauteria faciūt membrum quod prius fluebat ſiccum,fontanellæ aūt membrum ſiccum fluidum reddit:propterea quando auditis proponi cauteria pro fontanellis,ſciatis q̀ ſūt in æquiuoco.Ideo fontanellæ non ſunt cauteria antiquorum.Cauteria igitur talem habent finem, qualē propoſuimus.Et intentio eſt ſanare locum affectum, ut applicetur loco affecto ut exiccetur,materia euacuetur,& corroboretur. Quantum uerò attinet ad cauſam formalem cauterij,debetis ſcire q̀ forma nil aliud eſt niſi combuſtio.Actus comburendi uel eſt perfectus uel imperfectus. perfectus aſſequitur ſuum finem. finis autem combuſtionis eſt q̀ omnia ſeparentur,& illud quod comburitur continuum non poteſt remanere,& ideo remanet cinis.& ideo finis combuſtionis eſt ut res uertatur in cinerem. Alius actus cōbuſtionis eſt imperfectus,ut quando fit carbo,in quo eſt humiditas,& eſt corpus mixtum, cuius ſignum eſt q̀ inflammatur,non inflammaretur autem niſi eſſet in carbone humiditas.Ignis enim actu eſſe nequit ſine humido,ut alias probauimus. Si igitur carbo inflammatur,non eſt penitus exuſtus, quia non inflam

maretur. Ideo *uidemus quòd cinis inflammari non potest, quia non adest humiditas. ergo sunt isti duo modi combustionis, quædam est combustio perfecta, quædam imperfecta, ratio formalis cauterij quænā est?* Distinguebat Gal. *in primo* Therap. *cap*.4. *ubi copiosissimè loquitur de cauterijs, quemadmodum* Combustio *cauterij est semustio non attingit ultimum finem, tantummodo debemus comburere ut habeat formam carbonis ut pars uertatur in escharam & fiat crusta, quare ratio finalis cauterij est combustio imperfecta reddens locum in formam carbonis in crustam*. Oportet *modo uidere materiam cauterij ea duplex est*. Non *potest autem aliquid comburere nisi ignis, sed duplex est ignis, uel ignis actu uel ignis potētia, ignis actu est flamma uel aliud inflammatum ut ferrum uel prunæ accensæ, talia comburunt, aqua uero feruens cum habet ignem in potentia non comburit sed elixat*, Cauteria *autem habent ignem potentia*, Materia *igitur quæ facit cauterium, uel causa materialis cauterij est medicina caustica uel ignis quæritur igitur quid nam sit proponendum*. Nemini *dubium est quod ignis est dignior causa quia est simplex & comburit, & non habet inimicitiam cum corpore humano, præterea non ita corrumpit membrū ignis sed conseruat, quare in igne nō ē nisi nobilitas actionis & uigor, ut sol generat hominem tamē uis solis etiā destruit hominē, non aūt propter inimicitiam, hoc idem præstat ignis, & ideo melius est facere cauterium cum igne quàm cum medicina caustica*

ca quia quando applicamus istas medicinas, sunt cõtrariæ humano corpori, & ultra hoc quod comburũt fiunt estiomena, gangrænæ, extingunt calorem naturalem membri, unde Gal. lib. 1. simp. ca. 4. ubi comparat utrunq; semper proponit cauterium quod fit ex igne cum dicit quod illud quod fit ex medicinis causticis habet semper aliquid ueneni. Sed cur adhibemus cauteria facta cum medicinis calidis? Quoniã (ut uerum fatear) medicus est adulator & quærit ægris satisfacere quãtũ põt: studemus adulationi quoniam uidemus aliquos effœminatos qui non possunt pati aspectum ignis, ideo applicamus tales medicinas causticas quæ clã faciunt quod aperte faceret ignis, & inferunt magna nocumẽta. Quantũ uerò attinet ad ista debemus scire quod cum ignis applicatur loco applicatur cum aliquo instrumento & hoc est cõsiderare, uel formaliter uel materialiter. formaliter quandoq; est busum rotundũ, quandoq; est sicut os oliuæ & oblongum, quandoq; uerò est forma plana, quandoq; est sicut gladius ignitus, & fiunt ista formæ diuersæ, secundũ quod cutis redũdat humiditate, uel in uno tantũ loco, uel in plurib. Vnde quandoq; fit cauterium planum, quod tangit magnum spatiũ, & in hoc casu conueniunt cauteria quæ sunt tanq̃ rotulæ planæ, unde fit quoddã instrumentum quod habet multos circulos latos inuicẽ continuatos, ueluti est arbor apud istos iurisconsultos. Sed quãdo uultis exiccare unũ tantũ locum in superficie, facitis cauteriũ planum, & hoc raro contingit. Quandoq; autẽ uultis

uultis ad profundum penetrare in uno tantũ loco, ut fit in commissura coronali, in qua oportet penetrare unde forma oliualis facit ad propositũ. Sed quãdo uultis euacuare, sicut in hydrope, fit cauteriũ instar gladij quo utuntur isti chirurgi ad incidendũ, & tunc ex incisiõe habetur euacuatio, ex igne ãt exiccatio. instrumenta uerò ẽt considerantur materialiter, & hic est magna quæstio, utrum sit aurũ uel ferrũ uel æs. Arist. *in* 1. *probl.* 25. *præponit reliquis cauteriũ factum ex ære.* In *quo loco debemus deserere conciliatorem, quia nihil cognouit de illõ problem.* Arist. *igitur proponit cauterium factũ ex ære.* Arabes *autem laudant ferrum.* Auic. *hic magis laudat aurum.* Dico *quòd omnia conueniunt: sed quandoq; magis cõuenit æs, quando uolumus facere uulnus qđ citò curetur, tunc.n.non conuenit ferrũ, quia ignis in materia crassa magis penetrat ad profundũ.* Vnde *in uitreolo & chalcantho caliditas est magis penetrans, & ideo impreßio illius magis durat.* Vnde *res ignita q̃to terrestrior est, tanto maiorem facit impreßionẽ. ideo ferrũ ignitum cùm sit craßius q̃ æs, maiorẽ facit impreßionem q̃ ipsum æs.* Nõ *tantã igitur facit æs impreßionem, & ideo dicit* Arist. *ꝙ æs facit ulcus benignũ & facile curabile.* Albumasar *aũt ladauit cauterium ex ferro: quoniam quando quærit usum cauterij, hòc faciebat ꝙ non solũ uolebat euacuare, sed exiccare, & ẽt corroborare, ideo quærebat materiã quæ diu maneret, & perduraret.* Sed Aui. *laudauit aurũ, quia erat ualde diues, & considerauit magis formaliter*

liter q̃ materialiter. Considerauit nobilitatē auri, qđ habet temperaturam simillimam temperaturæ humanæ, et ut uerum dicam Auicen. quia magis theoricus quam practicus fuit, ideo magis laudauit aurum tanquam familiare magis humano corpori, nã quando aurum ignitur non inducit aliquam malam tēperaturam, nec ulla prorsus malignitas permanat. Ita*que considerauit aurum formaliter, quia ex forma auri non sequitur aliqua mala qualitas.* Tamen di*cit* Albumasar *q́ aurum est relinquendum, quia liquescit, & ideo ad ferrum est deueniendum, & hoc etiam utuntur medici.*

Circa speculationem cauteriorum discurrentes circa causas, de causa formali diximus q́ cauterium est combustio quædam, & combustionem esse duplicem, perfectam & imperfectam, atque adeo cauterium esse combustionem imperfectam, quando illud quod cauterizat uertitur in formam carbonis. Et ut *rem integrè percipiatis, dicit q́ ea quæ comburuntur quædam sunt solidißima & terrestria, quorum ignis perseuerat & penetrat ad profundum & maximè imprimit.* Vidistis *hoc exemplo ferri.* Dicimus *modo iam quòd quædam comburuntur quidem, sed in superficie: quædam ultra superficiem: quædam etiam usque in profundum.* Ista *modo penetratio est ratione rei ignitæ, ex quo sequitur q́ quædam comburunt in superficie, & non faciunt carbonem nec escharam, sed uesicam; quædam nèque uesicam, sed solum ruborem.* Vnde *quædam membra indigent rubifica-*

 fica-

ficatione, quædam uesica, quædam eschara. Rubifica*mus autem locum, ut exiccemus, roboremus & euacuemus aliquid de redundante materia.* Idem *dicendum est de cauterio uesicatorio.* Non appellatur au*tem cauterium, nisi fiat combustio, quæ redigat ad formam carbonis, & escharæ.* De *incineratione non considerat medicus.* Dropaces *tamen a* Græcis *appellantur, quando rubificatur locus, à nostris* Picatio*nes, & Sinapismata.* Laudatissima *est rubificatio iberidis herbæ, quæ à natura sinapis non ualde differt.* Alius *autem est actus ulterior. s. uesicatio epidermidis, hoc est cuticulæ illius quæ est admodum tenuis.* Et *sunt quædam comburentia ualidiora rubificantibus sed ista rubificant & incipiunt comburere, sed non possunt ulterius penetrare, & hoc faciunt thapsia recens & cantharides, incipiunt comburere, sed subtilitas illius ignis non potest ulterius producere effectum suum, ueluti si esset ignis in palea. unde non inducitur carbo aut eschara, sed inducitur uesica.* Ea *uerò quæ inducunt carbonem, & uerè cauteria dicuntur, sunt illa quæ deueniunt etiam usque ad carnem & os, ut fiat ex parte ossis quidam carbo.*

Deficiebat *iste discursus in hesterna lectione.* Dici*mus ergo quòd cauterium formaliter est combustio faciens escharam a materia solida, sicut est in ferro ignito, quando est cauterium actu uel potentia, quando est in chalcantho uel simili materia solida quæ ignem habet potentia, & dicuntur medicinæ causticæ.* His *uisis circa rationem formalem, deuenimus*

postea ad causam materialem & ad instrumentalem. Deerat ultima causa scilicet efficiens, in qua diligentes esse oportet, ab efficiente enim proueniunt actiones. Nemini autem dubium est quin causa efficiens sit medicus operans, artifex peritus, aliter cauterium non esset remedium sed materia remedij. Vt igitur cauterium sit remedium, oportet artificem esse peritum, & ut methodo procedat, consideretq; ea quæ debent considerari, nec res est adeo longa & difficilis. Considerabat autem an illud sit agendum. Secundo quæstio. Tertio quando. Quarto quantum. Quinto ubi. Sexto igitur si chirurgus debet dirigere cauterium secundum rectam artem, considerabit nunquid sit faciendum cauterium necne. Quia cum medicus imitetur naturam, non debet facere nisi illud quod necessarium est. Necessarium autem esse cognoscetur, notando primo quòd cauterium est uiolentum maxime naturæ, quia uiolat & corrumpit mẽbrum cui applicatur: incisio soluit continuum, sed combustio & soluit continuum & corrumpit substantiam, at quod est combustum, amplius restitui non potest. Est igitur maxime uiolentum, cùm soluat continuum, substantiam & compositionem, ut totum humidum quod est fundamentum uitæ exhalet. unde Hippo. inquit, Extremis morbis &c. ideo etsi cauterium est extremum remedium & ultimum appellatur, tamen quandoq; debet esse primum. Nam quando dicimus ultimum, dicimus non quo ad ordinem, sed quo ad magnitudinem, quando est magnum

dicitur

dicitur ultimum. Ideo *quandoque ſtatim debemus in cipere a cauterio.* Sed *dicimus ultimum.i.maximum omnium remediorum.* Oportet *igitur medicum conſiderare num ſit faciendum cauterium necne, & an ægritudo cauterium requirat.* Nam *qui hoc conſiderabit, nec negligens erit nec temerarius.* Morbus *ille indiget cauterio, cui neque inciſio neque euacuatio neque rubificatio neque ueſicatio confert, & propterea accedimus ad cauterium.* Quando *propter defluxum humoris putreſcit & corrumpitur membrum, tunc indigemus maxima exiccatione, & neceſſaria maxime, quæ non dat inducias.* Vnde *conſiderat medicus, ſi applicentur rubificãtia, materia exiccabitur:* Veſicatoria *etiam non exiccabunt in profundo: inciſio non euacuabit niſi à loco inciſo.* Quid *igitur faciendum?* Inueſtigandum *eſt remediũ quod ſtatim prohibeat putrefactionem.* Hoc *autem facit quod repente exiccat, quod præſtat cauteriũ.* Quare *tantum uret, quantum uidebitur eſſe malignitatis.* Sicut *quando in uertebris eſt humor, oportet cõburere: bene incipimus a leuioribus quia morbus dat inducias.* Sed *tandem ad cauterium deuenimus.* At *ubi cogit neceſſitas, in principio etiam uti debemus cauterio.* Vbi *igitur medicus elegerit applicandum eſſe cauterium, ſecundo debet medicus conſiderare quomodo ſit faciendum cauterium, uidere modum operandi, quoniam docebit natura morbi.* Conſiderabit *enim num materia ſit in profundo necne, utrum membrum ſit ſenſibile, an materia ſit multa, uel pau-*

ca.

ca.Et sic eliget diuersa instrumẽta. De tempore operandi cauebit ne corpus sit repletum,sed sit exquisitißime purgatum.Nam ex cauterio fit maximus dolor,& copia maxima materiæ ad locum attrahitur, nisi corpus sit purgatum.Tempus anni quoque considerandum est,& complexio,& tandem regulæ illæ decẽ,de quibus supra,sed uirtus præcipuè. Quarto debet considerare Quantum agendum.i.inquantum debet extendi illa combustio, uel in latum, uel in longum,uel in profundum. Quantitas morbi indicabit quantitatem agendi.Si morbus est in superficie tantum,sed extenditur in latum, fiat cauterium cum reb.planis.Sin materia extendatur ad profundum,debemus illis instrumentis uti quæ ad profundum penetrant. Qualia diximus esse quæ oliuæ formam obtinent.Semper autem ipsi situi attendendũ. Si uerò morbus est secundum omnes dimẽsiones, fiat cauterium secundum omnes dimẽsiones.De loco maxime est attẽdendum.Nam cauterium est actio quædam uiolentißima,ut diximus,& forte non est aliud quod medicũ deterrere debeat,præter hoc:nam omne membrum habet partes nobiles.quare oportet scire situm omnium membrorum. Vnde Albucasis ille dicebat quòd propter imperitiam huius partis multi multos interfecerunt.Vt is qui scrophulas curare uolens, cauterium arterijs iuguli applicauit, & ægrum interfecit.Vidi ego etiam in perforatione cranei cauterium peruenisse usque ad oculos,& illos eruisse,& hoc fit præcipue cum medicinis istis

mortuis.

mortuis. Et ideo uidi applicare fontanellas, quæ non sunt cauteria propriè, nisi formaliter, uidi in istis fontanellis, quæ fiunt cum medicinis, prima die nihil apparet, sed tandem fit inflammatio, postea gangræna, tandem mors. In ista igitur ultima cōditione medicus debet attendere ne faciat impreßionem in loco neruoso, & ubi fuerint capita musculorum, nec utetur cauterio cum istis medicinis. Peterit autem uti cauterio cum igni, quia remoto igne non sequitur ulterius actio. Quare tutius est uti tali cauterio cum igne. Et ita habemus quomodo medicus operari debet seruando omnes conditiones iam dictas.

CAVTERIZATIO est medicamē ualde utile iuuans ad probibendum ne corruptio spargatur. Ex istis quæ diximus considerando naturam & essentiam cauterij per omnes suas causas, facile apparet quomodo Auic. uitiet definitionem cauterij, & reuera ita definit q; describit per plura uerba quæ silentio præterire poterat, cum dicit q; cauteriū est remedium nobile, quæ est pura descriptio. Neque.n. habet proprium genus, neq; propriam differentiā.

VIVENS ad prohibendum ne. Accedit Auicen. omnia enumerando quæ dicit Gale. 5. Metho. 4. Nam cauterium hoc præcipue facit, cum sit combustio loci ad formā carbonis eschara siue crustæ. Cū igitur ideo formalis sit ista cauterij, exiccata, nam quod comburit maximè exiccat, quod exiccat, habet omnia ista. Quia cùm exiccat, probibet ne corruptio spargatur, quæ fit ex redūdātia humidi nō

bene a calido regulati. Vbi igitur aliquid exiccatur a putredine remouetur. Exiccatur autem maximè a cauterio, quia comburit. ET *ad confortandũ mẽbrum, cuius complexionem uolunt rectificare.* Sciẽdum ꝙ non æqualiter cauterium confortat membrũ, cuius cõplexionẽ uolumus rectificare. Notetis, quia ista complexio uel est essentialiter talis, uel est affluxus quidam materiæ, ex qua fit talis complexio in membro, iuxta naturam materiæ fluentis ad locum. Hæc igitur sunt duæ temperaturæ. Quando ergo dicit Aui. ꝙ ex cauterio rectificatur temperatura, uel intelligimus de temperatura essentiali sine affluxu, & tunc dico ꝙ non conuenit nisi temperaturæ tantum frigidæ & humidæ, quia contraria contrarijs opponuntur, per cauterium autem calefit & exiccatur, & etiã hepati refrigerato, ratione cuius fit anasarca, ubi cum reb. calefacientibus & exiccantib. nõ possumus curare, curamus cum cauterijs, talia enim calefaciunt & exiccant. Modus faciendi huiusmodi cauterium in hepate docetur ab Albucasi, qui singillatim in singulis morbis docet facere cauteria, quomodo & quando &c. Inter cætera uerò, quomodo sit faciẽdum in hepate. Sed si fuerit intemperies per affluxum materiæ, dico ꝙ conuenit in quacunq; fluxione cuiuscunq; generis, quæcunq; fuerit materia, dummodo sit materia redundans in membro, ut faciat corruptionem, & corrodat & spargatur per membrum, quæcunq; fuerit materia, applicetur cauterium, quia membrum exiccabitur & corroborabitur,

tur, ne amplius recipiat. nam non aspicimus hic qualitatem humoris, sed quantitatem & malitiam. & ideo siue fuerit sanguis siue pituita siue bilis siue humor melancholicus, semper debet fieri cauteriũ, propter redundantiam humoris & periculum putredinis. Hoc modo *rectificamus temperaturam.* ET *ad resoluendam materias corruptas in membro retentas.* Quando *dicebam* ꝙ *est utile cauterium, ne materia spargatur in membrum, hoc idem hic dicit.*

ET *ad sanguinis fluxum sistendum.* Notetis ꝙ *consultò fuit prætermissum hoc de cauterio ratione sistendi sanguinis, quia ubi dixi* ꝙ *corroboratur mẽbrum, sistitur etiam sanguis.* Vnde *sciatis* ꝙ Gal. *utitur cauterio, ubi uult sistere fluxum sanguinis, ubi. s. cætera fuerint experta, ubi oportet recurrere ad remedia ualidissima.* Ideo *ubi maxime fluit sanguis est comburendus locus.* Sed *aduertendum, quia si facias cum medicina caustica, habeas aliquid adstringens, ut chalcanthum, uitriolum. unde a calce est cauendum, quia oportet prospicere ne decidat crusta, quia postea flueret sanguis sine aliquo remedio.*

RES *uerò qua cauterium fit melius, est acutum.* Iam *uidistis quando loquebar de materia cauteriorum, quomodo aurum sit præferendum æri, & quomodo æs, & quomodo ferrum.* Auicen. *præponit aurum. hoc autem fuit ne relinquatur mala temperatura in loco. non est tamen aliquid expedientius quã ferrum.* ET *locus qui cauterizatur aut est manifestus, aut est profundus.* Vnum *tamen aduertit*

Auicen.

Auicen. & dicit esse aduertendum nunquid cauterium sit faciendum in loco exteriore, & dicit, tunc applica cauterium, quia est facilis applicatio. Nos *autem docuimus, quomodo sint diuersimode faciẽda, secundum quod diuersimode se habet materia.* Sed *si fuerit in parte aliqua intrinseca, quoniam hîc uidebat esse aliquas difficultates, non fuit prolixus, & dicit si fuerit locus interior, sicuti quando aliquis habet magnum narium fœtorem propter carunculas mammillares corruptas, uel sit in ano interius aliqua fistula, in quibus locis debeat fieri cõbustio, quo modo hoc fiet? quia etiam aliæ partes comburentur.* Ideo *dicit* Auic. *quomodo agendum? & dicit q, oportet fieri cannulam, & fiat secundum foramen loci quem uultis adurere, & illa causa, nulla deueniat ad locum comburendum, qui quidem debet mensurari.* Vbi *istud fuerit rectè inuentum, applicetur ea cannula rectæ longitudinis & latitudinis cõmodæ, propter locum quem debet transire. sed quando ea cannula sit ex ære subtili ualde, ubi ponimus ferrum ignitum postea, facile excandescit, & postea deridetur medicus.* Quare *cum cannula illa sit subtilis, ne inflammetur, debet leniri cum aceto & terra sigillata uel bolo armenia uel terra samia, unde fit densissima quædam substantia, quæ non ita facile penetrat. Sed etiam debemus in tempore applicationis habere pannum lineum subtilissimum, & illud infundere in aqua rof. & hoc uestire debet medicus cannulam, et hoc præcipue est faciendum ubi imponitur cauteriũ*

uel in ano uel in uulua. Aduertatis *autē* ꝙ *in textu est corruptio,cum dicit,Quòd sit sicut tale, hoc non dicit tex.sed dicit* ꝙ *sit sicut tal.* Dicit *igitur* Auicē. ꝙ *debemus accipere formulam siue cannulam,& illinire aliquo tali,& intelligit terram Samiam,quæ est tenax & pinguis. idem autem præstabit bolus armenia,& ista nostra terra sigillata.*

De *dropacibus.*

CVm *fuerit nobis proposita materia tractandi de dropacibus & sinapismis,cùm similia sint cauterijs,differunt enim solum secundum magis & minus intensum,uidebatur igitur mihi doctrina minus perfecta,nisi diceretur aliquid de istis.* Ideo *uestræ utilitatis causa aliquid dicemus.* Vbi *igitur habuerimus singulorum rectum ordinem, sciendum cū agamus de medicamentis quæ exterius applicantur: medicamenta enim quædam per os quædam extrinsecus exhibentur quæ sumuntur per os uel purgantia sunt uel antidoti.* Purgantia *alia trahunt determinatum humorem, alia lenientia sunt & aluum mollientia,sicut caßia,manna, pruna &c.* Antidoti *duplices sunt,sed quædam dicuntur propriè antidota,quia agunt a proprietate occulta, quædam uerò qualitate manifesta.* Quæ *operantur qualitate occulta,dicuntur antidota magna,ut theriacæ quæ cōtra uenena operantur,* Bezoar Arabeb.*dicūtur:quædam uerò dicuntur antidota quæ operantur a qualitate*

tate manifesta calefaciendo, exiccando &c. Qualitate ergo operantur uel prima uel secunda, ut abstergendo, aperiendo &c. Omnia modo ista quandoque sunt simplicia, quandoque composita. Et quandoque forma liquida, quandoque solida applicantur. Quæ sunt consideranda, & præcipue quando exhibemus medicinas solutiuas, exhibemus solidas, uel forma pilulari, uel saltem boli. Et ideo est, quia quando uolumus euacuare corpus, scimus quomodo medicamenta soluentia primo ingressa uentriculum, mediante uirtute uentriculi trahunt a toto corpore & a toto ambitu ad unum locum. Quare oportet q̃ ibi immoretur, et ideo medicina solida ualidior est, quia manet, liquida autem facile descendit per intestina, & exit per anum, sed quando uultis lenire corpus, semper quæratis quæ sunt humidiora & liquidiora. Ego dimitto postea illud quod considerabat Gal. quando uolumus q̃ uis medicamenti transeat ad hepar, miscemus medicamentum quod faciat ad maiorem penetrationem. Quæ uerò exterius applicantur, ita se habent, ut uel in superficie tantum adhibeantur, quædam uerò iniiciuntur, quædam uerò modo se habent modo. Ea quæ exterius in superficie applicãtur sunt ueluti fomenta facta cum spongia imbuta in aqua, uel utre aliquo humido repleto. uel sunt epithemata ad confortationem alicuius membri, ut uentriculi, renum, hepatis &c. in forma leni & molli. uel sunt enchrismata, quando olea exterius applicamus. uel sunt embrochæ, ubi materia aliqua quæ applicatur

ex alto cadit, ut maior fiat impreßio. Præterea sunt cataplasmata & emplastra. Ista sunt diuersa. sunt nostra cerata, cataplasmata & emplastra. Primo est ceratum quod est illud quod proprie dicitur unguentum molle, nos tamen utimur cerato pro emplastro, & componimus ceratum, & fiunt ista cerata quæ sunt dura & solida, ut non poßint inquinare, ista dicuntur emplastra ab antiquis, a nostris autem cerota. Est modo cataplasma, quod nos emplastrum uocamus, quod conficimus ex oleo, farina, herbis. sunt præterea quæ applicantur exterius in superficie tum dropaces, tum apocha, tum sinapismi, de quibus agendum, sed prius membra diuidētia suppleamus. Quæ modo tantùm interius inijciuntur, sunt sicut clysteres qui in sedem inijciuntur, qui in uterum, quibus frequenter antiqui utebantur sunt etiam quædam quæ inijciuntur pro sanie et sorde extrahenda, Piulca a Græcis dicuntur, & omnia interius inijciuntur ut ibi operentur. Quædam & interius & exterius applicantur, a nostris dicuntur linimēta, Græcis Malagmata, & talia emolliunt res induratas. Præterea sunt clysmata siue ablutiones quæ fiunt & interius & exterius. deinde sarcochyma, quæ inducunt carnem, & quæ cicatricem tam exterius quam interius applicantur, insuper & cauteria tam interius quā exterius applicantur, ut superius docuimus. Quibus omnibus uisis, præsens negocium est de tribus tantum agere, quæ sunt inter se propinqua, Apocha, dropaces & sinapismi. Leuis est apocha, sequuntur dropaces,

paces, tertium sinapismi. Primo igitur agemus de apocho. Dicit Gale. q. apocha proprie dicuntur quādo aliqua pars dolet propter frigus potius quā propter calorem, & ideo Acopa est medicina calefaciens corpus frigidum quod dolorem patitur, & maxime præstat ubi membra uidentur confracta, & laßitudinem patiuntur. Adhibemus igitur in huiusmodi laßitudinibus quando membra dolent uel propter frigus uel propter ista acopa. Paulus dum hæc declarauit, diuidit & dicit q. quædam sunt calefacientia tantum, quædam uerò etiam emolliunt, quædam uerò etiam leuiter exulcerant circa superficiem cutis, & certum est q. isti sunt quidam gradus in calefaciendo. Dicitur autem Acopon, quia lasstudinem præcipuè remouet. Præstat tamen etiā in alijs morbis qui indigent attenuatione & euaporatione. Sciatis autem textum tam Græcum quam Latinum esse mendosum, debet autem legi sicut docuimus, cōtinet enim tria ista membra iam dicta quæ Paulus declarat, & incipit ab ijs quæ solum calefaciunt, ea sunt piper, pyrethrum, cachrii, quæ tamen maximè calida uidentur, atque adeo comburere, sed licet insigniter calefaciant, tamen cùm sint in materia ualde subtili, facile exhalant, sicut & calor in palea, ignis & flamma fit apparens, statim tamen exolescit. Sic accidit in istis, & ideo solum calefaciunt, non autem emolliunt, neque comburunt quia in istis requiritur impresßio. Piper calidum est & siccum in tertio, pyrethrum [illegible] est calidisßimum, capri est [illegible] tem-

peraturæ,& est quicquid est fructuum excremento sum in arboribus quæ perdurant tota hyeme, ut in auellanis uidentur quædam oblonga, & in nucibus, sed hoc non est quod quærimus, sed intelligit de semine libanotidis quæ fœcunda est,& folia habet crassiora,& producit caulem, & habet flores repletos seminibus calidis,& habet eandem uim quam piper & pyrethrum,quæ materiæ faciunt acopa.

FINIS

